CAROL. PET. THUNBERG,
EQU. REG. ORD. WASAE, MED. ET BOT. PROF. ACADD. ET SOCIETT.
LITT. LXII. MEMBR. ET CORRESP.

FLORA CAPENSIS,

SISTENS

PLANTAS PROMONTORII BONAE SPEI

AFRICES,

SECUNDUM

SYSTEMA SEXUALE EMENDATUM

REDACTAS AD

CLASSES, ORDINES, GENERA ET SPECIES,

CUM

DIFFERENTIIS SPECIFICIS, SYNONYMIS

ET

DESCRIPTIONIBUS.

EDIDIT ET PRAEFATUS EST

I. A. SCHULTES,

M. D. CONS. REG. PROF. THERAP. HIST. NAT. ET BOT. P. O. PLL. ACADD. ET SOCC. SOD.

STUTTGARDTIAE
SUMTIBUS J. G. COTTAE.
AMSTELODAMI, IN OFFICINA MULLER ET SOC.
LONDINI, IN OFFICINA TREUTTEL ET WURTZ.
LUTETIAE PARISIORUM, IN OFFICINA TREUTTEL ET WURTZ
1823.

MAIESTATI. REGIAE.

FRIDERICAE. WILHELMINAE. CAROLINAE.

AVGVSTISSIMAE.

BAVARORVM. REGINAE.

SVB.

CVIVS. IMPERIO.

CLEMENTISSIMO.

HORTORVM. CVLTVRA.

PRIMVM.

PER. BAVARIAM. EXSVRGERE.

INCEPIT.

P. H. D. V. S.

EDITORES.

SS. FF.

PRAEFATIO AUCTORIS.

Caput bonae spei extremus dicitur ille angulus Africae, qui usque ad latitud. 33 gr. 35 min. sub. gr. 35. min. 2 longitudinis, secundum Observationes Domini de la Caille, sese extendit in hemisphaerio australi.

A *Bartholomaeo* Dias, Lusitano, primum detectum fuit hoc promontorium circa annum 1487, quod post aliquot annos iterum visit *Vasco* de Gama. Belgae vero, seculo uno cum dimidio deinde elapso, ex consilio Chirurgi van Riebeck, sedes suas heic fixerunt Europaeorum omnium primi, insignem sibi per merces ab Hottentottis acquirentes, in vicinia portus, regionem, ubi fortalitium, Nosocomium, Hortum culinarem et aedificia varia exstructa sensimque magis magisque amplificata fuerunt. Ex hisce tam parvis initiis maxima illa Colonia, pulcherrima urbs, pagi populosi et villae plurimae postea longe lateque extensae excreverunt, secundum observationes D. Barrow, inter gr. Latitudinis 35 et 30, Longitudinis 18 et 29.

S O L U M.

Solum heic, ut in tota Africa, aridum et in genere sterile, arenosum, argillaceum, et non parum montosum.

Oras omnes *maritimas* tegit arena profunda, saepe mobilis, verno tempore ex pluvia hiemali plerumque inundatas, aestate exsuccas, et omni fere aquâ atque incolis destitutas.

Carro appellantur loca deserta et argillacea, quae interiores regiones promontorii, Zonae instar, transverse percurrunt; constant argillâ cum ochra ferri mista et sale muriatico, sterilissima omnium, hieme parum pluviâ irrigata, aestate sole ardenti exusta, animalibus et incolis orba, ac nil, nisi succulentas plantas alentia, aquâ salitâ enutritas.

MONTES, tam sparsi hinc inde, quam juga cohaerentia, illa quidem quandoque insignia formantes, semper e SO in NW suam servant extensionem, uti Venti hisce in terris regnantes. In altum sua plus vel minus attollunt cacumina, nubes attrahunt pluviamque et rivulos subjacentibus villis subministrant, et regiones proximas summopere fertiles reddunt, in vallibus nonnunquam sylvis atque in proclivis et planitie variis fruticibus ornati.

RIVULI, e montibus decurrentes, majores sunt vel minores. Sunt quidem, qui toto anno aquam salubrem ferunt; plurimi vero torrentes cito pluviâ intumescunt, ac cito deinde subsidunt, nec raro omnino exsiccantur.

CLIMA.

CALOR aestate intensus non raro vegetabilia annua adurit et annonae caritatem atque graminis penuriam pecoribus causare solet, idque eo magis, quo parcior fuerit pluvia hiemalis et ventus SO simul vehementior saevire ac sata devastare solet. Mense Aprili et Majo cerealia terrae mandantur; Decembri et Januario incidit messis et uvae maturantur.

FRIGUS sub hieme nunquam intolerabile occurrit, nec camino domum calefacere unquam est necesse. In interioribus tamen, illis quidem versus Septentrionem altioribus, uti et montosis regionibus frigus evadit non modo intensum, sed terra nonnunquam pruinâ montesque nive teguntur, in summis cacuminibus per septimanas et menses quandoque non dissoluto.

Intensius frigus persentitur mense Augusti vel Septembris, maxime mane et vesperi, imprimis dum simul ventus fortiores et coelum pluviosum. Hyems respectu frigoris mensibus Septembris vel Octobris in Suecia respondet, a medio Maji ad medium mensis Augusti saevit, procellis ex NW et imbribus contiguis saepe horrida et viti subinde noxia. Major tamen semper est frigoris gradus locis elevatioribus et montosis, ubi vitis culturam vel non admittit, vel fruticem, etiam adultiorem, gelu laesum habet. Regiones frigidiores habentur imprimis *Koude Bockeveld, Roggeveld, Lange Kloof* et *Sneeberg*.

BOTANICI et COLLECTORES, qui ipsi hocce promontorium salutarunt.

HEURNIUS, *Justus*, Sacerdos in Indiam Orientalem abiturus, primus omnium Florae Capensis plantas legit fratrique suo *Ott.* HEURNIO, Professori Leidensi transmisit. Numerus quidem plantarum exiguus fuit, cum brevi heic versatus excursiones suas eo tempore vix ultra viciniam montis Tabularis extendere potuisset; sed singulares hujus regionis gazae non modo rarissimae fuerunt, sed summam quoque Botanicis Europaeis admirationem excitarunt.

HERMANNUS, *Paulus*, Medicus in Insula Ceilona futurus, sub itinere Floram capensem salutavit, primusque Botanicus plantas Capenses attente lustravit, et insigne herbarium collegit, licet brevior heic mora, nec ultra habitationes colonum exspatiari ausus fuerit.

OLDENLANDUS, *Henric. Bernh.*, Danus, alter Botanicus fuit, qui Capenses, postea BURMANNI herbarium exornantes, plantas conquisivit.

HARTOGIUS, *Johannes*, Medicus, Thule hujus meridionalis plantas sedulâ manu legit, et insigniter herbarium Burmannianum auxit. Harum Catalogum recensuit *Joh.* BURMANNUS in Thesauro Ceilanico.

KOLBE, *Petrus*, Germanus, in diffusa sua Historia Capitis bonae spei, Plantarum Capensium Catalogum inferuit, Tom. 1. p. 283. edit. holl. ipse Botanices minime gnarus.

AUGE, *Andreas*, Germanus et Hortulanus in Horto culinario Societatis, plures annos vitam heic transegit et jussu Gubernatoris TULBAGH, plurima itinera ad interiora regionis loca, plantas colligendi caussa, instituit. Ex ejus iteratis collectionibus ditati fuerunt Horti botanici foederati Belgii, imprimis Amstelaedamensis et Leidensis, nec non herbaria europaea, maxime BURMANNI, ROYENI, LINNAEI, BERGII, aliorum.

GRUBB, *Michaël*, Svecus, e China redux, promontorium bonae spei vidit, eamque collectionem plantarum, numeratâ pecuniâ ab AUGE sibi acquisivit, quam in Libro de Plantis Capensibus elegantissime descripsit Illustr. BERGIUS.

HOENIG, Danus, sub itinere suo in Malabariam, brevi in Promontorio bonae spei commoratus, indefessâ operâ plantas plures legit, quas cum illustr. LINNAEO communicavit, quaeque in Mantissis describuntur.

BANKS, *Joseph.* Anglus et SOLANDER, Dan., Svecus, iter periculosum in Terras incognitas et circum Orbem suscipientes, in transitu hoc promontorium adscenserunt atque non paucos regionis thesauros aliis suis ditissimis et splendidis collectionibus addiderunt.

THUNBERG, *Carol. Petrus,* Svecus, occasione, quam in Florae meae japonicae praefamine indicavi, ad hasce Australis orbis oras perductus, ab Anno 1772 usque ad Annum 1775, omnis generis Naturalia, praecipue vero Florae Capensis dilectissimas copias sedulâ et indefessâ manu quaesivi, collegi, examinavi et descripsi. Hunc in finem plura suscepi itinera, saepius molestiarum et periculi plena; inprimis vero quotannis ad remotiores regiones, itinere per plures menses producto, penetravi; atque sic per

Dunas arenosas, *Rivos* infidissimos,
Carro aridissimas, *Campos* undulatos,
Littora falsa, *Colles* lapidosas,
Alpes altas, *Praecipitia* montium,
Fruteta spinosa, *Sylvasque* inconditas,

pericula vitae adii, feroces gentes et bruta prudenter elusi, Thule hujus australis gazas speciosas detegendi gratiâ laetus cucurri, sudavi et alsi. Quid vero Ego, pro virili parte et facultatibus exiguis, efficere potui; quid in augmentum Florae pulcerrimae et ditissimae conferre valui, sequentes loquentur paginae. Sunt quidem illa non pauca, quae mihi contigit per triennium detegere nova; sed plura sine dubio effici potuissent, si feliciori sub sidere melius fuissem auxiliis promissis suffultus. Nescio enim, quo casu infelici id mihi contigit infortunii, ut fere semper conatus meos laudandos viderem frustratos, meque ipsum non modo non exhortatum, sed ubique dejectum et omni modo penuriâ pressum. Ingenue enim fateri non erubescam, pauperiorem Florum amorem nunquam peregrinasse, nunquam ardentiori zelo fuisse accensum. Utrique Gubernatori hujus Promontorii D. TULBAGH et RHEEDE van

OUDS HOORN summopere commendatus, *Illum* Fautorem ad meum adventum dudum mortuum inveni, *Hunc* cum navibus postea accedentem inanimem lugere fui coactus, atque sic omni exoptato per biennium destitutus subsidio, mutuatis pecuniis et omnigenâ parsimoniâ, miserando omnino et vix fide digno apparatu, remotissimas oras adii, non sine omni fructu revertens. Quid itaque in augmentum Amabilis Scientiae alea qualiscunque mea conferre valuit, id non laetioribus circumstantiis, sed potius vigori corporis et animi, in juvenili adhuc aetate florentissimo, atque zelo in Scientiae incrementum ardentissimo, obstaculis quibusvis fatigari nescio, adscribendum erit. Plantarum illas species, quae meo ad has oras adventu, Anno 1772, ignotae Botanicis erant Europaeis, *litteris cursivis* notavi *), licet plures earum jam dudum descriptae in variis Botanicorum Celeberrimorum Operibus occurrant. Nimis forsan timidus fui in novis Generibus et quandoque speciebus condendis, naturae non volens turbare Ordines, sed, quantum fieri potuit, indagare et sequi.

SPARRMAN, *Andreas*, Svecus, eodem mecum tempore huc adveniens, in regionibus montium Capensium et imprimis Bay falso insignem collectionem herbarum fecit. Mox vero Illustres Peregrinatores, Patrem et filium, D. FORSTEROS secutus, Australium Terrarum Floras salutatum ivit. Hinc rediens, anno 1776, interiora Africes loca peragravit, Zoologiam imprimis illustravit ac ingens reportavit herbarium Capense, Vir de Historia naturali bene meritus et laetioribus fatis dignus, illustrissimus certe nostri aevi Peregrinator.

SONNERAT, Gallus, COMMERSONII ante Comes, ex Indiis in Patriam revertens, sub mora aliquot hebdomadum, operâ fatigari nesciâ, plantarum in monte Tabulari et adjacentibus collibus florentium sat magnam copiam, me ubique fideli comite, corrasit.

MASSON, *Franciscus*, Anglus, hortulanus a Rege Magnae Britanniae huc missus, anno 1772 brevius cum

*) Harum litterarum nullum neque in classibus 5 prioribus jamjam typis editis, neque in subsequentibus, nunc primum impressis, in Ms. vestigium ullum. Editor.

D. OLDENBURG iter instituit. Deinde annis 1773 et 1774 mecum interiora Africes versus Orientem et Septentrionem imprimis peragravit, plantarum praecipue semina, bulbos et succulentos caules, in Angliam mittendos, attulit, eisque mirum in modum, Hortum *Kewensem* laudabiliter ditavit. Postea Caput bonae spei iterum visit, longinqua instituit itinera et nova non pauca detexit.

OLDENBURG, Svecus, a memet incitatus et eruditus, in Campis Urbem circumjacentibus comes saepe meus indefessus Anno 1772 fuit, et eodem anno iter cum D. MASSON instituens, plantarum copiam collegit. Anno 1774 insulam Madagascar adiit, ubi Febri malignâ correptus diem obiit suprèmum.

FORSTER, *Joh. Reinh.* Pater et Filius, *Georg.* Anno 1772 et 1775, sub itineris ad Terras australes brevi heic morâ, quantum occasio tulerit, Florae Capensis gazas conquisiverunt.

MONSSON, *Anna*, Britanna, Florum et Insectorum amore ducta, cum marito carissimo in Bengalam iter suscipere non recusavit. In hocce promontorio commorans, quovis fere die, me et Massonio comitibus, in urbis viciniis frequentes et operae pretio dignas instituit excursiones botanicas, curiosa varia congessit atque suâ inter Botanophilos carâ memoriâ optime se dignam reddidit.

PATERSON, *Wilhelm.* Anglus, circa 1775 per aliquod tempus, sub sua commoratione, longinquiora suscepit itinera, variaque nova et valde curiosa in patriam suam transmisit.

AUCTORES,
qui de Plantis Capensibus scripserunt.

Pauci sunt, qui Florulas vel Monographias hujus regionis Vegetabilium dederunt; plures, qui in Operibus suis Descriptiones plantarum Capensium sparsas immiscuerunt, ut taceam illos, qui in Actis Eruditorum plures vel pauciores delineationes reliquerunt. Praecipui de plantis capensibus Scriptores sunt:

BREYNIUS, *Jacob.* qui edidit

Exoticarum aliarumque minus cognitarum Plantarum Centuriam primam. Gedan. 1678. Fol. c. Icon. aen.

Prodromum fasciculi rariorum Plantarum, cura *Joh. Phil. Breynii.* Gedan. 1739. 4. c. Tabb. aen.

HERMANNUS, *Paul.* a quo habemus

Horti Academici Lugduno-Batavi Catalogum. Lugd. 1687. 8. c. Icon. aen.

Paradisum Batavum. Lugd. 1698. 4. c. Icon. aen.

Praeter haec Catalogus plantarum africanarum exstat in Appendice ad J. BURMANNI Thesaurum ceilanicum, Amst. 1737. 4. et

Paradisi Batavi Prodromus extat in TOURNEFORTII Schola Botanica, 1699. 12.

PLUKENETIUS, *Leonard.* non paucas depinxit in

Operibus omnibus Botanicis, in sex Tomos divisis, continentibus Phytographiam, Almagestum, Almagesti Mantissam et Amaltheum. Lond. 1720. 4. cum Tabb. aeneis.

COMMELINUS, *Johan.* evulgavit

Horti Amstelodamensis Plantarum Descriptiones et Icones. Amst. Folio 1697 atque

COMMELINUS, *Caspar.*

Plantas Horti Amstelaedamensis Rariores et Exoticas. Lugd. 1706. 4. c. Tabb. aen. nec non

Praeludia Botanica. Lugd. 1703. 4. c. Tabb. aen.

Horti Amstelodamensis Plantarum Descriptiones et Icones. Pars altera. Amstel. 1701. fol. c. Icon. aen.

BOERHAAVE, *Herman.* etiam divulgavit

Indicem alterum Plantarum, quae in Horto Academico Lugduno Batavo aluntur. Part. 1 et 2. Lugd. 1720. 4. c. Icon. aen. imprimis Protearum.

BURMANNUS, *Joan.* imprimendas curavit

Decades X Plantarum Africanarum. Amstelod. 1738—1739. 4. c. Tabb. aeneis et

Monographiam Wachendorfiae Amst. 1757. fol. c. T. et BURMANNUS, *Nicol. Laur.*

Specimen Inaugurale de Geraniis. Lugd. 1759. 4. c. T.

LINNÉ, *Carol.* pat. communicavit

Hortum Cliffortianum. Amst. 1737. fol. c. T. aen.

Mantissam 1 et 2. Holm. 1767 et 1771. 8.

Dissertationes de Flora Capensi, de Plantis africanis, de Aphyteia, Centurias 1 et 2 Plantarum; recusas in Amoenitat. Academicis.

et LINNÉ, *Carol.* fil.

Supplementum Plantarum. Brunsw. 1781. 8. ubi plures occurrunt Centuriae specierum novarum, quas cum Auctore, post meum in Patriam reditum, benevolentissime communicavi.

BERGIUS, *Petr. Jon.*

Descriptiones Plantarum e Capite bonae spei. Stockh. 1767. 8. c. T. aen.

HOUTUYN, *Mart.* novas descripsit et delineavit, in

Natuurlyke Historie. P. 2: e. Amstelod. 8. 1773 — 1783. Volum. 14.

de la ROCHE, *Dan.* pro Gradu ventilavit

Dissertationem: Descriptiones Plantarum aliquot novarum. Leid. 1766. 4. c. Tabb. aen.

AITON, describit plures capenses in

Horto Kewensi. Lond. 1787. 8.

JACQUINUS, Nic. Ioseph. cultas in

Horto Schönbrunnensi plures plantarum species descripsit, pinxit, in

Horto Vindobonensi. Vol. 3. 1770. 6. fol.

Plantarum Rariorum Vol. 3. 1781—93. fol. T. col.

Monographia Oxalidis, iconibus illustrata. Vien. 1794. 4. Tabb. coloratis.

MASSON, *Francis.* splendidum opusculum exhibuit,

Stapeliae novae. Lond. 1796. fol. Tabb. color.

Ego non pauca publici juris feci, scilicet

Prodromum Plantarum Capensium. P. 1. 1794. c. Tab. 3. aen. P. 2. 1800. Upsal. 8.

Dissertationes de Protea, Oxalide, novis Generibus Plantarum, de Iride, Ixia, Gladiolo, Aloë, Medicina Africanorum, Erica, Ficu, Museo Naturalium Academiae Upsaliensis, de Moraea, Restione, Hermannia, Diosmate, Drosera, Melanthio, Hydrocotyle, Arctotide, Aspalatho, Blaeria, Antholyza, Brunia, Phylica, Thesio; praeter omnes, quae in variis Actis Scientiarum insertae sunt, vel Monographias vel sparsas descriptiones.

Plantae in Colonia cultae et mansuetae.

Ut exstaret, quaenam plantae vere indigenae sunt, exclusi omnes, quae aliunde advenae jam sponte crescunt, pleraeque vel circum Urbem in vicinia ejus, vel in hortis, vel etiam aliis locis Colonum cultis, licet jam laete vigeant, floreant et multiplicentur. Ejusmodi plantae cultae et mansuetae in Capite bonae spei plurimae jam occurrunt, huc vel ex India orientali, vel ex Europa allatae. Harum nonnullae adeo mansueverunt, ut regionis incolas facile quisque crederet; aliae tantum coluntur, quarum numerus variare solet, quandoque minui, quandoque augeri. Quae mihi heic obvenerunt peregrinae, enumeratas sistere debui, volui, ne cum vere indigenis confunderentur, nec in ipsa Flora illas inserere opus haberem:

Canna indica.
Amomum Zingiber.
curcuma.
Chionanthus ceilanica.
Veronica officinalis.
Anagallis.
Lemna gibba.
Iris germanica.
susiana.
florentina.
Ficus carica.
Typha latifolia.
Panicum miliaceum.
Alopecurus monspeliensis.
Phalaris aquatica.
Agrostis rubra.
stolonifera.
Poa annua.
Briza media.
virens.
maxima.
Aira aquatica.
Bambusa arundinacea.
Arundo phragmites.
Lolium temulentum.
Secale cereale.
Hordeum vulgare.
Avena sterilis.
sativa.
Triticum hibernum.
Spelta.
repens.
Zea Mais.
Cucurbita Melopepo.
lagenaria.
Citrullus.
Cucumis Melo.
sativus.
Plantago major.
Urtica urens.
dioica.
Morus nigra.
Betula Alnus.
Poterium Sanguisorba.
Anagallis arvensis.
Convolvulus Batatas.
Datura Stramonium.

Solanum sodomeum.
tomentosum.
Lycopersicum.
insanum.
nigrum.
pseudocapsicum.
tuberosum.
Nicotiana Tabacum.
rustica.
Mirabilis dichotoma.
Gardenia florida.
Coffea arabica.
Nerium Oleander.
Capsicum grossum.
annuum.
Gomphrena globosa.
Achyranthes aspera.
Amaranthus albus.
sanguineus.
caudatus.
Viola tricolor.
Corrigiola littoralis.
Chenopodium ambrosioides.
murale.
Cannabis sativa.
Vitis vinifera.
Beta rubra.
Cicla.
Pimpinella Anisum.
Coriandrum sativum.
Anethum graveolens.
Foeniculum.
Pastinaca sativa.
Scandix Cerefolium.
Apium Petroselinum.
Alsine media.
Sambucus Ebulus.
Bromelia Ananas.
Musa paradisiaca.
Narcissus Tazetta.
Hyacinthus orientalis.
botryoides.
Agave americana.
vivipara.
Yucca gloriosa.
Allium Cepa.
Porrum.
Schoenoprasum.
Tulipa Gesneriana.
Lilium candidum.
Acorus Calamus.
Ribes rubrum.
nigrum
Grossularia.
Rumex aquaticus.
Acetosella.
Oenothera parviflora.
Populus alba.
Laurus nobilis.
Camphora.
Aesculus Hippocastanum.
Quercus Robur.
Tamarindus indica.
Ruta graveolens.
Fagus Castanea.
Portulaca oleracea.
Dianthus Caryophyllus.
carthusianorum.
Agrostemma Coronaria.
Githago.
Lychnis dioica.
Scleranthus annuus.
Arenaria rubra.
Spergula pentandra.
Cerastium aquaticum.
viscosum.
Euphorbia peplus.
helioscopia.
Sempervivum arboreum.

Myrtus communis.
Cactus ficus.
Psidium pomiferum.
Eugenia Jambos.
Prunus Cerasus.
armeniaca.
domestica.
Pyrus communis.
Cydonia.
Malus.
Amygdalus communis.
persica.
Punica Granatum.
Rosa gallica.
Fragraria vesca.
Arum esculentum.
Delphinium Consolida.
Ajacis.
Aquilegia vulgaris.
Papaver somniferum.
Anemone coronaria.
Ranunculus aquatilis.
Nepeta Cataria.
Verbena bonariensis.
Rosmarinus officinalis.
Satureja hortensis.
Hyssopus officinalis.
Thymus hortensis.
Teucrium Marum.
Origanum Majorana.
Cochlearia Armoracia.
Raphanus sativus.
Cheiranthus incanus.
Thlaspi bursa.
Sisymbrium Nasturtium.
Brassica oleracea.
Rapa.
Passiflora coerulea.
Melia Azedarach.
Ricinus communis.
Thuja occidentalis.
Juniperus communis,
Pinus sylvestris.
pinea.
Althaea ficifolia.
Malva sylvestris.
Fumaria officinalis.
Lupinus luteus.
Pisum sativum.
Ervum Lens.
Vicia Faba.
sativa.
Phaseolus vulgaris.
Max.
Lotus jacobaeus.
Trifolium angustifolium.
repens.
Citrus Aurantium.
medica.
decumana.
Scorzonera hispanica.
Lactuca sativa.
Sonchus oleraceus.
Tragopogon porrifolium.
Cichorium Intybus.
Cynara Scolymus.
Carthamus tinctorius.
Artemisia pontica.
Carduus marianus.
Centaurea Benedicta.
Tagetes patula.
erecta.
Calendula officinalis.

Veronica Anagallis crescit in fossis rivulorum circum Urbem Cap et alibi, etiam in remotis regionibus, cultis tamen, sic ut seminibus ex Europa allatis heic spontanea reddita sit. Floret Octobri.

Lemna gibba crescit in aquis rivuli prope Cap.

Ficus caricae frutex, ex Europa huc allatus, ob fructus venales, multum hic loci a colonis colitur.

Typha latifolia occurrit in rivulis infra Constantiam; floret Majo et sequentibus mensibus. Observante D. de BRETON, seminum lanugo cum Gossypio mixta vestibus pertexendis inservit.

Agrostis stolonifera crescit in collibus juxta Urbem. Culmi filiformes, articulati, geniculo inflexi, bipedales.

Poa annua, crescens hinc inde locis cultis et in collibus urbem circumjacentibus.

Avena sterilis hinc inde occurrit, ex Europa allata. Maximas interdum calamitates Colonis quibusdam adfert, quorum agros triticeos omnino deperdit, a vehementissimis ventis agitata semina vix adhuc matura disseminans.

Arundo phragmites dicitur a Colonis Vaderlands Riet, crescens in fossis prope Cap et alibi in fluviis, vulgaris. Folia latiora heic gerit, quam in Europa.

Triticum repens, hinc inde jam spontaneum occurrit, e cujus radicibus mundificantia sibi decocta parare sciunt Incolae.

Triticum hybernum ubique et communissime colitur a Colonis omnibus, maxime propius Cap, a sato usque triginta et ultra utplurimum semina, eaque ponderosa, colligentibus.

Triticum Spelta rarius coli solet.

Hordeum vulgare pro cerevisia colitur atque pro alendis pecoribus gramine recenter dissecto.

Betula Alnus in fossis inter Taffelberg et Leuweberg alibique prope Cap jam laete viget, ex Europa allata.

Anagallis arvensis in collibus sabulosis prope Urbem floret mensibus Julii et Augusti.

Nicotiana Tabacum saepius, *rustica* parcius colitur a rusticis ab urbe remotius habitantibus.

Solanum sodomeum, insanum et *tomentosum* circum Cap et alibi in collibus floret Julio et insequentibus mensibus.

Achyranthes aspera prope Paradys, in fossis infra Taffelberg et prope Cap copiose crescens floret Majo.

Chenopodium murale in latere occidentali infra Taffelberg floret Julio et Augusto.

Chenopodium ambrosioides juxta plateas in ipsa urbe et in hortis floret Januario atque sequentibus mensibus.

Corrigiola littoralis crescit prope urbem et alibi, florens Julio et subsequentibus mensibus.

Anethum graveolens juxta plateas Urbis et fossas ejus, prope hortos et villas, per semina sine dubio ex Europa huc advena crescit sua sponte.

Agave Americana ex Europaeo quodam horto botanico forsan huc primum translata in collibus infra Taffelberg et Duyvelsberg apricis hodie crescit spontanea et floret quotannis, scapis suis elatis speciosa.

Populus alba inter Taffelberg et Leuwekopp in fossa montis crescentem inveni, ex Europa primum allata.

Quercus Robur colitur in urbe ante domos pro ornamento, et alibi spontanea quoque obvenit. In Horto Societatis sepes vivas format.

Scleranthus annuus in lateribus Leuwestaart inque collibus prope urbem floret Julio et Augusto, ad finem hyeme vergente.

Arenaria rubra in littore prope portum floret Majo et sequentibus mensibus.

Spergulam pentandram in arvis et hortis prope Cap, Drakensteen, Roode Sand, Constantiam alibique inveni florentem Junio et sequentibus sub media hyeme mensibus.

Agrostemma Githago inter *Triticum satum* juxta Fransche Hoek et alibi, ex Europa advena. Versus finem anni floret.

Lychnis dioica rarius in summo latere Taffelberg reperitur.

Cerastium aquaticum et *viscosum* in collibus prope Cap crescunt et flores aperiunt Julio atque Augusto.

Euphorbia Peplus, Colonis Hundekruyd dicitur, atque tam in, quam extra hortos urbis et Colonum vulgaris occurrit, florens Majo et sequentibus mensibus hyemalibus.

Punica granatum juxta urbem et apud rusticos in hortis ob fructum sapidum colitur.

Amygdalus persica et *communis* vulgaresa luntur in hortis Urbis et villarum proximarum Colonum, ob fructus venales.

Eugenia Jambos, arbor ex India, fructifera culta occurrit in nonnullis hortis.

Laurus camphora rarior heic loci culta.

Laurus nobilis in horto Societatis et alibi sepes vivas, altissimas, flexiles et formosissimas format. Flores ejus sunt hermaphroditi staminibus 9, 11, usque pluribus.

Cactus ficus spontaneus quandoque et etiam pro sepibus vivis cultus occurrit.

Myrtus communis in hortis Europaeorum sepes vivas pulcherrimas et flexiles formans floret mense Aprilis.

Passiflora caerulea juxta Cap crescit et culta et spontanea reddita.

Ricinus communis in hortis Europaeorum et colitur et occurrit sponte. Incolis frutex dicitur Oly-boom. Etiam in Krakakamma, longius a Cap, regione multum desertâ crescentem inveni. Floret Septembri et sequentibus mensibus. Oleum seminum leniter laxans alvum solvit.

Malva sylvestris a Cap usque ad Swellendam vulgaris occurrit, semper tamen in vicinia villarum et habitationum colonum. Floret Septembri et Octobri.

Artemisia pontica ad rivulos infra latus orientale Taffelberg et infra Constantiam provenit, floretque mense Aprilis et Maji.

In Hortis Europaeorum tam in ipsa urbe, quam in Coloniae villis, et quoque extra hortos sponte crescentes inveni plantas extraneas sequentes, scilicet:

Euphorbiam Helioscopiam, quae floret Junio, Julio.

Brizam mediam, virentem et *maximam*, florentes Octobri et sequentibus mensibus.

Airam aquaticam, florentem Februario.

Plantaginem majorem valde communem et mediâ aestate florentem.

Daturam Stramonium, florentem Julio.

Solanum nigrum, quod quoque obvenit in Leuweberg, infra Paardeberg et alibi. Floret Augusto et sequentibus mensibus. Succus hujus pro unguentis ad fananda ulcera exprimitur a Colonis.

Cannabim sativam, quae in quibusdam oris ab urbe remotis culta occurrit, etiam a nonnullis Hottentottis, qui plantam cum *Tabaco* mixtam, ut fortius inebriet, fumare solent.

Praeterea intra et extra hortos urbis crescunt *Thlaspi bursa; Vicia sativa*, florens Julio et interdum pro nutrimento equorum culta, atque *Carduus marianus* vulgaris.

Trifolium angustifolium colles amat capenses, florens Novembri et Decembri, atque

Trifolium repens plateas ipsas urbis, florens Majo, Junioque. Caulis decumbens, repens, glaber. Folia obcordata, nervosa, glabra.

Sisymbrium Nasturtium, florens Januario, et

Sonchus oleraceus, in vinetis imprimis frequens, florens a Junio usque in Augustum. Variat heic, uti alibi foliorum figurâ et magnitudine.

LOCA.

et *habitationes* plantarum indicavi, ut Hortulanis Solum innotesceret uti et *Tempus florendi*, si forsan quid circa culturam in Hortis Europaeis utilitatis adferre possit. Loca vero ipsa heic explicare eo minus necesse duxi, quo accuratius illa in ITINERARIO meo fusius descripsi.

USUM

Herbarum, Fruticum, Arborum, earumque partium semper indagare annisus fui, breviterque ad finem descriptionum adferre volui, tam oeconomicum, quam medicum.

SYSTEMATICUM

Ordinem eundem heic secutus fui, ac in FLORA mea *Japonica*, adeoque exclusi Classes GYNANDRIAE, MONOECIAE, DIOECIAE et POLYGAMIAE. Negare quidem non volo, etiam plures Classes in Systemate sexuali minoris esse momenti. ENNEANDRIA pauca, POLYADELPHIA pauciora adhuc, HEPTANDRIA paucissima genera comprehendit. Plures quoque circa MONADELPHIAM et DODECANDRIAM observationes adferri possent; has tamen omnes Classes sancte servare volui, quamdiu Scientiae addiscendae et promovendae non obfuerint.

Sic Plantarum, quas vir juvenis olim collegi, jam Senex ultra Sexagenarius, Tibi B. L. exhibeo descriptiones, dudum ante quindecim annos pro prelo paratas. Prodibit, D. V. haec Flora sensim, parvis fasciculis comprehensa, plurium annorum indefessus labor et virilis aetatis, inter plurima alia negotia Academica, curae atque lucubrationes.

Upsaliae d. 17. Octobr. 1806.

PRAEFATIO EDITORIS.

Florae hujus classes duae priores impressae fuerant in Fasciculo I. Voluminis I., qui *Upsaliae* MDCCCVII. litt. Joh. Frid. *Erdmann* pp. 144 comparuit. Classis tertiae Ordo I. Fasciculo II. ejusdem voluminis absolvebatur et prodibat *Upsaliae* MDCCCXI. typ. *Stenhammar* et *Palmblad*, reg. Acad. Typograph., qui etiam, anno demum MDCCCXIII., Fasciculo III., a pag. 387 ad 578, Ordines reliquos Classis tertiae impresserant cum Classe quarta. Quinta Classis in Voluminis II. Fasciculo I., pagg. tantum 248, nonnisi manca, omissà nempe Crassulà, typis evulgata fuerat *Hafniae* MDCCCVIII. apud Gerh. *Bonnier*. A. Crassula ad Mucorem usque quidquid in praesente editione continetur, ex ipso illustriss. auctoris MS., ab eodem reviso, typis nunc demum mandatum fuit.

Ratio, quam in curanda editione haecce Florae Capensis, ab illustrissimo auctore, nunc jam venerando octogenario et professore jubilaeo, nobis benigne concessa, ab illustriss. L. B. *Cotta de Cottendorf* amice commissa, secuti fuimus, haec erat, ut

I. textum Classium quinque priorum ad *Crassulam* usque infeliciter pluribus locis impressum, ex MS. illustr. auctoris emendatiorem et locupletiorem redderemus, posteriorum vero nondum typis mandatarum ex schedulis MS. auctoris omni solertiâ et industriâ ederemus. Hinc

II. nullâ, quod passim in pluribus operum botanicorum editionibus fieri nunc solet, interpolatione, ne minimâ quidem, contaminaremus, ita, ut hic mentem auctoris sinceram intelligas, nullis additionibus obscuratam.

III. in Lectorum usum commodiorem

a. Synopsin generum ad normam Systematis Linneani, ab illustriss. auctore emendati, fronti operis praefiximus.

b. characterem generis cujusvis, e quo hîc species recensentur, specierum enumerationi praeposuimus ita, ut nullos novos, etiamsi emendatiores, generum characteres intrudamus, sed illos tantum vocaremus in medium, quos aut auctor ipse in novis suis generibus statuit, aut quos laudavit ad suas species ille, quem instar synonymi adduxerat.

c. repetita in descriptione ex diagnosi verba suppressimus, ne bis eadem proferantur. Ubi fors in diagnosi alii, quam in descriptione, characteres occurrunt, notulam passim adjecimus, ne videamur in revisione MSi obdormivisse.

d. generibus speciebusque numeros suos praefiximus.

e. indicem adjecimus specierum, ibique ab aliis, nec ab illustrissimo auctore, laudata ad species Thunbergianas synonyma adnotavimus cum asterisco.

Cum inventis facile sit addere, ex editione nostra Systematis Vegetabilium plantas capenses, post illustrissimum auctorem nostrum in promontorii bonae spei detectas, nec ab illo recensitas, in commodum peregrinatorum proxime enumerabit filius.

Nec inutile juvenibus, nec ingratum viris senibusque fore duximus, si, „quid virtus et quid sapientia possit," ex illis, quae nobis de vita, rebus gestis et scriptis illustrissimi Commendatoris Caroli *Thunberg*, qui

„ multorum providus urbes
Et mores hominum inspexit, latumque per aequor
Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
Pertulit, adversis rerum immersabilis undis"

tam ex sui ipsius, quam amicorum suorum litteris innotuerunt, paucis hîc subjungemus.

Junecopiae in Smolandia, Sueciae provincia, mercatore patre, natus est Carol. Petrus *Thunberg* 11a No-

vembris 1743., ibique in schola triviali prima studiorum fundamenta omni magistrorum suorum suffragio feliciter jecit. Anno aetatis suae 18vo, 1761., Upsaliae adiit universitatem, ubi, post indefessa novem annorum studia, anno 1770. Medicinae Licentiatus, anno 1772. Medicinae Doctor rite promotus fuerat. Anno 1767, praeside divo a *Linne*, pro exercitio, disputavit *de venis resorbentibus*, et, pro gradu, anno 1770., *de Ischiade*, praeside D. P. *Sidrèn*.

Eodem, quo Doctor Medicinae promotus fuerat, anno per Daniam et Belgium iter instituit Parisias ad celeberrimos tunc in hac urbe Chirurgiae et artis obstetriciae magistros. Reversus anno subsequente, 1771., per Belgium, ibique Magister Chirurgiae et Medicus navalis constitutus, adiit promontorium bonae spei, ubi, per annos tres commoratus, non tantum vicinas urbi regiones, sed bonam Hottentottorum Caffrorumque ditionis partem haud sine periculis peragravit, pluresque tunc temporis novas priusque incognitas plantarum et animalium species detexit. Miseriarum, quas ibidem perpessus est, meminit ipse in praefatione ad Floram capensem. Anno 1775. in Javam e promontorio vela dedit, et a Batavia in Japoniam munere ornatus Medici Legationis Batavae. Postquam ibidem per menses 16 et ultra commorasset, instituto in Jedo, imperatoris aulam, cum Legato batavo itinere, in Javam reversus insulae hujus dimidiam fere partem perlustrabat, haud paucos ibidem naturae thesauros colligens. Ceilonam invisit anno 1777., orasque dimidiae hujus fere insulae peragravit, unde demum, salutato iterum notissimo sibi promontorio b. spei, in Belgium anno 1778, feliciter rereversus, et Britanniam salutatus, per Belgium et Germaniam rediit ad patrios lares.

Interea anno 1777. Demonstrator Botanices Upsaliae nominatus fuerat, et, cum anno 1780. Linnaei equitis filius iter ad exteros fecisset, hujus interea vices gessit tantis omnium laudibus, ut placuisset regi, illum, honorario academico aucto etiam plus duplo, Professorem constituere extraordinarium, et, anno 1784., post Linnaei filii obitum, Professorem Medicinae et Botanices de-

signare, ornare subsequente anno insignibus regii ordinis de Wasa, cujus, e singulari regis gratia, anno 1815. factus est Commendator.

Regum tamen dulcissimae suae patriae in se munificentiâ eâ, quae decet virum ingenuum et liberalem, ratione, non in suum, sed in patriae, in scientiarum, in generis humani commodum utebatur: itaque illi contigerat, magni regis Gustavi III. favore, non tantum universitati Upsaliae novum et ampliorem hortum botanicum cum caldariis frigidariisque, sed etiam Museum, et auditorium elegantissimum aliaque plura conciliare.

Si vero, ut Flaecus ait, „sapiens et rex“, regiâ sane munificentiâ noster etiam Commendator e suis patriam universitatem ditavit thesauris, quippe qui herbarium suum plantarum circiter 24 millia continens, semina quam plurima, mineralia plura, mammalia 230, aves 680, amphibia 150, pisces 207, insecta 5000, vermes 65, conchylia et corallia 1115, avium ova 70, nidos 8, crania 20 Academiae upsaliensi dono dedit. Adeo verum illud: „beatius dare quam accipere“; nec ullibi generosior viget amor patriae, quam in regnis mutuâ regentûm et regnatorum fide constitutis, e quibus nobilissima Suecia, cui orbis terrarum genuinam et veram evangelicam religionem debet, primum et antiquissimum est regnum. Ingenuo huic amori patriae venerabilis nunc jam fere octogenarii, qui tanto licet annorum pondere pressus, etiamnum praeest Orphico, Horto, Museo, lectionibus, respondet mutuus etiam civium, imprimis, popularium suorum Smolandorum, amor, quorum inspector, ut aiunt, nationis per annos triginta et ultra fuit, et qui in memoriam officii, sancte pureque praestiti, nummum excudi curaverunt venerandi senis effigie exornatum.

Neque tamen Upsaliae soli indulgebat, sed etiam Museo Holmensi et Lundensi, et pluribus popularium suorum collectionibus privatis, et neque his tantum, sed etiam exterorum, ut mirum non sit, „si“ ut verbis utar viri suecici, „forsan nemo hucusque e meis popularibus tanto numero et amicorum inter exteros et Academiarum Societatumque litterariarum, in quarum gre-

mium receptus est, gloriari poterit, quam noster C. P. Thunberg. "*)

*) Academiae et Societates Scientiarum, quarum Diplomatibus honoratus fuit Thunberg, sunt sequentes:

1. Imperialis Naturae Curiosorum. 177. — 2. Nidrosiensis Norvegiae (Trondhjem) 1772. 17. Oct. — 3. Lundensis physiographica. 1775. 8. Dec. — 4. Upsaliensis litteraria. 1777. — 5. Holmensis Acad. Scient. 177— — 6. Harlemensis. 1781. 21. Maj. — 7. Amstelodamensis. 1781. 4. Aug. — 8. Holmensis Patriot. Oeconom. 1782. 16. Mart. — 9. Monspeliensis. Scient. 1784. 1. Julii. — 10. Parisiensis Agriculturae. 1785. 7. Julii. — 11. Zelandica Vlissingensis. 1785. — 12. Berolinensis Naturae Scrutatorum. 17— — 13. Edinburgensis Naturae Studiosorum. 1786. 4. Maj. — 14. Edinburgensis Medicinae. 17— — 15. Florentina. 1787. 7. Febr. — 16. Parisiensis Scientiar. Corresp. 1787. 5. Sept. — 17. Hallensis Naturae Scrutator. 1787. 12. Maj. — 18 Londinensis Scientiarum. 1788. — 19. Londinensis Linnaeana. 1788. 8. Mart. — 20. Londinensis Medica. 1789. — 21. Batavica (in Insula Java.) 17. — 22. Parisiensis Historiae Naturalis. 1791. 7. Jan. — 23. Philadelphica. 1791. 15. April. — 24. Hafniensis Historiae Naturalis. 1792. 8. Jun. — 25. Turicensis (Zürich) Physica. 1793. 2. Febr. — 26. Jenensis physica. 1793. 14. Jul. — 27. Göttingensis physica. 1797. 7. Januar. — 28. Holmensis pro Scient. commun. Social. 1797. 5. Apr. — 29. Hafniensis Litterat. Scandinav. 1797. 14. Sept. — 30. Madritensis Medica. 1798. 22. Jan. — 31. Parisiensis Medica. 1798. — 32. Aboënsis Öconomica. 1798. 31. Dec. — 33. Petropolitana Imperialis. Scient. 1801. 15. April. — 34. Monspeliensis Medica. 1801. 9. Thermid. — 35. Göttingensis Phytographica. 1802. — 36. Nancyensis Scientiar. 1802. 22. Sept. — 37. Parisiensis Instit. Nation. 1804. 23. Jun. — 38. Göttingensis Scientiar. 1804. 24. Nov. — 39. Moscoviensis des Naturalistes. 1805. 18. Sept. — 40. Parisiensis, Medicale d'Emulation. 1806. 21. Jul. — 41. Wetterauiensis Histor. Naturalis. 1808. — 42. Amstelodamensis Reg. Scient. et artium. 1809. — 43. Gorenkensis phytographica. 1810. 8. Jan. — 44. Petropolitana imperialis Acad. Medico-Chirurg. 1810. 1. Febr. — 45. Holmensis reg. Colleg. Sanitatis, Memb. honorar. 1811. 16. Maj. — 46. Holmensis Acad. Agricult. 1812. 5. Dec. — 47. Holmensis Medica. 1813. 19. Oct. — 48. Upsaliensis Öconomica. 1813. 31. Dec. — 49. Holmensis Biblica. 1814. 13. Sept. — 50. Monachiensis (München) Scientiarum. 1808. 1. Apr. — 51. Erlangensis, physico Medica. 18. — 52. Wermelandica Öconomica, Honorarius. 1815. 15. Mart. — 53. Westmannica Öconom. Honorarius. 1816. 21. Sept. — 54. Örebroënsis Öconom. Honorarius. 1816. 5. Nov. — 55. Marburgensis Scient. Natur. 1817. 13. Sept. — 56. Upsaliensis Biblica. 1818. — 57. Calmariensis Öconomica. 1818. 6. Oct. — 58. Gothoburgensis Scientiarum. 1818. 16. Dec. — 59. Londinensis Scientiae Horticulturalis. 1819. 4. Maj. — 60. Petropolitana Societ. pharmaceut. Honorarius. 1819. 29. Mart. — 61. Lipsiensis Naturae Scrutatorum Honorarius. 1819. 7. Nov. — 62. Junecopensis Öconomicae Honorarius. 1821. 18. Jan.

Orbus olim, et utinam sero, descendet quo Tullus dives et Ancus, uxore jam diu praecessâ; attamen non orbus filiis, quos ingenio suo sibi genuit non inter populares suos tantum, sed etiam inter Germanos nostros, Danosque et Britannos et ultimos Scythas et Americanos. E Ceilonae quoque incolis discipulos aluit.

Qui cum venerabili nostro seni diutius versati sunt, eundem nobis staturâ corporis mediocri esse, semperque sanum vixisse narrant; temperamento gaudere sanguineo, unde morum suorum suavitas et affabilitas, et, quae magnorum semper virorum fuit comes, modestia, quâ gratus omnibus, carus amicis, quorum, licet plures numeret, nullum deseruit unquam. Nescit enim, justus potius quam severus, irasci aut persequi odio. Uti denique in longis periculosisque suis itineribus per omnes orbis antiquioris plagas sub praesente periculo semper se prudenter audacem, sic domi laboris patientissimum numerosissimis suis et operosis operibus comprobavit, quorum sequentia nobis innotuerunt:

1.) Iter in Japoniam per Europam, Africam, Asiam. P. I — IV. 1788 — 93. *suecice.* (Prostat versio *gallica* in 8 et 4; *germanica*, 4 vol.; *anglica*, 4 vol. c. tab.) — 2. Oratio introductoria in Acad. Scient. Holm. de nummis japonicis. 8. 1779 c. tab.. (versio belgica 1780; germanica 1784.) — 3. Oratio renunciat. Rectoratus. 1784 (versio germanica 1785.) 4.) Oratio funebris in obitum Doct. Montin. 1791. — 5.) Oratio inaugural. novi Horti Upsal. 1807. — 6.) Flora japonica. Lips. 1784. 8. c. 39 tab. — 7.) Prodromus Florae capensis. P. I et II. c. tab. — 8.) Flora capensis. Fasc. 1. 2. 3. — 9.) Icones plantarum japonicarum. Dec. I. — V. c. tab. aeneis; (restant Decades plures ineditae, uti et: — Icones plantarum capensium Centuria ined. tabular. elegantissimi coloratarum) — 10.) Mammalia Sueciae. 8. suecice. — 11.) Programmata academica plurima.

Opuscula varia in diversis Societ. et Acad. Actis impressa:

I. *In Actis Reg. Acad. Scient. HOLMENS.*

1. Casus Cerussae, in Cibo usurpatae. 1773. 1. Qu. p. 29. — 2. Hydnora Africana. 1775. 1. Qu. p. 67. c. Tab. — 3. Pneumora. 1775. 3. Qu. p. 254. c. Tab. — 4. Rothmannia. 1776. 1 Qu. p. 65. c. T. — 5. Radermachia. 1776. 3. Qu. p. 250. — 6. Observationes in Hydnoram africanam. 1777. 2. Qu. p. 14. c. T. — 7. Bezoar equinum. 1778. 1. Qu. p. 27. — 8. Ehrharta. 1779. 3. Qu. p. 216. c. T. — 9. de Cinnamomo Ceilanico. 1780. 1 Qu. p. 55. (Translatum in Actis Vlissingensibus. Tom. 12. part. 1. p. 296.) — 10. Weigela japonica. 1780 2. Qu. p. 137. c. T. — 11. Fontes calidae in Africa et Asia. 1781. 1. Qu. p. 78. — 12. Insecta duo incognita. 1781. 2. Qu. p. 168. — 13. Noctua Serici. 1781. 3. Qu. p. 240. c. T. — 14. Nucis Moschatae duae species. 1782. 1. Qu. p. 46. c. T. — 15. Observationes Ornithologicae. 1782. 2. Qu. p. 118. — 16. Fagraea ceilanica. 1782. 2. Qu. p. 152. c. T. — 17. Usus Olei Cajoputi. 1782. 3. Qu. p. 223. — 18. Nipa. 1782. 3. Qu. p. 251. — 19. Licuala. 1782. 4. Qu. p. 284. — 20. Houttuynia cordata. 1785. 2. Qu. p. 149. c. T. — 21. de Asteriis Observationes. 1783. 3. Qu. p. 224. — 22. Ceilonae insulae Mineralia et lapides pretiosi. 1784. 1. Qu. p. 70. — 23. Loxiae capenses. 1784. 4. Qu. p. 286. — 24. Albuca. 1786. 1. Qu. p. 57. — 25. Orchides. 1786. 4. Qu. p. 254. — 26. Lacertae novae. 1787. 2. Qu. p. 123. c. T. — 27. Testudines tres spec. 1787. 3. Qu. p. 178. c. T. — 28. Willdenowia. 1790. 1. Qu. p. 26. c. T. — 29. Pisces japonici duo. 1790. 2. Qu. p. 106. c. T. — 30. Wahlbomia indica. 1790. 3. Qu. p. 215. c. T. — 13. Gobius patella et Silurus lineatus. 1791. 3. Qu. p. 190. (T. 6. — 32. Callionymus japonicus et Silurus maculatus. 1792. 1. Qu. p. 29. T. 1. — 33. Perca sexlineata et picta. 1792. 2. Qu. p. 141. T. 5. — 34. Perca trilineata et septemfasciata. 1793. — 35. Ostrea gigas. 1793. — 36. Piscium duae spec. japonicae. 1793. 37. — — — contin. 1793. — 38. Cyanella. 1794. — 39. Toxicodendrum. 1796. — 40. Cordyle. 1797. — 41. Tortrices. 1797. — 42. Aves Svecici. 1798. — 43. Nucis Moschatae novae species. 44. Oedmannia. — 45. Triaeus. — 46. Ptyocerus et Ripidius. — 47. Boa variegata. 1807. — 48. Variationes Avium. 1808. — 49. Hydnora tetrandra. 1808. — 50. Sphex figulus. 1808. — 51. Placenta Sella. 1809. — 52. Pneumonae species. 1810. — 53. Blattae novae species. 1810. — 54. Antilopa monticola. 1811. — 55 Viverra felina. 1811. — 56. Nidus (avis) Hirundinis edul. 1812. — 57. Gnatocerus et Thaumacera. 1814. — 58. Gladiolus Sparrmanni. 1814. — 59. Felis borealis. 1815. c. T. — 60. Bruchi species novae. 1816. — 61. Platalea pygmaea. 1816. — 62. Dasypus multicinctus. 1818. — 63. Mydas gigantea. 1818. p. 246. T. 9. — 64. Tetrapteryx capensis. 1818. p. 242. T. 8. — 65. Simia albifrons. ♂. ♀. 1818. p. 65. T. 3. 4. — 66. Hyaena brunea. 1821. — 67. Blechnum simplex et Mortensia speciosa. 1821.

II. *In Actis Acad. Caesareae Natur. Curios.*

1. Crassulae novae species. 28. — 2. Mesembryanthemi species novae. 21.

III. *Berolinens. Natur. Scrutat.*

1. Dilatris genus. — 2. Penaea.

IV. *Nidrosiensis Societ.*

1. Hypoxis genus. — 2. Cliffortiae genus.

V. *Harlemens. Societ.*

1. Observationes thermometricae in Japonia habitae. — 2. Cryptogamarum fructificatio in Cycade et Zamia.

VI. *Londinensis Societ.*

1. Narratio itineris in Japoniam. — 2. Citodium; usus, praeparatio.

VII. *Monspeliensis.*

1. Carapo asiaticus, piscis. 178. c. T.

VIII. *Lundensis Physiograph.*

1. Retzia capensis. 1776. c. fig. — 2. Montinia et Papiria. 17. — 3. Aloës paratio in Africa. 17. — 4. Aitonia capensis. 17. c. fig. — 5. Faikia repens. c. fig. — 6. Syngnathi nova species. c. fig.

IX. *Upsaliensis Societas Litter.*

1. Cycas caffra. (Zamia). 1775. vol. 2. c. fig. — 2. Kaempferus illustratus. P. 1. 1780. vol. 3. — 3. Cuffoniae Genus. 1780. vol. 3. c. fig. — 4. Novae Insectorum Species Suecicae. 1785. vol. 4. c. fig. — 5. Kaempferus illustratus. P. 2. 1783. vol. 4. — 6. Curculio cycadis (Zamiae.) 1785. vol. 4. — 7. Descriptiones insectorum Svecicorum. 1792. vol. 5. p. 85. — 8. Batschia a Dr. Mutis. 1792. vol. 5. p. 120. T. 2. — 9. Observationes in Linguam japonicam. 1792. vol. 5. p. 258. — 10. Betula japonica. 1798. — 11. Brachyceri genus. 1798. — 12. Hedysari species. 4. 1798. — 13. Colcoptera rostrata. 1815. vol. 7. p. 104. — 14. Tellinae tres novae species. 1815. vol. 7. p. 146. — 15. Philanthi genus. 1815. vol. 7. p. 126. — 16. Plantae japonicae illustratae. 1815. vol. 7. p. 126. — 17. Anthreni Monographia. 1815. vol. 7. p. 130. — 18. Acrydii Descriptio. 1815. vol. 7. p. 157. — 19. Additamentum ad Philanthi genus. 1815. vol. 7. p. 286. — 20. Colcoptera Capensia antennis fusiformibus. 1821. vol. 8. 1. p. — 21. Alurni tres novae species. 1821. vol. 8. 1. c. fig. 3. p. — 22. Ovis polyceratae varietates. 1821. vol. 8. 1. c. fig. 5. p. — 23. Colcoptera capensia antennis filiformibus. 18. — vol. 8. 2. p. — 24. Colcoptera capensia antennis setaceis. 18—. vol. 8. 2. p. —

X. *Parisiens. Histor. Natur. Societ.*

1. Boscia undulata. 17. — 2. Descriptio 13 japonic. et 341 capens. incognit. plant.

XI. *Parisiens. Societ. Medic. d'Emulation.*

1. Avenae Capenses. 1810. c. fig.

XII. *Parisiens. Institut. gallici.*

1. Carices japonicae. 7. 1810. c. fig.

XIII. *Societ. Nancyens.*

1. Carices capenses. 4. 1810. c. fig.

XIV. *Hafniensis Histor. Natur. Societ.*

1. Dahlia crinita. Tom. 2. P. 1. p. 153. Tab. 4. 17. — 2. Rohriae species novae Tom. 3. P. 1. p. 97. Tab. 4—13. 17. — 3. Gorteriae species. — 4. Rohriae species 6. — 5. Gladioli. — 6. Convolvuli.

XV. *Londinensis Linnean. Soc.*

1. Dillenia. vol. 1. p. 198. Tab. 3. 1791. — 2. Observationes in Floram japonicam. vol. 2. p. 326. 1794. — 3. Chironiae. c. Tab. 2. — 4. Lycia capensia. c. Tab. 4.

XVI. *Hallensis Soc.*

1. Oenanthis species capenses. 18.

XVII. *Gorenghensis Soc. phytograph.*

1. Gramina capensia. 1811. c. T. — 2. Trachelium, Samolus, Polemonium, Roëlla. 1811. c. T. 4. — 3. Lobeliae capenses. 1811. c. fig. 11. — 4. Rhamni capenses. 1812. c. fig. 2 color. — 5. Solana capensia. c. fig. 2 color. 1812. — 6. Celastri novae species capenses. 1812. c. fig. 5 color.

XVIII. *Moscoviens. imper. Litter.*

1. Lucani Monographia. Tom. 1. p. 183. Tab. XII. — 2. Poae capenses. Tom. 3. p. 43—48. Tab. IV. V. VI. VII.

XIX. *In Schraderi Journal.*

1. Genera duo nova Plantar. capens. vol. 1. p. 317. — 2. Diosma. — 3. Asperifoliae. c. T. 1.

XX. *Roemeri Archiv botan.*

1. Connarus decumbens. 1. B. p. 1. T. 1. — 2. Nova plantarum genera. 2. B. p. 1. —

XXI. *Weberi Journal.*

1. Ixiae 5, Restiones 5, Diosmae 5, Cynanchi species c. Tab. — 2. Orchideae capenses. Beyträge 2. B. p. 1. 1813.

XXII. *Petropolitana Acad. Scient.*

1. Caenopteris. Nov. Act. T. 9. p. 157. Tab. D. E. F. G. — 2. Fumariae 4 species novae. ibid. T. 12. p. 101. Tab. A. B. C. D.

— 3. Contortae. ibid. Tom. 14. p. 503. Tab. 9. — 4. Hermas. ibid. T. 14. p. 527. Tab. 11. 12. — 5. Proteae novae. ibd. T. 15. p. 458. T. 3. 4. 5. 6. 1806. — 6. Galii species capenses. Memoir. Tom. 1. p. 326. Tab. VII. VIII. IX. X. — 7. Lilia japonica. — ibd. Tom. 3. p. 200. Tab. III. IV. V. — 8. Mammalia capensia. ibd. T. 3. p. 299. — 9. Campanulae capenses. ibd. T. 4. p. 364. T. 5. 6. 7. — 10. Colcoptera rostrata capensia. ibd. T. 4. p. 376. — 11. Hemipterorum Maxillosorum Genera. ibd. T. 5. p. 211. T. 3. 1815. — 12. Colcoptera capensia clavâ fissil. ibd. T. 6. p. 395. — 13. Descriptiones 4 spec. novarum Proteae. ibd. T. 6. p. 546. T. 14. 15. 16. 17. 1818. — 14. Colcoptera capensia clavâ solidâ et perfoliatâ. ibd. T. 7. p. 362. — 15. Ursus brasiliensis. ibd. T. 7. p. 400. Tab. 13. — 16. Insecta Ichneumonidea. 1811. — 17. Piprae novae species. 1821. c. fig. color. — 18. Species novae e Rutelae genere. 1821. c. fig. color. — 19. Trachyderes Sex novae species c. fig. 5. color. —

XXIII. *Societ. Scient. Gothoburgens.*

1. Pantophthalmus tabacinus. nov. Act. vol. 3. p. VII. Tab. color. 1819. — 2. Tapera brasiliensis. nov. Act. 1819. p. 1. c. Tab. col. — 3. Rhederostra. 1821. c. Tab. col.

XXIV. *Academ. Oeconom. Holmens.*

1. Arbores, frutices et herbae exoticae, quae clima Sveciae ferunt. 1816.

XXV. *Societ. Oeconom. Upsaliens.*

1. Plantationes arborum. 1816. Act. 1. fasc. p. 48. — 2. Gramina, culturae idonea. 1819. ibd. p. 70. — (3. 4.) Compendium priorum 1 et 2. 18. — 3. Vermes arboribus fructiferis noxiæ. 1817. p. 38. 2. fasc. — 4. Gramina, quae, utiliter coli possunt. 1817. p. 43. — 5. de Mure terrestri, Arboribus noxio. 1817. p. 25. fasc. 3. — 6. Fiorin-gramen. 1817. p. 40. fasc. 3.

Dissertationes Academicae Upsalienses.

1780.

1. Gardenia. c. T. 2.

1781.

2. Protea. c. T. 5. — 3. Oxalis. c. T. 2. — 4. Nova Plantar. Genera. P. I. c. T. — 5. P. II. c. T. 1782. — 6. P. III. c. T. 1783. — 7. P. IV. c. T. 1784. — 8. P. V. c. T 1784. — 9. P. VI. 1792. — 10. P. VII. 1792. — 11. P. VIII. 1798. — 12. P. IX. 1798. — 13. P. X. 1800. — 14. P. XI. 1800. — 15. P. XII. 1800. — 16. P. XIII. 1801. — 17. P. XIV. 1801. — 18. P. XV. 1801. — 19. P. XVI. 1801. — 20. Novae Insector. spec. P I. c. T. — 21. P. II. c. T. 1783. — 22. P. III. c. T. 1784. — 23. P. IV. c. T. 1784. — 24. P. V. c. T. 1789. — 25. P. VI. c. T. 1791.

1782.

26. Iris. c. T. 2.

1783.

27. Ixia. c. T. 2.

1784.

28. Gladiolus. c. T. 2. — 29. Insecta Svecica. P. I. c. T. — 30. P. II. c. T. 1791. — 31. P. III. 1792. — 32. P. IV. c. T. 1792. — 33. P. V. 1794. — 34. P. VI. 1794. — 35. P. VII. c. T. 1794. — 36. P. VIII. 1794. — 37. P. IX. 1795.

1785.

38. Aloë. — 39. Medicina Africanorum. — 40. Erica. c. T. 6.

1786.

41. Ficus. c. T.

1787.

42. Museum Naturalium Academiæ Upsal. P. I. — 43. P. II. — 44. P. III. — 45. P. IV. c. T. — 46. P. V. — 47. P. VI. c. T. 1788. — 48. P. VII. 1789. — 49. P. VIII. 1789. — 50. P. IX. 1791. — 51. P. X. 1791. — 52. P. XI. 1792. — 53. P. XII. 1792. — 54. — P. XIII. 1792. — 55. P. XIV. 1793. — 56. P. XV. 1794. — 57. P. XVI. 1794. — 58. P. XVII. 1794. — 59. P. XVIII. 1794. — 60. P. XIX. 1796. — 61. P. XX. 1796. — 62. P. XXI. 1797 — 63. P. XXII. 1797. — 64. P. XXIII. 1804. — 65. P. XXIV. 1804. — 66. P. XXVI. 1804. — 67. P. XXVI. 1805. — 68. P. XXVII. 1810. — 69. P. XXVIII. 1811. — 70. P. XXIX. 1819. — 71. P. XXX. 1820. — 72. P. XXXI. 1820. — 73. P. XXXII. 1820. — 74. P. XXXIII. ult. 1821. — 75. Append P. I. 1791. — 76. P. II. 1791. — 77. P. III. 1794. — 78. P. IV. 1796. — 79. P. V. 1797. — 80. P. VI. 1798. — 81. P. VII. 1798. —

82. P. VIII. 1800. — 83. P. IX. 1800. — 84. P. X. 1800 — 85. P. XI. 1800. — 86. P. XII. — 87. P. XIII. — 88. P. XIV. 1807 — 89. P. XV. 1808. — 90. P. XVI. 1808. — 91. P. XVII. 1809. — 92. P. XVIII. 1809. — 93. P. XIX. 1812. — 94. P. XX. 1812. — 95. P. XXI. 1813. — 96. P. XXII. 1814. — 97. P. XXIII. 1816. — 98. P. XXIV. 1818. — 99. P. XXV. 1818. — 100. ult. P. XXVI. 1819. — 101. Moraea. c. T. 2.

1788.

102. Restio. c. T. — 103. Arbor toxicaria Macassariensis. — 104. Moxæ et ignis in Medicina usus. — 105. Myristica. — 106. Caryophylli aromatici. —

1789.

107. Characteres generum insectorum. — 108. Muraena et Ophichtus. c. T. 2.

1790.

109. Remedia indigena.

1781.

110. Flora Stregnesensis.

1793.

111. Benzoë. — 112. Cortex Angusturae. — 113. Acer. 114. Scientia, Botanica utilis et jucunda.

1794.

115. Hermannia. c. T.

1795.

116. De Nautarum Valetudine tuenda.

1796.

117. Observationes in Pharmacop. suecicam. P. I.

1797.

118. De Oleo Cajoputi. P. I. — 119. P. II. — 120. Diosma. — 121. Usus Menyanthidis trifoliatae. — 122. Drosera. — 123. Melanthium.

1798.

124. Hydrocotyle. c. T.

1799.

125. Arctotis. — 126. Falco canorus.

1800.

127. Remedia expectorantia. — 128. Remedia sternutatoria. — 129. Fructificationis partium Variet. P. I. — 130. P. II. — 131. P. III.

1802.

132. Aspalathus. P. I. — 133. P. II. — 134. Observationes in Hist. Natur. Smolandiæ. — 135. Blæria. — 136. Observationes in Pharmacop. suecicam.

1803.

137. Horti Upsaliens. Plantæ cultæ. P. I. — 138. P. II. — 139. P. III. — 140. P. IV. — 141. P. V. — 142. P. VI. — 143. P. VII. ult. — 144. Antholyza.

1804.

145. Reformanda Pharmac. suec. P. I. — 146. P. IV. — 147. P. V. — 148. P. VI. — 149. P. VII. — 150. P. VIII. 1809. — 151. P. IX. 1809. — 152. ult. P. X. 1810. — 153. Remedia Epispastica. — 154. De Veneficiis per Arsenicum. — 155. Brunia. — 156. Phylica.

1806.

157. Thesium. — 158. De Sedibus materiarum in plantis. P. I.

1807.

159. Betula. c. T.

1808.

160. Dracæna. c. T.

1811.

161. Borbonia. c. T. — 162. Cinchona. P. I. — 163. P. II. — 164. Observationes in Diætam parcam.

1813.

165. De Styrace. c. T. — 166. Geographia plantarum cultarum. — 167. De utilitate plantarum suecicarum. — 168. De Rubo. c. T.

1815.

169. Flora Runsteniensis. P. I. — 170. P. II. — 171. P. III. — 172. P. IV. 175. ult. P. V. — 174. De Ricino.

1816.

175. De Narcoticis.

1817.

176. De Entozois humanis. P. I. — 177. P. II. — 178. Daphne. retusa. — 179. Plantarum Brasiliens. Decas. I. c. T. 2. — 180. II. 1818. — 181. ult. III. 1821. T. col. — 182. De Viribus et usu Atropæ belladonnæ.

1819.

183. Echites. c. T. — 184. De Nutritione Plantarum. P. I. — 185. P. II. — 186. P. III. — 187. Plantatio Sepium viv. P. I. — 188. P. II. 1820. — 189. Genera Graminum in Scandinavia.

1820.

190. Arbores, frutices et plantæ, clima suecicum ferentes. P. I. — 191. P. II. — 192. P. III. — 193. Flora Gothoburgensis. P. I. 8°.

1821.

194. Arbores et frutices indigenæ cultivandæ. — 195. Opatrum.

CONSPECTUS GENERUM.

CLASSIS I.

MONANDRIA.

MONOGYNIA.

a. *Flores hermaphroditi.*

I. SALICORNIA. *Cal.* ventricoulosus, integer. *Pet.* o. *Semen* 1.

b. *Flores dioici.*

II. DAHLIA. *Cal.* squama. *Cor.* 1-phylla. *Caps.* 1-locularis.

III. PHELYPAEA. *Cal.* o. *Cor.* 6-partita. *Pist.* 1.

CLASSIS II.

DIANDRIA.

MONOGYNIA.

a. *Flores hermaphroditi.*

α. *Stamina a pistillis paulisper remota.*

α. *Flores regulares.*

IV. OLEA. *Cor.* 4-fida: laciniis subovatis. *Drupa* monosperma.

V. JASMINUM. *Cor.* 5-8-fida, hypocrateriformis. *Bacca* dicocca. *Semina* solitaria, arillata.

b. *Flores irregulares.*

XV. ANCISTRUM. *Cal.* 4 phyllus. *Cor.* o. *Stigma* multipartitum. *Drupa* exsucca.

β. *Stamina ad pistillum inserta.* ORCHIDEAE.

VI. ORCHIS. *Nectarium* corniforme pone florem.

XIII. LIMODORUM. *Nectarium* monophyllum, concavum, pedicellatum, intra petalum infimum.

VII. DISA. *Spatha* 1-valvis. *Petala* 3, tertium minus, bipartitum, basi gibbosum.

VIII. SATYRIUM. *Nectarium* scrotiforme s. inflato-didymum pone florem.

X. PTERYGODIUM. *Cor.* subringens, 5-petala; petalis lateralibus exterioribus horizontalibus concavis. *Labellum* medio styli inter loculos remotos antherae insertum. *Stigma* posticum. *Swartz.*

XI. DISPERIS. *Cor.* ringens, 5-petala; petalis lateralibus exterioribus horizontalibus subcalcaratis. *Labellum* e basi styli genitalibus connexum. *Anthera* velo spirali tecta. *Swartz.*

IX. CORYCIUM. *Cor.* ringens, 4-petala, petalis erectis, lateralibus basi ventricosis. *Labellum* apici styli supra antheram adnatam insertum. *Swartz.*

XII. CYMBIDIUM. *Cor.* erecta vel patens. *Labellum* basi concavum, ecalcaratum, laminâ patulâ. *Anthera* opercularis, decidua. *Pollen* globosum.

b. *Flores dioici.*

XIV. SALIX. *Masc. Amenti* squamae. *Cor.* o. *Glandula* baseos nectarifera.
Fem. Amenti squamae. *Cor.* o. *Stylus* bifidus. *Caps.* 1-locularis, 2-valvis. *Sem.* papposa.

DIGYNIA.

XVI. GUNNERA. *Amentum* squamis unifloris. *Cal.* et *Cor.* o. *Germen* bidentatum. *Styl.* 2. *Sem.* 1.

CLASSIS III.

TRIANDRIA.

MONOGYNIA.

a. *Flores superi.*

XVII. VALERIANA. *Cal.* o. *Cor.* 1-petala, basi hinc gibba. *Sem.* 1.

XVIII. FICUS. *Receptaculum* commune turbinatum, carnosum, connivens, occultans flosculos vel in eodem, vel in distincto. ♂. *Cal.* 3-partitus. *Cor.* o. *Stam.* 3. ♀. *Cal.* 5-partitus. *Cor.* o. *Pist.* 1. *Sem.* 1.

XX. MOMORDICA. *Monoica.* ♂. *Cal.* 5-fidus. *Cor.* 5-partita. *Filamenta* 3. ♀. *Cal.* et *Cor.* ut in ♂. *Stylus* 3-fidus. *Pomum* elastice dissiliens.

XXI. CUCUMIS. *Monoica.* ♂. *Cal.* 5-dentatus. *Cor.* 5-partita. *Filamenta* 3.
♀. *Cal.* et *Cor.* ut in ♂. *Pistillum* 3-fidum. *Pomi* semina arguta.

XIX BRYONIA. *Monoica.* ♂. *Cal.* 5-dentatus. *Cor.* 5-partita. *Filamenta* 3. ♀. *Cal.* et *Cor.* ut in ♂. *Stylus* 4-fidus. *Bacca* subglobosa, polysperma.

XXIV. RUSCUS. *Dioica* plerumque ♂. *Cal.* 6-phyllus. *Cor.* o. *Nectarium* centrale, ovatum, apice perforatum.

♀. *Cal. Cor. Nectarium* ♂. *Stylus* 1. *Bacca* 3-locularis. *Sem.* 2.

XXXII. IRIS. *Cor.* 6-petala, inaequalis. *Petala* alterna, geniculato-patentia. *Stigmata* 3, cuculato-bilabiata.

XXXI. MORAEA. *Cor.* 6-partita, inaequalis: laciniis erectis. *Stigmata* 3.

XXV. ANTHOLYZA. *Cor.* tubulosa, irregularis, recurvata. *Caps.* infera.

XXVI. GLADIOLUS. *Cor.* monopetala, tubulosa: tubo curvato; limbo 6-partito: laciniis supremâ et infimâ extra vel intra laterales.

XXIX. WITSENIA. *Cor.* 6-partita, cylindrica. *Stigma* emarginatum.

XXVII. IXIA. *Cor.* tubulosa, tubo filiformi recto, limbo 6-partito, campanulato, aequali. *Stigmata* 3, simplicia.

XXVIII. GALAXIA. *Cor.* 1-petala, 6-fida. *Stam.* monadelphia.

XXX. DILATRIS. *Cal.* o. *Cor.* 6-partita, hirsuta. *Filamentum* tertium reliquis minus. *Stigma* simplex.

b. *Flores inferi.*

XXXIII. WACHENDORFIA. *Cor.* 6-petala, inaequalis. *Caps.* trilocularis.

XXXIV. XYRIS. *Cor.* 3-petala, aequalis, crenata. *Glumae* 3-valves in capitulum.

XXII. TRAGIA. *Monoica.* ♂. *Cal.* 3-partitus. *Cor.* o.
♀. *Cal.* 5-partitus. *Cor.* o. *Stylus* 3-fidus. *Caps.* tricocca, 3-locularis. *Sem.* solitaria.

XXIII. ACHARIA. *Monoica.* ♂. *Cal.* diphyllus. *Cor.* 1-petala, trifida.
♀. *Cal.* et *Cor.* ut in ♂. *Caps.* 1-locularis, trivalvis, 1-sperma.

c. *Flores graminei, valvulis glumae calycinae.*

α. *hermaphroditi.*

XXXX SCIRPUS. *Glumae* paleaceae, undique imbricatae. *Cor.* o. *Semen* 1, imberbe.

XXXXI. CYPERUS. *Glumae* paleaceae, distiche imbricatae. *Cor.* o. *Semen* 1, nudum.

XXXIX. SCHOENUS. *Glumae* paleaceae, univalves, congestae. *Cor.* o. *Semen* 1, subrotundum inter glumas.

β. *monoici.*

XXXVIII. CAREX. ♂. *Amentum* imbricatum. *Cal.* 1-phyllus. *Cor.* o.
♀. *Amentum. Cal. Cor.* ut in ♂. *Nectarium* inflatum, 3-dentatum. *Stigmata* 3. *Sem.* triquetrum, intra Nectarium.

γ. *dioici.*

XXXVI. WILLDENOWIA. *Cal.* multiglumis. *Cor.* 6-petala. ♀. *Nux* 1-locularis.

XXXV. ELEGIA. ♂. *Cal.* 6-glumis, inaequalis. *Cor.* o.
♀. *Caps.* 3-locularis.

XXXVI. RESTIO. *Flores* intra strobilum collecti ovatum vel oblongum, multiflorum.

DIGYNIA.

a. *Flores graminei:*

α. uniflori vagi.

XXXXII. PANICUM. *Cal.* trivalvis, valvulâ tertiâ minimâ.

XXXXIII. ARISTIDA. *Cal.* bivalvis. *Cor.* univalvis, aristis 3 terminalibus.

XXXXIV. ALOPECURUS. *Cal.* bivalvis. *Cor.* univalvis.

XXXXV. PHALARIS. *Cal.* bivalvis, carinatus, longitudine aequalis, corollam includens.

XXXXVI. AGROSTIS. *Cal.* bivalvis, uniflorus, corollâ paulo minor. *Stigmata* longitudinaliter hispida.

LIX. DACTYLIS. *Cal.* bivalvis, compressus; alterâ valvulâ majore carinatâ.

XXXXVII. STIPA. *Cal.* 2-valvis, uniflorus. *Cor.* valvulâ exteriore aristâ terminali, basi articulatâ.

LII. PEROTIS. *Cal.* o. *Cor.* 2-valvis: valvulae aequales aristatae, lanugine involucratae.

XXXXIX. ANDROPOGON. *Polygamus. Hermaphrod. Cal.* gluma uniflora. *Cor.* gluma basi aristata. *Stam.* 3. *Styl.* 2. *Sem.* 1.

β. subiflori vagi.

LIII. MELICA. *Cal.* 2-valvis, biflorus. *Rudimentum* floris inter flosculos.

LI. HOLCUS. *Polygamus. Hermaphrod. Cal.* gluma 1-2-flora. *Cor.* gluma aristata. *Stam.* 3. *Styli* 2. *Sem.* 1.
♂. *Cal.* gluma 2-valvis. *Cor.* o. *Stam.* 3.

LIV. ISCHAEMUM. *Polygamum. Hermaphrod. Cal.* gluma 2-flora. *Cor.* 2-valvis. *Stam.* 3. *Styli* 2. *Sem.* 1.
♂. *Cal.* et *Cor.* ut in ☿. *Stam.* 3.

LV. APLUDA. *Polygama. Cal.* gluma communis, bivalvis: flosculo femineo sessili, masculisque pedunculatis.
♀. *Cal.* o. *Cor.* bivalvis. *Styl.* 1. *Sem.* 1 tectum.
♂. *Cal.* o. *Cor.* bivalvis. *Stam.* 3.

L. CHLORIS. *Polygama.* Flores unilaterales. *Cal.* bivalvis, 2-6-florus, flore altero sessili hermaphrodito, altero pedicellato masculo.
☿. *Cal.* o. *Cor.* bivalvis. *Arista* terminalis. *Stam.* 3. *Styl.* 2. *Sem.* 1.
♂. *Cal.* o. *Cor.* 1-2-valvis, aristata. *Stam.* 3.

γ. *Flores multiflori vagi.*

LVI. BRIZA. *Cal.* 2-valvis, multiflorus. *Spica* disticha, valvulis cordatis, obtusis: interiore minutâ.

LVII. POA. *Cal.* 2-valvis, multiflorus. *Spicula* ovata: valvulis margine scariosis, acutiusculis.

LVIII. FESTUCA. *Cal.* 2-valvis. *Spicula* oblonga, teretiuscula, glumis acuminatis.

LX. BROMUS. *Cal.* 2 valvis. *Spicula* oblonga, teres, disticha: arista infra apicem.

LXI. AVENA. *Cal.* 2-valvis, multiflorus: aristâ dorsali contortâ.

XXXXVIII. ANTHISTIRIA. *Polygama. Cal.* 1-3-4-valvis, 3-7-florus, flore *hermaphrodito* solitario centrali sessili, masculis 2 pedicellatis, reliquis, si adsunt, sessilibus.

☿. *Cal.* 0. *Cor.* bivalvis. *Arista* e basi germinis. *Stam.* 3. *Styl.* 2. *Sem.* 1.

♂. *Cal.* 0. *Cor.* bivalvis, mutica. *Stam.* 3.

δ. *flores spicati, receptaculo subulato.*

LXIII. SECALE. *Cal.* oppositus, bivalvis, biflorus, solitarius.

LXIV. TRITICUM. *Cal.* bivalvis, solitarius, subtriflorus. *Flos* obtusiusculus, acutus.

LXV. HORDEUM. *Cal.* lateralis, bivalvis, uniflorus, ternus.

LXII. ROTTBÖLLIA. *Rhachis* articulata, teretiuscula, in pluribus filiformis. *Cal.* ovato-lanceolatus, planus, simplex s. bipartitus. *Flosculi* alterni in rhachi flexuosa.

LXVI. CYNOSURUS. *Cal.* bivalvis, multiflorus: receptaculum proprium unilaterale, foliaceum.

TRIGYNIA.

LXVII. HOLOSTEUM. *Cal.* 5-phyllus. *Pet.* 5. *Caps.* 1-locularis, subcylindrica, apice dehiscens.

LXVIII. MOLLUGO. *Cal.* 5-phyllus. *Cor.* 0. *Caps.* 3-locularis, 3-valvis.

CLASSIS. IV.

TETRANDRIA.

MONOGYNIA.

a. *Flores monopetali.*

α. *monospermi superi.*

LXXVI. SCABIOSA. *Cal communis* polyphyllus; *proprius* duplex, superus. *Receptaculum* paleaceum, s. nudum.

LXXVII. STILAE. *Polygama. Hermaphrod. Cal.* exterior 3-phyllus, interior 5-dentatus, cartilagineus. *Cor.* infundibuliformis, 5-fida. *Stam.* 4. *Sem.* 1, calyce interiore calyptratum.
Masc. similis. *Cal.* interior o. *Fructus* o.

β. monocarpi.

α. inferi.

LXXX. SCOPARIA. *Cal.* 4-partitus. *Cor.* 4-partita, rotata. *Caps.* 1-locularis, 2-valvis.

LXXXI. PLANTAGO. *Cal.* 4-fidus. *Cor.* 4-fida: limbo reflexo. *Stamina* longissima. *Caps.* bilocularis, circumscissa.

LXXXII. BUDDLEJA. *Cal.* 4-fidus. *Cor.* 4-fida. *Stam.* ex incisuris. *Caps.* 2-sulca, 2-locularis, polysperma.

LXXXIII. PENAEA. *Cal.* 2-phyllus. *Cor.* campanulata. *Styl.* 4-angularis. *Caps.* 4-gona, 4-locularis, 8-sperma.

b. superi.

LXXVIII. PAVETTA. *Cor.* 1-petala, infundibuliformis. *Stigma* curvum. *Bacca* disperma.

LXXIX. OLDENLANDIA. *Cor.* 1-petala. *Cal.* 4-partitus. *Caps.* bilocularis, infera, polysperma.

γ. dicocci.

LXXXIV. RUBIA. *Cor.* campanulata. *Baccae* 2 monospermae.

LXXXV. GALIUM. *Cor.* plana. *Sem.* 2 subrotunda.

b. Flores tetrapetali.

α. inferi.

LXX. FAGARA. *Cal.* 4-fidus. *Cor.* 4-petala. *Caps.* bivalvis, monosperma.

LXXII. SCHREBERA. *Cal.* 5-fidus. *Cor.* 4-petala. *Drupa* disperma.

LXIX. PROTEA. *Cor.* 4-petala, petalis subinde vel basi vel apice cohaerentibus. *Antherae* lineares vel oblongae, insertae petalis infra apicem. *Cal.* proprius o. *Sem.* 1 superum nudum.

LXXV. MONETIA. *Cal.* 4-fidus. *Pet.* 4. *Germen* superum. *Bacca.*

LXXXVII. LAUROPHYLLUS. *Dioica.* ♂. *Cal.* subtetraphyllus. *Cor.* o. ♀. *Germen* superum.

β. superi.

LXXI. CURTISIA. *Cal.* 4-fidus. *Pet.* 4. *Germen* inferum. *Bacca* 1-sperma.

LXXIII. SERPICULA. *Monoica.* ♂. *Cal.* 4-dentatus. *Cor.* 4-petala. ♀. *Cal.* 4-partitus. *Nux* tomentosa.

LXXIV. MONTINIA. *Dioica.* ♂. *Cal.* 4-partitus. *Cor.* 4-petala. ♀. ut in ♂. *Stigmata* 2. *Caps.* 2-locularis.

c. *Flores incompleti.*

a. *superi.*

LXXXVI. CAVANILLA. *Dioica.* ♂. *Cal.* 4-phyllus. *Cor.* o.
♀. *Stylus* radiatus. *Nux.*

LXXXIX. VISCUM. *Dioicum.* ♂. *Cal.* 4-partitus. *Cor.* o. *Filamenta* o. *Antherae* calyci adnatae.
♀. *Cal.* 4-phyllus, superus. *Cor.* o. *Stylus* o. *Bacca* 1-sperma. *Sem.* cordatum.

β. *inferi.*

LXXXVIII. ALCHEMILLA. *Cal.* 8-fidus. *Cor* o. *Sem.* 1.

XC. PARIETARIA. *Polygama. Hermaphrod. Cal.* 4-fidus. *Cor.* o. *Stam.* 4. *Styl.* 1. *Sem.* superum, elongatum.
♀. *Cal.* 4-fidus. *Cor.* o. *Stam.* o. *Stylus* 1. *Sem.* 1, superum elongatum.

XCI. URTICA. *Monoica. Cal.* 4-phyllus. *Cor.* o. *Nectarium* centrale, cyathiforme.
♀. *Cal.* 2-valvis. *Cor.* o. *Sem* 1, nitidum.

XCII. BRABEJUM. *Polygama.* ☿. *Amenti* squama. *Cor.* 4-partita, superne revoluta. *Stam.* 4. *Pist.* 1, stigmatibus 2. *Drupa* subrotunda. *Semen* globosum.
♂. *Amenti* squamae 3-florae. *Cor.* 4-partita. *Stam.* 4 fauci inserta. *Stylus* bifidus, abortiens.

DIGYNIA.

XCIV. ANTHOSPERMUM. *Polygama. Cal.* 4-partitus. *Cor.* o. *Stam.* 4. *Pist.* 2. *Germ.* inferum.
♀ et ♂ in eadem vel distincta planta.

XCIII. CUSCUTA. *Cal.* 4-5-fidus. *Cor.* 1-petala. *Caps.* 2-locularis.

TRIGYNIA.

XCV. MYRICA. *Dioica.* ♂ *Amenti* squama lunata. *Cor.* o.
♀ ut in ♂. *Styli* 2 (!) *Bacca* 1-sperma.

XCVI. BOSCIA. *Cal.* 4-dentatus. *Cor.* 4-petala. *Caps.* 4-locularis.

TETRAGYNIA.

XCVII. ILEX. *Cal.* 4-dentatus. *Cor.* rotata. *Stylus* o. *Bacca* 4-sperma.

XCVIII. POTAMOGETON. *Cal.* o. *Pet.* 4. *Stylus* o. *Sem.* 4.

CLASSIS V.

PENTANDRIA.

MONOGYNIA.

a. *Flores monopetali.*

α. *inferi.*

a. *monospermi.*

CVI. PLUMBAGO. *Cor.* infundibuliformis. *Stamina* squamis basin corollae claudentibus inserta. *Stigma* 5-fidum. *Sem.* 1, oblongum, tunicatum.

b. *tetraspermi.* *ASPERIFOLIAE.*

CV. ECHIUM. *Cor.* irregularis, fauce nudâ.

XCIX. HELIOTROPIUM. *Cor.* hypocrateriformis, 5-fida, interjectis dentibus; fauce nudâ.

C. LITHOSPERMUM. *Cor.* infundibuliformis, fauce perforatâ, nudâ. *Cal.* 5-partitus.

CI. BORAGO. *Cor.* rotata: fauce radiis clausâ.

CII. CYNOGLOSSUM. *Cor.* infundibuliformis, fauce clausâ fornicibus. *Semina* depressa, interiore tantum latere stylo affixa.

CIII. ANCHUSA. *Cor.* infundibuliformis, fauce clausâ fornicibus. *Semina* basi insculpta.

CIV. MYOSOTIS. *Cor.* hypocrateriformis, 5-fida, emarginata: fauce clausâ fornicibus.

c. *angiospermi.*

CVIII. ANAGALLIS. *Cor.* rotata. *Caps.* circumscissa.

CVII. MENYANTHES. *Cor.* hirsuta. *Stigma* bifidum. *Caps.* 1-locularis.

CIX. RETZIA. *Cor.* cylindrica, extus villosa. *Stigma* bifidum. *Caps.* 2-locularis.

CX. CONVOLVULUS. *Cor.* campanulata, plicata. *Stigmata* 2. *Caps.* 2-locularis: loculis dispermis.

CXXII. DATURA. *Cor.* infundibuliformis, plicata. *Cal.* tubulosus, angulatus, plicatus. *Caps.* 4-valvis.

CXLIII CHIRONIA. *Cor.* rotata. *Pistillum* declinatum. *Stamina* tubo corollae insidentia. *Antherae* demum spirales. *Pericarpium* biloculare.

CXVII. LOBELIA. *Cal.* 5-fidus *Cor.* 1-petala, irregularis. *Antherae* cohaerentes. *Caps.* infera 2-3-locularis

CXVI. POLEMONIUM. *Cor.* 5-partita, fundo clauso valvis staminiferis. *Stigma* 3-fidum. *Caps.* 3-locularis, supera.

CXI. IPOMOEA. *Cor* infundibuliformis. *Stigma* capitato-globosum. *Caps.* 3-locularis.

CXLI. CARISSA. *Cor.* 1-petala. *Stigma* bifidum. *Bacca* 2-loculari. *Semina* solitaria.

CXXXII. MYRSINE. *Cor.* semi-5-fida, connivens. *Germen* corollam replens. *Bacca* monosperma, nucleo 5-loculari.

CXXVIII. CESTRUM. *Cor.* infundibuliformis. *Stamina* denticulo in medio. *Bacca* 1-locularis, polysperma.

CXXIII. SOLANUM. *Cor.* rotata. *Antherae* subcoalitae, apice poro gemino dehiscentes. *Bacca* 2-locularis.

CXXIV. PHYSALIS. *Cor.* rotata. *Stamina* conniventia. *Bacca* intra calycem inflatum, 2-locularis.

CXXV. ATROPA. *Cor.* campanulata. *Stamina* distantia. *Bacca* globosa, 2-locularis.

CXXVI. LYCIUM. *Cor.* tubulosa, fauce clausa. *Filamentorum* barba. *Bacca* 2-locularis, polysperma.

β. superi.

CXV. SAMOLUS. *Cor.* hypocrateriformis. *Stam.* munita squamulis corollae. *Caps.* 1-locularis, infera.

CXIII. ROELLA. *Cor.* infundibuliformis, fundo clauso valvulis staminiferis. *Stigma* bifidum. *Caps.* 2-locularis, cylindrica, infera.

CXIV. TRACHELIUM. *Cor.* infundibuliformis. *Stigma* globosum. *Caps.* 3-locularis, infera.

CXII. CAMPANULA. *Cor.* campanulata, fundo clauso valvis staminiferis. *Stigma* 3-fidum. *Caps.* infera, poris lateralibus dehiscens.

CXVIII. SCAEVOLA. *Cor.* 1-petala, tubo longitudinaliter fisso. *Limbo* 5-fido laterali. *Drupa* infera, 1-sperma. *Nux* 2-locularis.

CXXVII. SERISSA. *Cor.* infundibuliformis, fauce ciliata, laciniis limbi subtrilobis. *Bacca* infera, trisperma.

CXXI. LONICERA. *Cor.* 1-petala, irregularis. *Bacca* polysperma, 2-locularis, infera.

CXXXVI. GARDENIA. *Antherae* sessiles medio sui in ore tubi corollae. *Stigma* clavatum. *Bacca* seminibus imbricatis.

b. *Flores pentapetali.*

α. inferi.

CXXXIV. RHAMNUS. *Cal.* tubulosus. *Cor.* squamae stamina munientes, calyci insertae. *Bacca.*

CXXXIII. CEANOTHUS. *Petala* 5 saccata, fornicata. *Bacca* sicca, 3-locularis, 3-sperma.

CXLVII. CELASTRUS. *Cor.* 5-petala, patens. *Caps.* 3-angularis, 3-locularis. *Sem.* calyptrata.

CXLII. VITIS. *Petala* apice cohaerentia, emarcida. *Bacca* 5-sperma, supera.

CXXIX. RÖMERIA. *Cal.* 5-phyllus. *Cor.* 5-petala. *Stigmata* 3.

CXLVIII. DIOSMA. *Caps.* monosperma. *Nectarium* germen coronans. *Semen* arillatum.

CXXXV. CALODENDRUM. *Cal.* 5-partitus. *Cor.* 5-petala. *Nectarium* 5-phyllum. *Caps.* 5-locularis.

CXX. IMPATIENS. *Cal.* 2-phyllus. *Cor.* 5-petala, irregularis, nectario cucullato. *Caps.* supera, 5-valvis.

CXIX. VIOLA. *Cal.* 5-phyllus. *Cor.* 5-petala, irregularis, postice cornuta. *Antherae* cohaerentes. *Caps.* supera, 3-valvis, 1-locularis.

CXXXVIII. BRUNIA. *Flores* aggregati. *Filamenta* unguibus petalorum inserta. *Stigma* bifidum. *Semina* solitaria, bilocularia.

CXXX. OLINIA. *Cal.* 5-dentatus. *Petala* 5, squamis totidem ad basin. *Stigma* subbifidum, pentagonum. *Drupa* in fundo calycis.

β. superi.

CXXXI. PLECTRONIA. *Petala* 5, calycis fauci inserta. *Bacca* disperma, infera.

CXXXVII. PHYLICA. *Perianthium* 5-partitum, turbinatum. *Petala* 0. *Squamae* 5, stamina munientes. *Caps.* tricocca, infera.

CXXXIX. STAVIA. *Cor.* supera, 5-petala. *Stam.* calyci inserta. *Stylus* bifidus.

CXLVI. STRELITZIA. *Cor.* 3-petala. *Nectarium* hastatum. *Caps.* 3-locularis.

c. *Flores incompleti.*

α. *inferi.*

CXLIV. ACHYRANTHES. *Cal.* 5-phyllus. *Cor.* 0. *Stigma* 2-fidum. *Sem.* solitaria.

CXLV. AMARANTHUS. ♂. *Cal.* 3-5-phyllus. *Cor* 0. *Stam.* 3-5. ♀. *Cal. Cor.* ut in ♂. *Styli* 3! *Caps.* 1-locularis, circumscissa. *Sem.* 1.

β. superi.

CXL. THESIUM. *Cal.* 1-phyllus, cui stamina inserta. *Nux* infera, 1-sperma.

DIGYNIA.

a. *Flores incompleti.*

CLXI. CHENOPODIUM. *Cal.* 5-phyllus, 5-gonus. *Cor.* 0. *Sem.* 1, lenticulare, superum.

CLX. HERNIARIA. *Cal.* 5-partitus. *Cor.* 0. *Stam.* 5 sterilia. *Caps.* monosperma.

CLIX. SALSOLA. *Cal.* 5-phyllus. *Cor.* 0. *Caps.* 1-sperma. *Sem.* cochleatum.

b. *Flores monopetali, omnes inferi.*

CXLIX CEROPEGIA. Contorta. *Folliculi* 2 erecti. *Semina* plumosa. *Corollae* limbus connivens.

CL. ECHITES. Contorta. *Folliculi* 2 longi, recti. *Semina* comâ instructa. *Cor.* infundibuliformis, fauce nudâ.

CLI. PERGULARIA. Contorta. *Nectarium* ambiens genitalia cuspidibus 5 sagittatis. *Cal.* hypocrateriformis.

CLVI. STAPELIA. Contorta. *Nectarium* duplici stellulâ tegente genitalia.

CLIV. CYNANCHUM. Contorta. *Nectarium* cylindricum, 5-dentatum.

CLII. PERIPLOCA. Contorta. *Nectarium* ambiens genitalia, filamenta 5 exserens.

CLV. APOCYNUM. Contorta. *Cor.* campanulata. *Filamenta* 5, cum staminibus alterna.

CLIII. ASCLEPIAS. Contorta. *Nectaria* 5 ovata, concava, corniculum exserentia.

CLVII. GENTIANA. *Cor.* monopetala. *Caps.* 2-valvis, 1-locularis, receptaculis 2, longitudinalibus.

c. *Flores pentapetali.*

α. *inferi.*

CLVIII. LINCONIA. *Petala* 5, foveolis nectarii basi insculpta. *Caps.* seminifera, 2-locularis.

β. *superi.*

CLXII. VAHLIA. *Cal.* 5-phyllus. *Cor.* 5-petala. *Caps.* infera, 1-locularis, polysperma.

UMBELLATAE.

α. *involucro universali partialique.*

CLXX. ARCTOPUS. *Polygama.* ♂. *Umbella composita. Involucra* 5-phylla. *Cor.* 5-petala. *Stam.* 5. *Pist.* 2 abortientia.

ANDROG. *Umbella simplex. Involucrum* 4-partitum, spinosum, maximum, continens flosculos masculos in disco plurimos, femineos 4 in radio.

♂. *Petala* 5. *Stam.* 5.
♀. *Petala.* 5. *Styli* 2. *Sem.* 1, 2-loculare, inferum.

CLXV. HERMAS. *Polygama.* ☿. *Umbella terminalis* involucro universali et partiali. *Umbellulae* radiis truncatis, centrali florifero. *Pet.* 5. *Stam.* 5 sterilia. *Sem.* bina suborbiculata. ♂. *Umbellae lateralis* involucro universali partialique; umbellulae multiflorae. *Pet.* 5. *Stam.* 5, fertilia.

CLXIII. CUSSONIA. *Cal.* 1-phyllus, subdentatus. *Cor.* 5-petala. *Involucrum.* o. *Semina* bilocularia.

CLXVI. HYDROCOTYLE. *Umbella* simplex. *Involucrum* 4-phyllum. *Petala* integra. *Semina* semiorbiculato-compressa.

CLXVIII. SANICULA. *Umbellae* confertae, subcapitatae. *Fructus* scaber. *Flores* disci abortientes.

CLXIX. ASTRANTIA. *Involucra* partialia, lanceolata, patentia, aequalia, longiora, colorata. *Flores* plurimi, abortientes.

CLXVII. OENANTHE. *Flosculi* difformes, in disco sessiles, steriles. *Fructus* calyce et pistillo coronatus.

CLXXI. CAUCALIS. *Cor.* radiatae, disci masculae. *Petala* inflexo-emarginata. *Fructus* setis hispidus. *Involucra* integra.

CLXXII. LASERPITIUM. *Fructus* oblongus, angulis membranaceis. *Petala* inflexa, emarginata, patentia.

CLXXIII. PEUCEDANUM. *Fructus* ovatus, utrinque striatus, alà cinctus. *Involucra* brevissima.

CLXXIV. CONIUM *Involucella* dimidiata, subtriphylla. *Fructus* subglobosus, 5-striatus, utrinque crenatus.

CLXIV. BUPLEURUM. *Involucra* umbellulae majora, 5-phylla. *Petala* involuta. *Fructus* subrotundus, compressus, striatus.

CLXXX. SIUM. *Fructus* subovatus, striatus. *Involucrum* polyphyllum. *Petala* cordata.

CLXXV. BUBON. *Fructus* ovatus, striatus, villosus.

b. *involucris partialibus, universali nullo.*

CLXXVII. SESELI. *Umbellae* globosae. *Involucrum* foliolo uno alterove. *Fructus* ovatus, striatus.

CLXXVI. CHAEROPHYLLUM. *Involucrum* reflexum, concavum. *Petala* inflexo-cordata. *Fructus* oblongus laevis.

c. *involucro plane nullo.*

CLXXVIII. SMYRNIUM. *Fructus* oblongus, striatus. *Petala* acuminata, carinata.

CLXXXI. ANETHUM. *Fructus* subovatus, compressus, striatus. *Petala* involuta, integra.

CLXXIX. PIMPINELLA. *Fructus* ovato-oblongus. *Petala* infera. *Stigmata* subglobosa.

TRIGYNIA.

CLXXXV. CORRIGIOLA. *Cal.* 5-phyllus. *Pet.* 5. *Sem.* 1, triquetrum.

CLXXXII. RHUS. *Cal.* 5-partitus. *Pet.* 5. *Bacca* 1-sperma.

CLXXXIII. CASSINE. *Cal.* 5-partitus. *Pet.* 5. *Bacca* 3-sperma.

CLXXXVI. PHARNACEUM. *Cal.* 5-phyllus. *Cor.* o. *Caps.* 3-locularis, polysperma.

CLXXXIV. CLUTIA. Dioica, gynandra. ♂. *Cal.* 5-phyllus. *Cor.* 5-petala.
♀ *Cal.* et *Cor.* ut in ♂. *Styli* 3. *Caps.* 3-locularis. *Sem.* 1.

PENTAGYNIA.

CXC. CRASSULA. *Cal.* 5-phyllus. *Pet.* 5. *Squamae* 5 nectariferae ad basin germinis. *Caps.* 5.

CLXXXVIII. LINUM. *Cal.* 5-phyllus. *Pet.* 5. *Caps.* 5-valvis, 10-locularis. *Sem.* solitaria.

CLXXXIX. DROSERA. *Cal.* 5 fidus. *Pet.* 5. *Caps.* 1-locularis, apice 5-valvis. *Sem.* plurima.

CLXXXVII. STATICE. *Cal.* 1-phyllus, integer, plicatus, scariosus. *Pet.* 5. *Sem.* 1, superum.

CLASSIS VI.

HEXANDRIA.

MONOGYNIA.

a. *Flores calyculati: calyce corollâque instructi, absque spathis.*

CXCI. COMMELINA. *Cor.* 6-petala. *Nectaria* 3 cruciata, filamentis propriis inserta (s. *Antherae* steriles).

CXCII. FRANKENIA. *Cal.* 5-fidus, infundibuliformis. *Petala* 5. *Stigma* 6-partitum. *Caps.* 1-locularis, trivalvis.

CXCIII. LORANTHUS. *Germen* inferum. *Cal.* 0. *Cor.* 6-fida, revoluta. *Stam.* ad apices petalorum. *Bacca* 1-sperma.

b. *Flores spathacei s. glumacei.*

CXCV. HAEMANTHUS. *Involucrum* 6-phyllum, multiflorum. *Cor.* 6-partita, supera. *Bacca* trilocularis

CXCIV. STRUMARIA. *Cor.* supera, 6-petala. *Nectarium* intra stamina, plicatum.

CXCVI. CRINUM. *Cor.* infundibuliformis, monopetala, 6-pertita.

CCI. MAUHLIA. *Cor.* infera, 6-partita; limbo aequali. *Capsula* trilocularis.

CXCIX. TULBAGIA. *Cor.* infundibuliformis, limbo 6-fido. *Nectarium* coronans faucem, 3-phyllum: foliolis bifidis, magnitudine limbi. *Caps.* supera.

CCXIII. ALLIUM. *Cor.* 6-partita, patens, *Spathae* multiflora. *Umbella* congesta. *Capsula* supera.

CC. MASSONIA *Cor.* 6-petala, nectario inserta. *Nectarium* inferum. *Caps.* trilocularis.

CXCVIII. HYPOXIS. *Cor* 6-partita, persistens, supera. *Caps.* basi angustior. *Cal.* gluma bivalvis.

c. *Flores nudi.*

CCVIII. LANARIA. *Cor.* 6-partita, lanata. *Stigma* 3-fidum. *Capsula* 3-locularis.

CXCVII. GETHYLLIS. *Cor.* 6-partita, tubo filiformi. *Germen* inferum. *Bacca* oblonga, polysperma.

CCIII. ALOE. *Cor.* erecta, ore patulo, fundo nectarifero. *Filamenta* receptaculo inserta.

CCII. VELTHEIMIA. *Cor.* tubulosa, 6-dentata. *Stam.* tubo inserta. *Caps.* membranacea, trialata, loculis monospermis.

CCXII. SANSEVIERA. *Cor.* 6-fida, laciniis erectis. *Germen* superum. *Bacca.*

CCIX. HYACINTHUS. *Cor.* campanulata: pori 3 melliferi germinis.

CCXI. ZUCCAGNIA. *Cor.* monopetala, 6-partita: laciniae exteriores tres longiores.

CCV. EUCOMIS. *Cor.* infera, 6-partita, persistens, patens. *Filamenta* basi in nectarium adnatum connata.

CCVII. ANTHERICUM. *Cor.* 6-petala, patens. *Capsula* ovata.

CCX. LACHENALIA. *Cor.* 6-partita: laciniis tribus exterioribus brevioribus. *Germen* superum. *Caps.* 3-locularis.

CCIV. ORNITHOGALUM. *Cor.* 6-petala, erecta, persistens, supra medium patens. *Filamenta* alterna, basi dilatata.

CCVI. ERIOSPERMUM. *Cor.* 6-petala, campanulata, persistens. *Filamenta* basi dilatata. *Caps.* 3-locularis. *Semina* lanâ involuta.

CCXIV. CYANELLA. *Cor.* 6-petala: petalis 3 inferioribus propendentibus. *Stamen* infimum declinatum, longius.

CCXVII. ASPARAGUS. *Cor.* 6-partita, erecta: petalis 3 interioribus apice reflexis. *Bacca* trilocularis, trisperma.

CCXVI. TULIPA. *Cor.* 6-petala, campanulata. *Stylus* nullus.

CCXV. ALBUCA. *Cor.* 6-petala: interioribus difformibus. *Stam.* 6, tribus sterilibus. *Stigma* cinctum cuspidibus tribus.

d. *Flores incompleti.*

CCXIX JUNCUS. *Cal.* 6-phyllus. *Cor.* o. *Caps.* 1-locularis.

CCXVIII. EHRHARTA. *Cal.* biglumis. *Cor.* duplex. *Nectarium* pateriforme.

TRIGYNIA.

CCXX. MELANTHIUM. *Cor.* 6-petala. *Filamenta* ex elongatis unguibus corollae.

CCXXI. TRIGLOCHIN. *Cal.* 3-phyllus. *Pet.* 3, conformia. *Stylus* o. *Caps.* basi dehiscens.

CCXXII. RUMEX. *Cal.* 3-phyllus. *Pet.* 3, conniventia. *Semen* 1, triquetrum.

CCXXIII. SMILAX. ♂ et ♀ *Cal.* 6-phyllus. *Cor.* o. ♀. *Styli* 3. *Bacca* 3-locularis. *Semina* 2.

CLASSIS VII.

HEPTANDRIA.

MONOGYNIA.

CCXXIV. LIMEUM. *Cal.* 5-phyllus. *Pet.* 5 aequalia. *Caps.* globosa, bilocularis.

CLASSIS VIII.

OCTANDRIA.

MONOGYNIA.

a. *Flores completi.*

CCXXVI. GRUBBIA. *Involucr.* bivalve, triflorum. *Cor.* 4-petala, supera. *Bacca* 1-locularis.

CCXXVII. EPILOBIUM. *Cal.* 4-fidus. *Pet.* 4. *Caps.* oblonga, infera. *Sem.* papposa.

CCXXVII. OENOTHERA. *Cal.* 4-fidus. *Pet.* 4. *Caps.* cylindrica, infera. *Sem.* nuda.

CCXXVIII. ERICA. *Cal.* 4-phyllus. *Cor.* 4-fida. *Filamenta* receptaculo inserta. *Antherae* bifidae. *Caps.* 4-locularis.

b. *Flores incompleti.*

CCXXX. GNIDIA. *Cal.* infundibuliformis, 4-fidus. *Pet.* 4, calyci inserta, parva. *Sem.* 1, subbaccatum.

CCXXIX. PASSERINA. *Cal.* o. *Cor.* 4-fida. *Stam.* tubo imposita. *Sem.* 1 corticatum.

CCXXXI. STRUTHIOLA. *Cor.* o. *Cal.* tubulosus: ore glandulis 8. *Bacca* exsucca, monosperma.

CCXXXII. DODONAEA. *Cal.* 4-phyllus. *Cor.* o. *Caps.* 3-locularis, inflata. *Sem.* bina.

DIGYNIA.

CCXXXIV. WEINMANNIA. *Cal.* 4-phyllus. *Cor.* 4-petala. *Caps.* bilocularis, birostris.

CCXXXIII. GALENIA. *Cal.* 4-fidus. *Cor.* o. *Caps.* subrotunda, 2-sperma.

TRIGYNIA.

CCXXXV. POLYGONUM. *Cor.* o. *Cal.* 5-partitus. *Sem.* 1 nudum.

CCXXXVI. FORSKOHLEA. *Cal.* 5-phyllus, corollâ longior. *Petala* 10 spathulata. *Pericarp.* o. *Sem.* 5, lanâ connexa.

CLASSIS IX.

ENNEANDRIA.

MONOGYNIA.

CCXXXVII. CASSYTA. *Cor.* calycina, 6-partita. *Nectarium* glandulis 3, truncatis, germen cingentibus. *Filamenta* interiora glandulifera. *Drupa* 1-sperma.

DIGYNIA.

CCXXXVIII. MERCURIALIS. *Dioica. Masc. Cal.* 3-partitus. *Cor.* o. *Stam.* 9. s. 12. *Antherae* globosae, didymae. *Fem. Cal.* 3-partitus. *Cor.* o. *Styli* 2. *Caps.* dicocca, 2-locularis, 1-sperma.

CLASSIS X.

DECANDRIA.

MONOGYNIA.

a. *Flores polypetali irregulares.*

CCXXXIX. CASSIA. *Cal.* 5-phyllus. *Petala* 5. *Antherae* supernae 3, steriles; infimae rostratae. *Legumen.*

b. *Flores polypetali aequales.*

CCXL. SCHOTIA. *Cal.* 5-fidus. *Pet.* 5, calyci inserta, lateribus invicem incumbentia, clausa. *Legumen* pedicellatum.

c. *Flores monopetali aequales.*

CCXLI. CODON. *Cor.* campanulata, 10-fida. *Cal.* 10-partitus. *Caps* polysperma.

d. *Flores incompleti.*

CCXLII. AUGEA. *Cal.* 5-partitus. *Cor.* o. *Nectar.* 10-dentatum *Caps.* 10-locularis.

DIGYNIA.

CCXLIII. TRIANTHEMA. *Cal.* sub apice mucronatus. *Cor.* o. *Stam.* 5-10. *Germen* retusum. *Caps.* circumscissa.

CCXLIV. ROYENA. *Cal.* urceolatus. *Cor.* 1-petala, limbo revoluta. *Caps.* 1-locularis, 4-valvis.

CCXLV. CUNONIA. *Cor.* 5-petala. *Cal.* 5-phyllus. *Caps.* bilocularis, acuminata, polysperma. *Styli* flore longiores.

CCXLVI. DIANTHUS. *Cal.* cylindricus, 1-phyllus: basi squamis 4. *Petala* 5 unguiculata. *Caps.* cylindrica, 1-locularis.

TRIGYNIA.

CCXLVII. SILENE. *Cal.* ventricosus. *Pet.* 5 unguicalata, coronata ad faucem. *Caps.* 3-locularis.

CCXLVIII. RIGGELARIA. *Dioica. Masc. Cal.* 5-partitus. *Cor.* 5-petala: glandulae 5 trilobae. *Antherae* apicibus perforatae. *Fem. Cal.* et *Cor.* maris. *Styli* 5. *Caps.* 1-locularis, 5-valvis, polysperma.

PENTAGYNIA.

CCL. COTYLEDON. *Cal.* 5-fidus. *Cor.* 1-petala. *Squamae* nectariferae 5, ad basin germinis. *Caps.* 5.

CCXLIIX. BERGIA. *Cal.* 5-partitus. *Pet.* 5. *Caps.* globosa, torulosa, 5-locularis, 5-valvis: valvulis petaloideis. *Sem.* plurima.

CLASSIS XI.

DODECANDRIA.

MONOGYNIA.

CCLI. PORTULACA. *Cal.* 2-fidus. *Cor.* 5-petala. *Caps.* 1-locularis, circumscissa, aut trivalvis.

CCLII. LYTHRUM. *Cal.* 12-fidus. *Petala* 6, calyci inserta. *Caps.* 2-locularis, polysperma.

DIGYNIA.

CCLIII. EUCLEA. *Dioica. Masc. Cal.* 5-dentatus. *Cor.* 5-petala. *Stam.* 15. *Fem. Cal.* et *Cor.* maris. *Germen* superum. *Styli* 2. *Bacca* bilocularis.

TRIGYNIA.

CCLV. MENISPERMUM. *Dioica. Masc. Petala* 4 exteriora, 8 interiora. *Stam.* 16. *Fem. Cor.* maris. *Stam.* 8 sterilia *Baccae* binae, monospermae.

CCLIV. RESEDA. *Cal.* 1 phyllus, partitus. *Petala* laciniata. *Caps.* ore dehiscens, 1-locularis.

CCLVI. EUPHORBIA. *Cor.* 4-5-petala, calyci insidens. *Cal.* 1-phyllus, ventricosus. *Caps.* tricocca.

TETRAGYNIA.

CCLVII. APONOGETON. *Cal.* amentum. *Cor.* 0. *Capsulae* trispermae.

POLYGYNIA.

CCLVIII. SEMPERVIVUM. *Cal.* 12-partitus. *Pet.* 12. *Caps.* 12, polyspermae.

CLASSIS XII.

ICOSANDRIA.

MONOGYNIA.

CCLIX. MYRTUS. *Cal.* 5-fidus, superus. *Pet.* 5. *Bacca* 2-3-sperma.

PENTAGYNIA.

CCLX. TETRAGONIA. *Cal.* 4-5-partitus. *Pet.* 0. *Drupa* infera, 4-5-gona, 4-5-locularis.

CCLXII. MESEMBRYANTHEMUM. *Cal.* 5-fidus. *Pet.* numerosa, linearia. *Caps.* carnosa, infera, polysperma.

CCLXI. AIZOON. *Cal.* 5-partitus. *Pet.* 0. *Caps.* supera, 5-loculàris, 5-valvis.

POLYGYNIA.

CCLXIII. GEUM. *Cal.* 10-fidus. *Pet.* 5. *Sem.* aristà geniculatà.

CLASSIS XIII.

POLYANDRIA.

MONOGYNIA.

a. *Flores hermaphroditi.*

CCLXVI. PAPAVER. *Cal.* diphyllus. *Cor.* 4-petala. *Caps.* 1-locularis, sub stigmate persistente poris dehiscens.

CCLXV. CAPPARIS. *Cal.* 4-phyllus, coriaceus. *Pet.* 4. *Stam.* longa. *Bacca* corticosa, unilocularis, pedunculata.

CCLXIX. SPARRMANNIA. *Cal.* 4-phyllus. *Cor.* 4-petala, reflexa. *Nectaria* plura, torulosa. *Caps.* angulata, 5-locularis, echinata.

CCLXVII. NYMPHAEA. *Cal.* 4-5-phyllus. *Cor.* polypetala. *Bacca* multilocularis, truncata.

CCLXX. GREWIA. Gynandra. *Cal.* 5-phyllus. *Petala* 5, basi squamâ nectariferâ. *Bacca* 4-locularis.

b. *Flores polygami.*

CCLXVIII. CHRYSITRIX. *Hermaphrod.* *Gluma* bivalvis. *Cor.* e paleis numerosis, setaceis. *Stam.* multa, intra singulas paleas singula. *Pist.* 1. *Masc.* ut in *Hermaphrodito*. *Pist.* 0.

CCLXXI. MIMOSA. *Hermaphrod.* *Cal.* 5-dentatus. *Cor.* 5-fida. *Stam.* 5 seu plura. *Pist.* 1. *Legumen.* *Masc.* *Cal.* et *Cor.* *Hermaphroditi.* *Stam.* 5-10, plura.

c. *Flores dioici.*

CCLXIV. ZAMIA. *Masc.* *Amentum* strobiliforme, squamis subtus tectis polline. *Fem.* *Amentum* strobiliforme in utroque margine. *Drupa* solitaria.

DIGYNIA.

CCLXXII. CLIFFORTIA. *Masc. Cal.* 3-phyllus, superus. *Stam.* fere 30. *Fem. Cal.* ut in *Masc. Cor.* 0. *Styli* 2. *Caps.* bilocularis. *Sem.* 1.

TRIGYNIA.

CCLXXIII. HYPERICUM. Polyadelpha. *Cal.* 5-partitus. *Pet.* 5. *Filamenta* multa in 5 phalanges basi connata.

POLYGYNIA.

CCLXXIV. CALLA. *Spatha* plana. *Spadix* tectus flosculis. *Cal.* 0. *Pet.* 0. *Baccae* polyspermae.

CCLXXIX. PIPER. *Cal.* 0. *Cor.* 0. *Bacca* monosperma.

CCLXXV. ATRAGENE. *Cal.* 4-phyllus. *Pet.* 12. *Semina* caudata.

CCLXXVI. CLEMATIS. *Cal.* 0. *Pet.* 4. *Sem.* caudata.

CCLXXVIII. RANUNCULUS. *Cal.* 5-phyllus. *Pet.* 5, intra ungues poro mellifero. *Sem.* nuda.

CCLXXVII. ADONIS. *Cal.* 5-phyllus. *Petala* quinis plura, absque nectario. *Sem.* nuda.

CLASSIS XIV.

DIDYNAMIA.

GYMNOSPERMIA.

a. *Calyces subquinquefidi.*

CCLXXX. MENTHA. *Cor.* subaequalis, 4-fida, laciniâ latiore emarginatâ. *Stamina* erecta, distantia.

CCLXXXI. SIDERITIS. *Stamina* intra tubum corollae. *Stigma* brevius involvens alterum.

CCLXXXII. TEUCRIUM. *Corollae* labium superius ultra basin 2-partitum, divaricatum ubi stamina.

CCLXXXIII. PHLOMIS. *Cal.* angulatus. *Corollae* labium superius incumbens, compressum, villosum.

CCLXXXIV. GALEOPSIS. *Corollae* labium superius subcrenatum, fornicatum; labium inferius supra bidentatum.

CCLXXXV. STACHYS. *Corollae* labium superius fornicatum: labium inferius lateralibus reflexum: laciniâ intermediâ majore emarginatâ. *Stamina* deflorata, versus latera reflexa.

CCXXXVII. MARRUBIUM. *Cal.* hypocrateriformis, rigidus, 10-striatus. *Corollae* labium superius quadrifidum, lineare, rectum.

CCXXXVI. VERBENA. *Cor.* infundibuliformis, subaequalis, curva. *Calycis* unico dente truncato. *Sem.* 2- seu 4, nuda. *Stam.* 2-4.

b. *Calyces bilabiati.*

CCLXXXVIII. PLECTRANTHUS. *Cor.* resupinata. *Nectarium* calcaratum. *Stamina* simplicia.

CCLXXXIX. OCIMUM. *Calyx* labio superiore orbiculato; inferiore quadrifido. *Corollae* resupinatae alterum labium 4-fidum, alterum indivisum. *Filamenta* exteriora basi processum emittentia.

CCXC. SALVIA. *Cor.* inaequalis. *Filamenta* transverse pedicello affixa.

ANGIOSPERMIA.

a. *Calyces bifidi.*

CCXCI. OROBANCHE. *Cal.* 2-fidus. *Cor.* ringens. *Capsula* 1-locularis, 2-valvis, polysperma. *Glandula* sub basi germinis.

CCCII. HEBENSTREITIA. *Cal.* 2-emarginatus, subtus fissus. *Cor.* 1-labiata: labio adscendente, 4 fido. *Stamina* margini limbi corollae inserta. *Caps.* 2-sperma.

CCXCIII. ACANTHUS. *Cal.* bifolius, bifidus. *Cor.* 1-labiata, deflexa, 3-fida. *Caps.* bilocularis.

CCXCII. ALECTRA. *Corolla* campanulata. *Filamenta* barbata. *Caps.* bilocularis.

b. *calyces trifidi.*

CCXCIV. HALLERIA. *Cal.* 3-fidus. *Cor.* 4-fida. *Filamenta* corollâ longiora. *Bacca* infera, 2-locularis.

c. *calyces quadrifidi.*

CCXCVIII. SELAGO. *Cal.* 5-fidus. *Cor.* tubus capillaris; limbus subaequalis. *Sem.* 1-2.

CCXCV. RHINANTHUS. *Cal.* 4-fidus, ventricosus. *Caps.* 2-locularis, obtusa, compressa.

CCXCVI. BARLERIA. *Cal.* 4-partitus. *Stam.* 2 longe minora. *Caps.* 4-angularis, 2-valvis, elastica absque unguibus. *Sem.* 2.

CCXCVII. LANTANA. *Cal.* 5-partitus. *Cor.* campanulata, 5-fida: lobo infimo majore. *Rudimentum* filamenti 5-ti. *Stigma* lanceolatum. *Caps.* 4-locularis.

d. *calyces quinquefidi.*

CCCVI. LIMOSELLA. *Cal.* 5-fidus. *Cor.* 5-fida, aequalis. *Stam.* per paria approximata. *Caps.* 1-locularis, 2-valvis, polysperma.

CCCV. LINDERNIA. *Cal.* 5-partitus. *Cor.* ringens, labio superiore brevissimo. *Stamina* 2 inferiora dente terminali antherâque sublaterali. *Caps.* 1-locularis.

CCCIX. HEMIMERIS. *Cal.* 5-partitus. *Cor.* rotata: lacinia una major, obcordata. *Fossula* laciniarum nectarifera.

CCCVII. SIBTHORPIA. *Cal.* 5-partitus. *Cor.* 5-partita, aequalis. *Stamina* paribus remotis. *Caps.* compressa.

CCCIV. RUELLIA. *Cal.* 5-partitus. *Cor.* subcampanulata. *Stamina* per paria approximata. *Caps.* dentibus elasticis.

CCCIII. JUSTICIA. *Cor.* ringens. *Caps.* bilocularis, ungue elastice dissiliens. *Stamina* antherâ singulari.

CCXCIX. BUCHNERA. *Cal.* 5-dentatus obsolete. *Corollae* limbus 5-fidus, aequalis: lobis cordatis. *Caps.* bilocularis.

CCCI. ERINUS. *Cal.* 5-phyllus. *Cor.* limbus 5-fidus, aequalis, lobis emarginatis, labio superiore brevissimo, reflexo. *Caps.* bilocularis.

CCC. MANULEA. *Cal.* 5-partitus. *Corollae* limbo 5-partito, subulato, laciniis superioribus magis connexis. *Caps.* bilocularis, polysperma.

CCCVIII. ANTIRRHINUM. *Cal.* 5-phyllus. *Corollae* basis deorsum prominens, nectarifera. *Caps.* 2-locularis.

CCCX. GERARDIA. *Cal.* 5-fidus. *Cor.* bilabiata: labio inferiore tripartito: lobis emarginatis: medio tripartito. *Caps.* bilocularis, dehiscens.

e. *calyces multifidi.*

CCCXI. HYOBANCHE. *Cal.* 7-phyllus. *Cor.* ringens, labio inferiore nullo. *Caps.* 2-locularis, polysperma.

CCCXII. THUNBERGIA. *Cal.* duplex; exterior diphyllus; interior multipartitus *Caps.* globosa, rostrata, bilocularis.

f. *Polypetali.*

CCCXIII. MELIANTHUS. *Cal.* 5-phyllus: folio inferiore gibbo. *Petala* 4, nectario infra infima. *Caps.* 4-locularis.

CLASSIS XV.

TETRADYNAMIA.

SILICULOSAE.

Siliculâ apice emarginatâ.

CCCXIV. PELTARIA. *Silicula* integra, suborbiculata, compresso-plana, non dehiscens.

CCCXV. LEPIDIUM. *Silicula* emarginata, cordata, polysperma: valvulis carinatis, contrariis.

SILIQVOSAE.

a. *Calyx clausus foliolis longitudinaliter conniventibus.*

CCCXVI. LUNARIA. *Silicula* integra, elliptica, compresso-plana, pedicellata: valvis dissepimento aequalibus, parallelis, planis. *Cal.* foliolis saccatis.

CCCXIX. CHAMIRA. *Calyx* basi cornutus! *Glandula* extra stamina breviora.

CCCXVII. CHEIRANTHUS. *Germen* utrinque denticulo glandulato. *Cal.* clausus: foliolis duobus basi gibbis. *Semina* plana.

b. *Calyx hians foliolis superne distantibus.*

CCXXI. CARDAMINE. *Siliqua* elastice dissiliens valvulis revolutis. *Stigma* integrum. *Cal.* subhians.

CCXXII. CLEOME. *Glandulae* nectariferae 3, ad singulum sinum calycis singulae, excepto infimo. *Petala* omnia adscendentia. *Siliqua* unilocularis, bivalvis.

CCCXX. SISYMBRIUM. *Siliqua* dehiscens valvulis rectiusculis. *Calyx* patens. Corolla patens.

CCCXVIII. HELIOPHILA. *Nectaria* 2 recurvata versus calycis basin vesicularum.

CLASSIS XVI.

MONADELPHIA.

TRIANDRIA.

CCCXXIII. HYDNORA. *Cal.* magnus, infundibuliformis, semitrifidus. *Pet.* 3, fauci tubi calycis inserta, illoque breviora.

CCCXXIV. PHYLLANTHUS. *Monoica. Masc. Cal.* 6-partitus, campanulatus. *Cor.* o. *Fem. Cal.* 6-partitus. *Cor.* o. *Styli* 3, bifidi. *Caps.* 3-locularis. *Sem.* solitaria.

TETRANDRIA.

CCCXXV. THUIA. *Monoica. Masc. Cal.* amenti squama. *Cor.* o. *Stam.* 4. *Fem. Cal.* strobili: squama biflora. *Cor.* o. *Pist.* 1. *Nux* 1, cincta alâ emarginatâ.

CCCXXVI. CISSAMPELOS. *Dioica. Masc. Cal.* 4-phyllus. *Cor.* o. *Nectarium* rotatum. *Stam.* 4, filamentis connatis. *Fem. Cal.* monophyllus, ligulato-subrotundus. *Cor.* o. *Styli* 3. *Bacca* 1-sperma.

PENTANDRIA.

CCCXXVII. HERMANNIA. *Cor.* cucullata! *Caps.* 5-locularis.

OCTANDRIA.

CCCXXVIII. AITONIA. *Monogyna. Cal.* 4-partitus. *Cor.* 4-petala. *Bacca* sicca, 4-angularis, 1-locularis, polysperma.

DECANDRIA.

a. *Monogyna.*

CCCXXX. GERANIUM. *Monogyna. Stigmata* 5. *Fructus* rostratus, 5-coccus.

CCCXXXII. EREBERGIA. *Nectarium* sertiforme, cingens germen. *Bacca* 5-sperma, seminibus oblongis.

CCCXXXIII. TRIBULUS. *Cal.* 5-partitus. *Pet.* 5, patentia. *Styl.* o. *Caps.* 5, gibbae, spinosae, polyspermae.

CCCXXXIV. ZYGOPHYLLUM. *Cal.* 5-phyllus. *Petala* 5. *Nectarium* decaphyllum, germen tegens. *Caps.* 5-locularis.

b. *Pentagyna.*

CCCXXIX. GRIELUM. *Cal.* 5-fidus. *Pet.* 5. *Filamenta* persistentia. *Pericarpia* 5, monosperma.

CCCXXXI. OXALIS. *Cal.* 5-phyllus. *Pet.* unguibus connexa. *Caps.* angulis dehiscens, 5-gona.

c. *Monoicae.*

CCCXXXV. ACALYPHA. *Masc. Cal.* 3-4-phyllus. *Cor.* o. *Stam.* 8 16. *Fem. Cal.* 3-phyllus. *Cor.* o. *Styli* 3. *Caps.* 3-cocca, 3-locularis. *Sem.* 1.

CCCXXXVI. CROTON. *Masc. Cal.* cylindricus, 5-dentatus. *Cor.* 5-petala. *Stam.* 10-15. *Fem. Cal.* polyphyllus. *Cor.* o. *Styli* 3, bifidi. *Caps.* 3-locularis. *Sem.* 1.

d. *Dioica.*

CCCXXXVII. TAXUS. *Masc. Cal.* 3-phyllus, gemmae. *Cor.* o. *Stam.* multa. *Antherae* peltatae, 8-fidae. *Fem. Cal.* 3-phyllus, gemmae. *Cor.* o. *Stylus* o. *Sem.* 1, calyculo baccato, integerrimo.

POLYANDRIA.

CCCXXXVIII. SIDA. *Cal.* simplex, angulatus. *Stylus* multipartitus. *Caps.* plures, 1-spermae.

CCCXL. MALVA. *Cal.* duplex: exterior triphyllus. *Arilli* plurimi, monospermi.

CCCXXIX. HIBISCUS. *Cal.* duplex: exterior polyphyllus. *Caps.* 5-locularis, polysperma.

CLASSIS XVII.

DIADELPHIA.

HEXANDRIA.

CCCXLI. FUMARIA. *Cal.* diphyllus. *Cor.* ringens. *Filamenta* 2 membranacea, singula *Antheris* 3.

OCTANDRIA.

CCCXLII. POLYGALA. *Cal.* 5-phyllus: foliolis 2 alaeformibus, coloratis. *Legumen* obcordatum, biloculare.

DECANDRIA.

a. Stamina omnia connexa.

CCCXLIII. ERYTHRINA. *Cal.* bilobatus: 1/1. *Cor.* vexillum longissimum, lanceolatum.

CCCXLVII. LEBECKIA. *Cal.* 5-partitus, laciniis acutis, sinubus rotundatis. *Legumen* cylindricum, polyspermum.

CCCXLVIII. RAFNIA. *Cal.* ringens, labio superiore bifido, inferiore divaricato trifido, dente medio angustiori. *Legumen* lanceolatum, compressum.

CCCLV. LUPINUS. *Cal.* bilabiatus. *Antherae* 5 oblongae, 5 subrotundae. *Legumen* coriaceum.

CCCXLIV. WIBORGIA. *Cal.* 5-dentatus, sinubus rotundatis. *Legumen* turgidum, falcatum, acutum.

CCCLII. SARCOPHYLLUS. *Cal.* campanulatus, 5-partitus, regularis. *Legumen* acinaciforme, acutum.

CCCXLV. BORBONIA. *Stigma* emarginatum. *Cal.* acuminato-spinosus. *Legumen* mucronatum.

CCCXLVI. OEDMANNIA. *Cal.* bilabiatus: labium superius bifidum, inferius setaceum.

CCCLIII. ASPALATHUS. *Cal.* 5-fidus: laciniâ superiore majore. *Legumen* ovatum, muticum, subdispermum.

CCCLIV. ONONIS. *Cal.* 5-partitus; laciniis linearibus. *Vexillum* striatum. *Legumen* turgidum, sessile. *Filamenta* connata, absque fissurâ.

CCCLI. CROTALARIA. *Legumen* turgidum, inflatum, pedicellatum. *Filamenta* connata cum fissurâ dorsali.

CCCL. HYPOCALYPTUS. *Cal.* apice ante explicationem auctus calyptrâ calyciformi, caducâ. *Legumen* compressum, stylo longo persistente.

b. Stigma pubescens.

CCCLXIV. COLUTEA. *Cal.* 5-fidus. *Legumen* inflatum, basi superiore dehiscens.

CCCLVI. PHASEOLUS. *Carina* cum staminibus styloque spiraliter tortis.

CCCLVII. DOLICHOS. *Vexilli* basis callis 2, parallelis, oblongis, alas subtus comprimentibus.

CCCLXV. LATHYRUS. *Stylus* planus, supra villosus, superne latior. *Cal.* laciniae superiores 2 breviores.

CCCLXVI. VICIA. *Stigma* latere inferiore transverse barbatum.

c. Legumina submonosperma (nec priorum).

CCCLXVII. PSORALEA. *Cal.* punctis callosis adspersus, longitudine *Leguminis* 1-spermi.

CCCLXVIII. MELILOTUS. *Cal.* tubulosus, 5-dentatus. *Cor.* decidua. *Carina* adpressa. *Legumen* oligospermum, dehiscens, calyce longius.

CCCLXIX. TRIFOLIUM. *Cal.* tubulosus, 5-dentatus. *Cor.* persistens. *Carina* adpressa. *Legumen* oligospermum, evalve, calyce tectum.

CCCLX. HALLIA. *Cal.* 5-partitus, regularis. *Legumen* monospermum, bivalve.

d. Lomentum in articulos secedens.

CCCLXI. HEDYSARUM. *Cor.* carina transverse obtusa. *Legumen* articulis monospermis.

CCCLIX. CORONILLA. *Cal.* 2-labiatus, 2/3: dentibus superioribus connatis. *Vexillum* vix alis longius. *Legumen* isthmis interceptum.

e. Legumen uniloculare polyspermum (nec priorum).

CCCLXX. TRIGONELLA. *Vexillum* et *Alae* subaequales, patentes, formâ corollae 3-petalae.

CCCLVIII. GLYCINE. *Cal.* bilabiatus. *Cor.* carina apice vexillum reflectens.

CCCLXII. INDIGOFERA. *Cal.* patens. *Cor.* carina utrinque calcari subulato, patulo! *Legumen* lineare.

CCCXLIX. LIPARIA. *Cal.* 5-fidus: lacinia infima elongata. *Cor.* alae inferius bilobae. *Staminis* majoris dentes 3 breviores. *Legumen* ovatum.

CCCLXIII. GALEGA. *Cal.* dentibus subaequalibus, subulatis. *Legumen* striis obliquis, seminibus interjectis.

CCCLXXII. MEDICAGO. *Legumen* compressum, cochleatum. *Carina* corollae a vexillo deflectens.

CLASSIS XVIII.

SYNGENESIA.

AEQUALIS. (HERMAPHRODITA Thunb.)

a. Semiflosculosi.

CCCLXXX. SCORZONERA. *Receptaculum* nudum. *Pappus* plumosus. *Cal.* imbricatus: squamis margine scariosis.

CCCLXXIV. CREPIS. *Recept.* nudum. *Cal.* calyculatus: exterior deciduus. *Pappus* plumosus, stipitatus.

CCCLXXV. LACTUCA. *Recept.* nudum. *Cal.* imbricatus, cylindricus, margine membranaceo. *Pappus* capillaris, stipitatus. *Sem.* laevia.

CCCLXXXVI. SONCHUS. *Recept.* nudum. *Cal.* imbricatus, ventricosus. *Pappus* capillaris.

CCCLXXXIII. HYOSERIS. *Recept.* nudum. *Cal.* subaequalis. *Pappus* sessilis, paleaceo-aristatus, capillari cinctus, aut ejus loco calyculus, capillarem pappum includens.

CCCLXXXVII. ROHRIA. *Recept.* favosum. *Cal.* polyphyllus, imbricatus: foliola interiora longiora. *Pappus* polyphyllus: foliola linearia, inaequalia, cuspidata, ciliata, corollâ breviora *).

b. Capitati.

CCCLXXXVI. PTERONIA. *Recept.* paleis multipartitis. *Pappus* subplumosus. *Cal. imbricatus.*

CCCLXXVIII. STOBAEA. *Recept.* hispidum, favosum. *Pappus* paleaceus. *Cor.* flosculosa. *Cal.* imbricatus, squamis dentato-spinosis.

CCCLXXIX. CYNARA. *Cal.* ventricosus, imbricatus: squamis carnosis, emarginatis, cum acumine.

c. Discoidei.

CCCLXXXV. STAEHELINA. *Recept.* brevissime paleaceum. *Pappus* ramosus. *Antherae* caudatae.

CCCLXXXVII. ATHANASIA. *Recept.* paleaceum. *Pappus* paleaceus, brevissimus. *Cal.* imbricatus.

CCCLXXXIX. TARCHONANTHUS. *Recept.* pilosum. *Pappus* pilosus. *Cal.* 1-phyllus, semiseptemfidus, turbinatus.

CCCLXXXIV. EUPATORIUM. *Recept.* nudum. *Pappus* plumosus. *Cal.* imbricatus, oblongus. *Stylus* semibifidus, longus.

CCCLXXXIII. CHRYSOCOMA. *Recept.* nudum. *Pappus* capillaris, sessilis. *Cal.* hemisphaericus, imbricatus. *Stylus* vix flosculis longior.

CCCLXXII. CACALIA. *Recept.* nudum. *Pappus* capillaris, longissimus. *Cal.* cylindricus, oblongus, basi tantum subcalyculatus.

CCCLXXXVIII. PENTZIA. *Recept.* nudum. *Pappus* margo membranaceus, lacerus. *Cal.* imbricatus, hemisphaericus.

CCCLXXXI. ETHULIA. *Recept.* nudum. *Pappus* o.

---

*) Div. *Willdenow* ROHRIAM hanc cum *Schrebero* BERCKHEYAM dixit, et *Syngenesiae frustraneae* inseruit sequente charact. *Recept.* paleaceum. *Sem* pilosa. *Pappus* paleaceus. *Cal.* imbricatus. *Cor.* radii hermaphroditae, staminibus castratis.

SUPERFLUA.

a. *Discoidei.*

CCCXCII. ARTEMISIA. *Recept.* subvillosum vel nudiusculum. *Pappus* o. *Cal.* imbricatus: squamis rotundatis, conniventibus. *Cor.* radii o.

CCCXCI. TANACETUM. *Recept.* nudum. *Pappus* o. *Cal.* imbricatus, hemisphaericus. *Cor.* radii trifidae, lineari-ligulatae, interdum o.

CCCCXII. COTULA. *Recept.* subnudum. *Pappus* marginatus. *Corollulae* disci 4-fidae, radii fere nullae.

CCCXCVIII. BACCHARIS. *Recept.* nudum. *Pappus* capillaris. *Cal.* imbricatus, cylindricus. *Flosculi* feminei hermaphroditis immisti.

CCCXCVI. CONYZA. *Recept.* nudum. *Pappus* capillaris. *Cal.* imbricatus, subrotundus. *Cor.* radii trifidae.

CCCXCIII. GNAPHALIUM. *Recept.* nudum. *Pappus* plumosus vel capillaris. *Cal.* imbricatus: squamis marginalibus, rotundatis, scariosis, coloratis.

CCCXCIV. ELICHRYSUM. *Recept.* nudum. *Pappus* pilosus vel plumosus. *Cal.* imbricatus, radiatus, radio colorato.

b. *Semiflosculosi, subbilabiati.*

CCCXCV. DENEKIA. *Recept.* nudum. *Pappus* nullus. *Cal.* imbricatus. *Cor.* radii bilabiatae.

CCCCVI. PERDICIUM. *Recept.* nudum. *Pappus* capillaris, sessilis. *Corollulae* bilabiatae.

c. *Radiati.*

CCCCX. MATRICARIA. *Recept.* nudum. *Pappus* o. *Cal.* hemisphaericus, imbricatus: squamis marginalibus solidis, acutiusculis.

CCCCXI. LIDBECKIA. *Recept.* nudum. *Pappus* o. *Sem.* angulata, articulo styli infimo persistente. *Cor.* radii plurimae. *Cal.* multipartitus.

CCCCIX. CHRYSANTHEMUM. *Recept.* nudum. *Pappus* marginatus. *Cal.* hemisphaericus, imbricatus: squamis marginalibus membranaceis.

CCCC. ARNICA. *Recept.* nudum. *Pappus* capillaris. *Corollulae* radii filamentis 5 sine antheris.

CCCXCIX. INULA. *Recept.* nudum. *Pappus* capillaris. *Antherae* basi in setas 2 desinentes.

CCXCVII. ERIGERON. *Recept.* nudum. *Pappus* capillaris. *Cor.* radii lineares, angustissimae.

CCCCI. CINERARIA. *Recept.* nudum. *Pappus* capillaris. *Cal.* simplex, polyphyllus, aequalis. (Flores radiati.)

CCCCII. DORIA. Character generis CINERARIAE. (Flores flosculosi.)

CCCCIV. SENECIO. *Recept.* nudum. *Pappus* capillaris longus. *Cal.* conicus, calyculatus: squamis apice sphacelatis. (Flores flosculosi).

CCCCIII. JACOBAEA. Character generis SENECIONIS. Flores radiati.

CCCCV. ASTER. *Recept.* nudum. *Pappus* capillaris. *Corollae* radii plures, quam 10. *Cal.* imbricati squamae inferiores patulae.

GCCCVII. LEYSERA. *Recept.* subpaleaceum. *Pappus* paleaceus: disci etiam plumosus. *Cal.* scariosus.

CCCXC. RELHANIA. *Recept.* paleaceum. *Pappus* membranaceus, cylindricus, brevis. *Cal.* imbricatus, scariosus. *Cor.* radii plurimae.

CCCCXIII. AMELLUS. *Recept.* paleaceum. *Pappus* capillaris. *Cal.* imbricatus. *Corollulae* radii indivisae.

CCCCVIII. ROSENIA. *Recept.* paleaceum. *Pappus* capillari-paleaceus. *Cal.* imbricatus, scariosus;

FRVSTRANEA.

CCCCXIV. GORTERIA. *Recept.* nudum. *Pappus* simplex. *Cor.* radii ligulatae. *Cal.* imbricatus: squamis spinosis.

CCCCXV. LAPEIROUSIA. *Recept.* nudum, papilloso-scabrum. *Pappus* 0, nisi margo tenuis. *Corollae* discoideae.

CCCCXVI. OSMITES. *Recept.* paleaceum. *Pappus* obsoletus. *Cor.* radii ligulatae. *Cal.* imbricatus, scariosus.

NECESSARIA.

CCCCXVII. CHORISTEA. *Recept.* setosum. *Pappus* paleaceus, polyphyllus. *Cal.* duplex, exterior subtriphyllus, interior polyphyllus. *)

CCCXXI. OTHONNA. *Recept.* nudum. *Pappus* subnullus. *Cal.* 1-phyllus, multifidus, subcylindricus.

CCCCXXII. HIPPIA. *Recept.* nudum. *Pappus* 0. *Semina* marginibus latissimis. *Cal.* hemisphaericus, subimbricatus. *Corollulae* radii 10, obsoletae, subtrifidae.

CCCCXX. OSTEOSPERMUM. *Recept.* nudum. *Pappus* 0. *Cal.* polyphyllus. *Drupae* subglobosae, coloratae, tandem osseae, congregatae, 1-loculares.

CCCCXVIII. CALENDULA. *Recept.* nudum. *Pappus* 0 *Cal.* polyphyllus, subaequalis. *Sem.* disci ut plurimum membranacea.

---

*) Hanc divus *Willdenow* sub DIDELTA in FRUSTRANEA.

CCCCXIX. ARCTOTIS. *Recept.* villosum vel paleaceum. *Pappus* corona subpentaphylla. *Cal.* imbricatus: squamis intimis apice scariosis.

CCCCXXIII. ERIOCEPHALUS. *Recept.* subvillosum. *Pappus* o. *Cal.* 10-phyllus, aequalis. *Radii* flosculis 5.

SEGREGATA.

CCCCXXVI. STOEBE. *Calyculus* 1-florus. *Corollae* tubulosae, hermaphroditae. *Recept.* nudum. *Pappus* plumosus.

CCCCXXIV. OEDERA. *Calyces* multiflori. *Corollulae* tubulosae, hermaphroditae: una alterave feminea ligulata. *Recept.* paleaceum. *Pappus* paleis pluribus.

CCCCXXV. SPHAERANTHUS. *Calyces* multiflori. *Coroll.* tubulosae, hermaphroditae et obsolete femineae. *Recept.* squamosum. *Pappus* o.

CCCCXXVII. CORYMBIUM. *Cal.* diphyllus, uniflorus, prismaticus. *Cor.* 1-petala, regularis. *Sem.* 1 infra corollulam, lanatum.

CLASSIS XIX.

CRYPTOGAMIA.

FILICES.

a. Fructificationes spicatae:

CCCCXXVIII. EQUISETUM. *Clava* ovato-oblonga, multivalvis: *Fructificationes* peltatae, intus dehiscentes.

CCCCXXIX. ONOCLEA. *Spica* disticha: *Fructificationibus* 3-5-valvibus.

CCCCXXX. OPHIOGLOSSUM. *Spica* disticha, articulata: articulis transversim dehiscentibus, subglobosis.

CCCCXXXI. OSMUNDA. *Spicae* ramosae: *Fructificationibus* subglobosis, sessilibus, transverse dehiscentibus.

b. Fructificationes frondosae in pagina inferiori:

CCCCXXXII. ACROSTICHUM. *Fructificationes* discum totum frondis inferius tegentes.

CCCCXXXVIII. POLYPODIUM. *Fructificationes* per inferiorem frondis partem in globulos dispositae.

CCCCXXXVII. ASPLENIUM. *Fructificationes* in lineas rectas subparallelas in pagina inferiori frondis congestae.

CCCCXXXV. Blechnum. *Fructificationes* in lineis 2 costae frondis approximatis, parallelis.

CCCCXXXIV. Schizaea. *Spicae* unilaterales, flabellatim aggregatae. *Capsulae* subturbinatae, sessiles, vertice radiatim striatae, poro oblongo latere hiantes. *Indusium* continuum e margine inflexo spicae formatum.

CCCCXXXIII. Pteris. *Fructificationes* in lineam digestae subtus cingentem frondis marginem.

CCCCXXXIX. Adiantum. *Fructificationes* in maculis ovatis, terminalibus, sub replicato frondis margine.

CCCCXLII. Trichomanes. *Fructificationes* solitariae, turbinatae, stilo setaceo terminatae, margini frondis ipsi insertae.

CCCCXXXVI. Caenopteris. *Fructificationes* in lineolis submarginalibus lateralibus membranâ exterius dehiscente tectis.

CCCCXL. Gleichenia. *Sori* subrotundi e capsulis 3 s. 4 stellatim positis, immersis compositi. *Capsulae* longitudinaliter hiantes. *Indusium* nullum.

CCCCXLI. Hymenophyllum. *Sorus* marginalis *receptaculo* cylindraceo insertus. *Indusium* bivalve, sorum includens.

MUSCI.

CCCCXLIII. Sphagnum. *Flos* masculus? clavatus: antheris planis. *Capsulae* in eadem planta operculatae, sessiles sine calyptra integra: ore laevi.

CCCCXLIX. Bryum. *Gemmae* saepe axillares, nunc in alia, nunc in eadem planta cum *capsulis* calyptrâ munitis, pedunculo terminali ex tuberculo exeunti insidentibus.

CCCCXLV. Funaria. *Gemmae capsulaeque* in eadem planta. *Peristoma* internum ciliis 16 membranaceis, planis.

CCCCXLVI. Dicranum. *Gemmae capsulaeque* in diversa planta: illis capitatis, harum peristomate simplici: peristomatis dentibus 16.

CCCCXLVII. Trichostomum. *Gemmae* in eadem planta cum capsulis sparsae: *peristoma* 16-dentatum, simplex.

CCCCXLVIII. TORTULA. *Gemmae* in eadem planta cum capsulis; *peristoma* 16-dentatum, praeter dentes ciliis spiraliter convolutis munito.

CCCCL. NECKERA. *Gemmae capsulae*que in diversa planta. *Peristomatis* interni cilia apice libera.

CCCCLI. HYPNUM. *Gemmae* in alia ut plurimum planta. *Capsula* pedunculo laterali ex perichaetio prodeunti insidentes; *peristomate exteriori* 16-dentato.

CCCCXLIV. JUNGERMANNIA. *Scyphuli* vesiculiferi *squamulae* gemmiferae laterales, aut *capitula* pulverulenta. *Capsula* pedunculata, nuda, 4-valvis: seminibus subrotundis.

ALGAE.

CCCCLIII. MARCHANTIA. *Capsula* sessilis, campanulata. *Gemma* peltata, pedunculata.

CCCCLII. TARGIONIA. *Cal.* bivalvis, compressus, fovens in fundo capsulam subglobosam, polyspermam.

CCCCLIV. LICHEN. *Gemmae* vel pulverem subtilissimum inorganicum referentes, vel receptaculis elevatis nitidis farinae crustae frondisve immixtis contentae.

CCCCLV. ULVA. *Gemmae* vel *Gongyli* rotundi in membrana diaphana.

CCCCLVII. FUCUS. *Globuli* carpomorphi vel semina graniformia sub punctis perforatis latentia.

CCCCLVI. CONFERVA. *Fibrae* simplices aut ramosae, intra quas *gemmae* globulosae.

AGARICI.

CCCCLVIII. AGARICUS. *Fungus* subtus lamellosus.

CCCCLIX. MERULIUS. *Fungus* subtus venosus.

CCCCLX. BOLETUS. *Fungus* subtus porosus.

CCCCLXI. CYATHUS. *Fungus* campanulatus, cylindricusve, capsulas lentiformes intus gerens.

CCCCLXII. PEZIZA. *Fungus* saepe concavus, sine capsulis aut seminibus nudo oculo conspicuis.

CCCCLXIII. CLAVARIA. *Fungus* elongatus, subsolidus, in superficie omni fructificans.

CCCCLXIV. LYCOPERDON. *Fungus*: Fila seminifera cum thecae parietibus internis connexa.

CCCCLXV. SPHAERIA. *Fungus:* Thecae subrotundae seminibus nudis gelatinosis repletae.

CCCCLXVI. MUCOR. *Fungus* fugax: capitula rorida primum diaphana, demum opaca, stipitibus simplicibus ramosisve affixa.

FLORA CAPENSIS.

Classis I.

MONANDRIA.

MONOGYNIA.

I. SALICORNIA.

Cal. ventriculosus, integer. Petala o. *Sem.* 1.

1. S. (*fruticosa*) fruticosa, erecta, articulis subaequalibus, obtusis, approximatis. *Prodr. Plant. Cap.* p. 1. *Salicornia fruticosa. Linn.* Spec. Plant. p. 5. Syst. nat. ed. XV. p. 52. *Willd.* Tom. 1. Part. 1. p. 24.

Hollandis Caput bonae spei incolentibus: Zee korall. Crescit ad littora urbis Cap, praesertim ad Zoutrivier. Floret Martio. *Caulis* fruticosus, tripedalis, totus glaber. *Rami* et ramuli oppositi, inferne teretes, superne tetragoni, erecti, adultiores reflexi, articulati: articuli, compressi, sensim superne dilatati, lineam longi, semilineam lati. *Perianthium* 1-phyllum, 4-fidum. *Corolla* nulla. *Filamentum* unicum, filiforme, erectum, breve, viride. *Anthera* tetragona, quadrisulca, obtusa, erecta, flava, calyce duplo longior. *Stylus* sub anthera, albus, plumosus, longitudine antherae. *Stigma* simplex, acutum.

Obs. Quidam flores feminei videbantur versus apicem caulis, et quaedam antherae absque pistillo, adeoque planta monoica. *Usus:* Ramuli foliosi, carnosi, cum aceto et oleo olivarum, instar Lactucae, saepe comeduntur, etiam ut antiscorbuticum remedium, suntque salsi, non tamen ingrati saporis.

II. DAHLIA.

Cal. squama. Cor. 1-*phylla. Caps.* 1-*locularis. Nov. Plant. Genera* ed. *Götting.* Vol. 1. p. 108.

1. D. (*crinita.*) Prodr. Capens. p. 1. Act. Societ. Hist. Natur. Hafniens. Tom. 2. Vol. 1. p. 133. Tab. 4.

Crescit in Sylvis Houtniquas. Floret Novembri et insequentibus mensibus. *Frutex* exiguus, ramulosus. *Rami* alterni, tere-

tes, inferne glabri, apice tomentosi. *Ramuli* ferrugineo-tomentosi a villo denso, longiori. *Folia* opposita, petiolata, ovata, acuminata, integra, parallele-nervosa, glabra, supra viridia, subtus pallidiora, pollicaria et ultra. *Petioli* tomentosi, ferruginei, vix unguiculares. *Flores* **dioici**, in ramulis terminales, capitati, in receptaculo communi aggregati.

III. PHELYPAEA.

Cal. o. *Cor.* 6-*partita*. *Pist.* 1. *Nova Plant. Gener.* ed. *Götting.* 1799. 8°. Vol. 1. p. 91.

1. P. (*sanguinea.*) Prodrom. Plantar. Capens. p. 1.

Africanis: *Aardroos*. *Crescit in campis demersis sabulosis inter Urbem Cap. et seriem montium, sub fruticibus parasitica. Floret Julio, Augusto, Septembri, Octobri.*

Caulis simplex, totus tectus squamis imbricatis, erectus, sensim parum incrassatus, pollicaris usque digitalis. *Folia* nulla, sed potius squamae oblongae, obtusissimae, glabrae; intus concavae, extus convexae; sparsae, adpressae, floribus quoque instar bracteorum interspersae, pollicares, inferiores sensim minores; omnes praesertim apice incarnatae. *Flores* solitarii vel saepius aggregati, carnosi, sanguinei, masculini et feminei distincti in distincto individuo. *Bracteae* binae, subopositae, obtusae, concavae, sanguineae, glabrae, capsulae insertae, corollâ breviores, unguiculares.

Classis II.

DIANDRIA.

MONOGYNIA.

IV. OLEA.

Cor. 4-fida: laciniis subovatis. Drupa monosperma.

1. O. (*europaea.*) foliis lanceolatis; paniculâ trichotomâ. *Prodr. Cap.* p. 2. Olea *europaea. Linn.* Spec. Plant. p. 11. *Willd.* T. 1. P. 1. p. 44. Syst. Veg. XIV. p. 57. Phillyrea foliis longis subtus flavis, fructu deciduo. *Burman. Dec. Afr.* p. 237. tab. 83. f. 2.

Africanis Belgis: Wilde Olyven. Crescit prope urbem Cap in collibus, ad Drakenstein alibique, in fossis lateris occidentalis montis tabularis vulgaris. Floret Julio. Fructum maturum inveni mense Aprili, Majo.

Arbor excelsa; *rami* et *ramuli* teretes, superne subtetragoni, punctis elevatis scabri, glabri, cinerei, erecti. *Folia* decussata, petiolata, obtusa cum acumine, integra, frequentia, erecta; supra viridia, sulco longitudinali; subtus cinerea, nervo crasso; internodiis longiora, bipollicaria. *Petioli* supra plani sulco longitudinali; subtus convexi, lateribus subdecurrentes, semiunguiculares. *Flores* ex axillis foliorum paniculati. *Panicula* ternato-supradecomposita, pedunculis oppositis tetragonis. *Bracteae* oppositae, deciduae, pedicellis breviores. *Perianthium* 1-phyllum, 4-dentatum, glabrum, corollâ brevius: *dentes* acuti, erecti, breves. *Corolla* 1-petala, rotata, alba. *Limbus* 4-partitus, patens: *laciniae* ovatae, concavae, obtusae. *Filamenta* duo, ori tubi inserta, alba, brevissima. *Antherae* majusculae, ovatae, intus planae, extus convexae, didymae. *Germen* superum, glabrum. *Stylus* brevissimus, fere nullus. *Stigma* parum incrassatum, subbifidum. *Drupa* vix carnosa, magnitudine pisi. *Usus:* fructus diarrhoeis sistendis adhibetur.

2. O. (*capensis.*) foliis ovatis, integris; paniculâ terminali, trichotomâ, decompositâ. *Prodr. Cap. p.* 2. Olea *capensis. Linn.* spec. Plant. p. 11. Syst. Veg. XIV. p. 57. *Willd.* T. 1. P. 1. p. 45. *Berg.* Plant. Capens. p. 1.

Africam incolentibus Hollandis: Buckuhout et Witte Bucka. Crescit in sylvis ad Paradys, Houtniquas et alibi. Floret Januario, Februario.

Arbor excelsa, crassa. *Rami* et *ramuli* tetragoni, punctis elevatis scabri, cinerascenti-virides. *Folia* opposita, petiolata, acuta, crassa, sempervirentia, erecta; supra subrugosa, viridia, nervosa; subtus laevia, enervia, pallide viridia; utrinque glabra, longitudine internodiorum, pollicaria et ultra. *Petioli* crassiusculi, semiteretes, lateribus subdecurrentes, brevissimi. *Flores* in ramulis terminales, paniculati, parvi. *Panicula* ternato supradecompositа, patula. *Pedunculi* communes tetragoni, oppositi, glabri, foliis breviores; proprii brevissimi, bracteati. *Bracteae* subulatae, minimae, calyce breviores. *Perianthium* 1-phyllum, brevissimum, 4dentatum: dentes acuti, erecti. *Corolla* 1-petala, infera, alba. *Tubus* brevissimus, ut fere nullus. *Limbus* 4 partitus: laciniae ovatae, obtusae, calyce duplo longiores, patentes. *Filamenta* duo, opposita, subulata, corollâ breviora. *Antherae* cordatae, majusculae, flavae, didymae, incumbentes, sulcatae. *Germen* superum. *Stylus* subulatus, cylindricus vel subtetragonus, corollâ brevior. *Stigma* simplex, obtusum, flavum vel fuscum. *Drupa* subrugosa, glabra, calyce persistente cincta, magnitudine pisi. *Usus:* Lignum album, ponderosum pro sellis fabricandis rusticis Africanis inservit.

V. JASMINUM.

Cor. hypocrateriformis, 5-8 fida. Bacca dicocca. Semina solitaria, arillata.

1. J. (*capense.*) foliis oppositis, ternatis, ovatis, acuminatis; caule erecto, angulato. *Prodr. Capens.* p. 2. JASMINUM *angulare. Willd.* Spec. Plant. T. 1. P. 1. p. 36.

Crescit in sylva ad rivulum Zeeko Rivier, et *Zonder End. Floret Novembri, Decembri, Januario.*

Arbor circiter orgyalis, tota glabra. *Rami* et *ramuli* decussati, angulati, erecto patentes. *Folia* petiolata. *Foliola* lateralia breviter, intermedium longe petiolulata; omnia subretusa cum acumine, integra, nervosa, pollicaria, lateralibus paulo minoribus. *Flores* terminales, paniculati, albidi. *Panicula* trichotoma, decomposita, erecta.

2. J. (*glaucum.*) foliis oblongis, mucronatis. *Prodr. Cap.* p. 2. Jasminum africanum foliis solitariis, floribus vulgatiori similibus. *Commelin. Pl. Rar. tab.* 5 fig. 5. NYCTANTHES *glauca. Linn.* Suppl. Syst. p. 82. Syst. Veg. XIV. p. 56. *Willd.* Spec. Plant. T. 1. P 1. p. 37.

Crescit in Lange kloof, ad magnum rivulum Zonder End et juxta Rederivier. Floret Decembri.

Fratex erectus, glaber, fere orgyalis. *Rami* et *ramuli* subopositi, teretes, superne compressi, laxi, glabri, erecti. *Folia* opposita, breviter petiolata, acuminata, integra, glabra, pollicaria. *Flores* terminales, paniculati, albi. *Panicula* simplex et composita, trichotoma. *Corollae* tubus striatus, pollicaris: *Limbus*, 6-vel 7-partitus.

VI. ORCHIS.

Nectarium corniforme pone florem.

1. O. (*speciosa.*) labello 5-partito, laciniis flexuosis; corollis 7-petalis; foliis ovatis. *Prodr. Cap.* p. 4. Orchis *speciosa. Linn.* Suppl. Syst. nat. p. 401. Syst. Veget. XIV. p. 809.

Crescit prope rivulos plures, ut Hafferkuyls-rivier, Krum-rivier, Zeeko rivier et in Musselbaij. Floret Octobri, Novembri, Decembri.

Caulis foliis vaginantibus tectus, superne bracteis ornatus, teres, glaber, pedalis, crassitie digiti. *Folia* subradicalia, vaginantia, ovato oblonga, acuta, integra, glabra, patentia, circiter 4 l. 5, bipollicaria vel ultra, superioribus sensim minoribus. *Bracteae* alternae, sub floribus sessiles, ovatae, acuminatae, integrae, concavae, albidae, pollicares. *Flores* plurimi, sparsi, speciosi. *Corolla* subringens. *Labium* superius (s. galea) erectum, perpendiculare, ovatum, concavo-fornicatum, dorso carinatum, utrinque lineis duabus elevatis striatum, virescens, constans petalis tribus, quorum medium ovatum, tricarinatum; duo lateralia linearia cum medio laeviter cohaerentia. *Labium* inferius constat petalis quatuor lateralibus, quorum duo exteriora cordato-emarginata, lobo posteriori acuminato, venoso-reticulata, supra lineâ triplici, subtus sulcis totidem virescentibus: duo interiora lineari-lanceolata, subfalcata, erecta, teneriora, basi labello connata. *Labellum* inter petala labii inferioris assurgens, versus medium 5-partitum: *laciniis* adscendentibus, inferioribus linearibus rectis, superioribus lanceolato-falcatis, apice flexuosis; intermediâ filiformi, breviori. *Calcar* ad basin labelli subtus productum, sublineare, dependens, versus apicem obtusum, paululum dilatatum, longitudine capsulae, sesquipollicare, virescens. *Anthera* stylo brevi adnata, erecta, gibba, ovata cum acumine brevissimo, bilocularis. Massae pollinis oblongae, granulatae, pedicellatae; pedicellis antrorsum arcuatis, marginibus membranaceis cuculli semiaperti insertis, glandulâ terminatis, (hinc cucullus quasi bicornutus.) *Stigma* anticum inter basin cuculli et meatum in cornu, convexum. *Capsula* pollicaris et ultra, basi torta, lineis sex elevatis angulata.

2. O. (*pectinata.*) labello multipartito, laciniis capillaribus; folio orbiculato, ciliato. *Prodr. Cap* p. 4. Orchis *Burmanniana. Linn.* Suppl. p. 1334. Syst. Veg. XII. p. 674. Arethusa *ciliaris. Linn.* Suppl. p. 405. Syst. Veg. XIV. p. 817.

Crescit prope urbem Cap, et in Roode Sand, in montium lateribus. Floret Octobri, Novembri, Decembri.

Bulbi duo, ovati, indivisi, albi, magnitudine pisi. *Scapus* simplex, teres, villosus, uniflorus, erectus, purpureus, palmaris. *Foliam* radicale, amplexicaule, integrum, crassiusculum, patens, margine reflexo; subtus pallidius venosum; supra

laete viride, margine tenuissime ciliatum. *Bractea* sub basi capsulae convoluta, acuta, villosa, viridis, capsula dimidio brevior. *Corolla* submonopetala, subringens, viridis. *Laciniae* tres exteriores galeam formantes, basi supra germen in tubum brevem gibbum coalitae, lanceolatae, concavae, obtusae, intus glabrae, extus villosae, lineatae, laterales subinde reflexo-patentes, media erecta. Duae interiores e basi styli, laterales lanceolatae, erectae, subfornicatae, concavae, galeam simul formantes, apice filiformi erecto auctae, albidae, lineâ sesquialterâ longitudinali caeruleâ. *Labellum* cum laciniis lateralibus exterioribus basi connatum, concavo-tubulosum, lamina multipartita seu laciniae 5, quarum singula (exceptâ intermediâ integrâ lineari) iterum 4-6-partita, lacinulis linearibus patentibus, pollicaribus, supra albis, subtus caeruleis. *Faux* tubi lineolis punctisque tenuissimis caerulescentibus. *Calcar* e basi Labelli subtus productum, obtusum, curvum, tubo corollae connatum, albovirescens, longitudine dimidiâ capsulae. *Anthera* stylo elongato erecto connata, oblonga, cum acumine brevi, bilocularis. Massae pollinis clavatae, pedicellis erectis, longitudine styli, ad basin ejus insertis. *Stylus* intra tubum corollae continuatus, illoque postice coalitus. *Stigma* intra tubum, postice situm, convexum, ad apicem germinis. *Capsula* oblonga, basi attenuata, curva, villosa, striata.

3. O. (*hispida.*) labello tripartito, laciniis linearibus; foliis binis, rotundis, hispidis. *Prodr. Cap.* p. 4. Orchis *hispidula. Linn.* Suppl. p. 401. Syst. Veg. XIV. p. 809.

Crescit in arenosis depressis extra Cap, in summitate Taffelberg et rupibus lateris occidentalis ejusdem montis. Floret Septembri et sequentibus mensibus usque ad Januarium.

Bulbus rotundus, indivisus, fibris cinctus, magnitudine pisi. *Folia* radicalia duo, amplexicaulia, cordata, plana, integra, squamis hispida, inferius subpollicare, superius quadruplo minus. *Scapus* teres, erectus, simplex, viridis, hispidus pilis longis albis reflexis, palmaris. *Flores* virides, glabri, spicâ digitali. *Bractea* sub singulo flore ovata, acuta, supra glabra, subtus piloso-hispida, erecta, longitudine capsulae. *Corolla* 5-petala: tria exteriora, quorum unum posterius, duo lateralia paulo minora, ovata, erecta, concava, extus pilosa: duo interiora lineari-lanceolata, duplo l. triplo longiora, glabra, cum supremo galeam formantia. *Labellum* latiusculum, concavum, erectum, longitudine petalorum interiorum, infra medium tripartitum: laciniae lineam longiores, mediâ paullo longiore. *Calcar* e basi labelli inter petala lateralia exter. descendens, teres, leviter curvum, capsulâ brevius. *Columna* genitalium brevissima, cui *Anthera* coalita, ovata, latiuscula. *Stigma* anticum, sub anthera pone meatum in calcar, concavum. *Capsula* ovata, torta, pilosa, lineam longa.

4. O. (*secunda.*) labello quinquepartito, laciniis filiformibus; foliis ovatis, glabris; spicâ secundâ. *Prodr. Capens.* p. 4.

Scapus flexuoso-erectus, villosus, spithamaeus. *Folia* radicalia

duo, amplexicaulia, acuta, nervosa, subreticulata, integra, pollicaria. *Flores* spicati, secundi; spicâ digitali. *Corolla* 5-petala: tria exteriora subaequalia, ovata, concava, glabra, erecta: duo interiora triplo longiora, lanceolato-linearia, erecta, apice divergentia. *Labellum* latum, concavum, infra medium quinquepartitum, laciniis linearibus, binis brevioribus; intermediis duplo longioribus. *Calcar* e basi labelli conicum, attenuatum, curvatum, capsulâ brevius. *Genitalia* ut in O. *hispida*.

VII. DISA.

Spatha 1-*valvis*. *Petala* 3, *tertium minus, bipartitum, basi gibbosum*.

1. D. (*grandiflora*.) galeâ acutâ, erectâ; calcare conico, nutante; labello lineari, obtuso; caule subbifloro. Satyrium *grandiflorum*. Prodr. Capens. p. 4. Orchis africana flore singulari herbaceo. *Ray. hist.* v. 3. p. 586. Disa *uniflora*. *Berg.* Pl. Cap. 348. T. 4. f. 7. Disa *grandiflora*. *Linn.* Suppl. p. 406. Syst. Veg. XIV. p. 817.

Crescit in summitate montis Tabularis. Floret Februario, Martio.

Folia subradicalia, alternatim scapum vaginantia, ensiformia, supra canaliculata, subtus carinata, venosa, integra, glabra, spithamaea. *Caulis* vel Scapus curvato-erectus, uniflorus, raro biflorus, rarius triflorus, glaber, pedalis. *Flos* solitarius, duo vel tres, sanguineus, magnus, speciosus, nutans. *Bractea* ovato-oblonga, acuminata, longitudine capsulae. *Corolla* subresupinata, pentapetala. Petala tria exteriora, quorum *unum* posticum (situ anticum) seu galea ovata, valde concava, alba venis sanguineis, calcare postico conico, recto vel leviter incurvo, capsulâ breviore; *duo* lateralia oblongo-ovata, acuminata, erecto-patentia: *duo* interiora stylo ad latera longitudinaliter inserta, galeâ inclusa, rhombea, concava, flavescentia, purpureo-maculata. *Labellum* inter petala duo exteriora ante stigma insertum, erectiusculum. *Anthera* oblonga, acuminata, stylo adnata, intra galeam cum petalis interioribus suberecta; bilocularis. *Massae* pollinis oblongae, acuminatae, podicellis lobo albido ex stylo ad latera antice utrinque exserto adfixis. *Stigma* anticum infra antheram inter lobos styli, globosum.

2. D. (*cornuta*.) galeâ obtusâ; calcare conico, deflexo, petalis interioribus bidentatis; labello obovato, plano, velutino. Orchis *cornuta*. *Linn.* Spec. pl. p. 1330. Syst. Veg XIV. p. 807. Satyrium *cornutum*. Prodr. Cap. p. 5.

Crescit prope Cap in dunis, inque collibus Houtniquas. Floret Octobri, Novembri et sequentibus mensibus usque in Februarium.

Bulbus indivisus, fibris cinctus. *Caulis* crassus, foliis inferne, floribus superne totus tectus, pedalis, crassitie digiti. *Folia* alterna, vaginantia, disticha, ensiformia, convoluta, integra, approximata, patula, circiter sex, palmaria. *Vaginae* foliorum

albae, maculis purpureis. *Florum* spica spithamaea, laxiuscula, sensim florens. *Bractea* sub singulo flore ovata, acuminata, concava, longitudine floris. *Corolla* subresupinata. Galea magna, fornicata, horizontalis, apice emarginata, viridi-lutea, dorso purpurascente; calcare postico horizontali, attenuato, longitudine galeae, virescente; *Petala* lat. exteriora lato-ovata, subemarginata cum acumine brevissimo, longitudine galeae, alba; interiora lateribus styli inserta, intra galeam recondita, e basi lata medio angustiora, falcata, recurva, apice dilatata, bidentata, denticulo exteriore longiore; alba margine antico purpureo, apice virescente. *Labellum* petalis exterioribus incumbens et dimidio brevius, basi album, apice atrum. *Anthera* obovata, in galeam reclinata. *Stigma* globosum. *Capsula* torta, triangularis, sexstriata.

3. D. (*macrantha.*) galeâ acutâ, erectâ; calcare conico, porrecto; petalis interioribus retusis; labello oblongo, acuto, carinato.

Caulis et folia ut in Disa *cornuta*. *Spica* densior, floribus *cornutae* fere majoribus. *Corollae* galea horizontalis *), fornicata, postice calcarata: *Calcar* attenuatum, galeâ brevius. *Petala* lat. exteriora parva, in galea recondita, basi rotundata, medio falcato-curvata, postice angulata, apice dilatata, retusa, crenulata, venosa. *Labellum* integrum, glabrum, erectiusculum. *Genitalia* ut in D. *cornuta*.

4. D. (*longicornis.*) galeâ obtusâ, supinâ; calcare germine longiore, deflexo; labello lanceolato, obtuso; caule unifloro. *Prodr. Capens.* p. 4. Disa *longicornis Linn.* Suppl. p. 406. Syst. Veget. XIV. p. 817.

Crescit in Taffelberg in praeruptis summitatis montis ad latus sinistrum Floret Januario, Februario.

Folia radicalia, scapum inferne vaginantia, circiter quinque, lanceolata, inferne sensim attenuata, acuta, integra, nervosa, recurvato-patentia, supra viridia, subtus pallidiora, scapo breviora, digitalia vel palmaria. *Scapus* teres, erectus, glaber, vaginis membranaceis tectus, spithamaeus. *Flos* terminalis, solitarius, nutans, caeruleus. *Bractea* spathacea, dimidiam capsulam a latere inferiori amplexans, lanceolata, acuta, concava, membranacea, capsulâ brevior. *Corolla* resupinata. *Galea* (petalum anticum) suborbiculata, ampliata, integra, horizontaliter patens, venis ramosis reticulata, saccata, calcarata: *Calcar* cylindricum, sensim e basi ampliore angustatum, curvatum, obtusum, venosum, capsulâ duplo longius, dependens. *Petala* lat. exteriora ovato-oblonga, acuta, concaviuscula, venoso-reticulata, erecta, aequalia; interiora ad basin styli inserta, sublinearia, apice sensim attenuata, obtusa, a latere exteriore dente obtuso magno decurrente aucta, intra saccum galeae curvata et recondita, exterioribus longiora. *Labellum* inter petala exteriora insertum, illis consimile sed brevius et angustius, erectiusculum. *Anthera* stylo adnata, obovata, in galeam recli-

*) In diagnosi *erecta*. *Editor.*

nata. *Stigma* globosum ad basin labelli. *Capsula* cylindrica, incurva, sexstriata, glabra.

5. D. (*sagittalis.*) galeâ apice dilatatâ trilobâ, calcare nutante subulato; labello lanceolato undulato. Orchis *sagittalis. Linn.* Suppl. p. 399. Syst. Veg. XIV. p. 807. Satyrium *sagittale.* Prodr. Cap. p. 5.

Crescit in Collibus Houtniquas. Floret Novembri.

Bulbi oblongi, magni, indivisi. *Folia* radicalia plura, lato-lanceolata, integra, glabra, pollicaria usque digitalia. *Scapus* incurvato erectus, vaginis tectus, palmaris. *Vaginae* membranaceae, acuminatae. *Flores* plures in spica digitali laxa, patuli. *Bracteae* sub floribus reflexae. *Corolla* subresupinata. *Galea* suberecta, concava, carinata, lobis lateralibus lunatis, intermedio minimo acuto, venosa, postice basi calcarata: *Calcare* conico, longitudine galeae. Petala lateralia exteriora oblonga, obtusa cum acumine, leviter concava; interiora ad latera styli inserta, galeâ obumbrata, basi latiuscula, superne lineari-lanceolata, flexuosa, galeae fere aequalia. *Labellum* integrum, pet. inter. paullo latius, deflexum. *Anthera* obovata, reclinata. *Stigma* globosum.

6. D. (*bifida.*) galeâ obtusâ, calcare adscendente apice bifido; petalis interioribus labelloque lanceolatis acutis. Satyrium *bifidum.* Prodr. p. 5.

Crescit in Cap. b. Spei interioribus regionibus.

Scapus teres, erectus, glaber, pedalis. *Folia* nulla mihi visa. *Vaginae* in scapo alternae, convolutae, ferrugineae, unguiculares. *Flores* terminales, secundi, erecti, bracteis sub singulo flore acuminatis, capsulâ multoties brevioribus. *Corollae* galea oblonga, fornicata, erecta, postice versus basin exserens. *Calcar* cylindricum, horizontale l. parum adscendens, apice extimo bifidum, unguiculare. Petala lat. exteriora oblonga, obtusiuscula, carinata, patentia; interiora galea tecta, recurva, basi latiuscula, erecta. *Labellum* indivisum, integrum, petalis exterior. consimile. *Anthera* oblonga, minuta, inter petala interiora reclinata. *Stigma* ad basin labelli, globosum.

7. D. (*flexuosa.*) galeâ obtusiusculâ; calcare obtuso porrecto; petalis interioribus apice linearibus acutis, labello ovato-acuminato crispo; caule flexuoso. Orchis *flexuosa. Linn.* Amoen. Acad. 6. Spec. Plant. 2. p. 1331. Satyrium *flexuosum.* Prodr. p. 5.

Crescit in arenosis depressis et vere inundatis campis Groene Kloof et Swartland, inter Cap et Drakenstein atque Stellenbosch. Florot a Junio usque in Octobris mensem.

Caulis teres, glaber, erectus, spithamaeus et ultra. *Folia* radicalia plura, ovata, basi attenuata, obtusa, integra, glabra, subtus pallidiora, patentia, unguicularia; spathae similia, lanceolato-cucullata, erecta. *Flores* terminales, tres vel quatuor, erecti. *Bractea* sub singulo flore, capsulâ brevior. *Corollae* galea ovata, obtusa, antice concava, postice convexa, margini

bus reflexis, unguicularis, basi calcarata: *Calcar* leviter subincurvum s. deflexum, teres, dorso sulcatum, emarginatum, album. *Petala* lat. exteriora ovata, dorso convexa, carinâ rufescente, antice concava, marginibus inflexis subcrispis, crystallino-alba, unguicularia; interiora sub galea inclusa, linearia acuminata, basi latiora, intus concava, extus alba, subincurvata, crocea, lineâ subovatâ fuscâ. *Labellum* basi latum, intus valde concavum, extus convexum, medio contractum, e medio ad apicem oblongo-attenuatum, marginibus crispis, croceum, striis supra obliquis fuscis; longitudine petalorum exteriorum. *Anthera* obovata, in concavitate baseos galeae reclinata.

8. D. (*torta.*) galeâ acuminatâ; calcare conico obtuso adscendente; petalis interioribus bidentatis; labello oblongo apice subulato convoluto; caule flexuoso. Orchis *flexuosa. Linn.* Suppl. p. 398. Syst. Veg. XIV. p. 807-808. Satyrium *tortum.* Prodr. p. 5.

Crescit in arenosis depressis et vere inundatis campis Groene Kloof et Swartland, nec non inter Cap et Drakenstein atque Stellenbosch. Floret Septembri, Octobri.

Bulbas indivisus, oblongus, piso minor. *Folia* radicalia plura, ovata, inferne attenuata, acuta, integra, glabra, patentia, unguicularia; caulina spathacea, alterna. *Caulis* teres, glaber, palmaris. *Flores* terminales, duo, tres l. quatuor, subsecundi, cernui. *Corolla* resupinata. *Galea* oblonga, fornicata, apice setacea, basi postice dilatata in *Calcar* longitudine galeae, horizontale l. leviter adscendens. *Petala* lat. exteriora oblongo-lanceolata, galeâ fere longiora, erecta, conniventia; interiora minima, lanceolata, postice rectangulata, apice acuminata, denticulo anteriore longiore, in galea recondita. *Labellum* pet. ext. fere longitudine, basi ovatum, medio contractum, apice sensim attenuatum, leviter carinatum. *Anthera* oblonga, petalis interioribus basi amplexa, intra basin galeae reclinata. *Similis* D. *flexuosae*, sed corolla diversissima.

9. D. (*draconis.*) galeâ obtusâ erectâ apice dilatatâ; calcare subulato germine longiore, nutante; labello lineari obtuso; spicâ fastigiatâ, bracteis reticulato-nervosis. Orchis *Draconis Linn.* Suppl. p. 400. Syst. Veg. XIV. p. 807. Satyrium *draconis.* Prodr. p. 5.

Crescit in Roggeveld, Fransche Hoek; alibi. Floret Novembri, Decembri.

Bulbus indivisus, rotundatus, magnitudine fabae. *Scapus* teres, totus vaginatus bracteis, erectus, pedalis. *Bracteae* foliaceae, alternae, membranaceae, reticulatae, imbricatae, acutae, albidae. *Flores* terminales, fastigiati. *Corolla* subresupinata. *Galea* patens, obovata, concava, alba, basi ventricosa, calcarata: *Calcar* longissimum, 1-2 pollicare, prope galeam dilatatum, album, purpureo-striatum, sensim elongatum, filiforme, curvatum, virescens, capsulâ longius. *Petala* lat. exteriora lineari-oblonga, apice obtusa, acumine subulato, concava, erecta, flavescenti-alba, extus carina viridi, venosa; in-

teriora lineari-oblonga, basi latiuscula, apice obtusa, leviter emarginata; erecta, conniventia, exterioribus breviora, flavescenti-alba, intus striis margineque antico purpureis; galea obvoluta. *Labellum* apice dilatatum, patens, leviter deflexum, longitudine petalorum inter. tertiam lineae partem latum, album. *Anthera* obovata, intra basin galeae reclinata, flavescens. *Stylus* brevissimus. Stigma globosum, fuscum. *Germen* elongatum, lineare, basi attenuatum, pedunculum mentiens.

10. D. (*ferruginea.*) galeâ acuminatâ, dorso conicâ; calcare subulato, deflexo: petalis interioribus cuspidatis; labello lanceolato obtuso; spicâ ovatâ multiflorâ. Satyrium *ferrugineum*. Prodr. p. 5.

Crescit in frontispicio montis Tabularis. Floret Aprili.

Bulbum et folia videre mihi non contigit. *Scapus* teres, striatus, incurvato-erectus, vaginatus, pedalis. *Vaginae* plures, alternae, membranaceae, cuspidatae, glabrae. *Spica* policaris, rarior. *Bracteae* vaginis similes sub singulo flore. *Corolla* resupinata. *Galea* fornicata, saccata sacco in *Calcar* postice prodeunte, basi amplius, apice subulatum, capsulâ fere longius. *Petala* lat. exteriora ovato-lanceolata, setaceo-cuspidata, concava, patula; interiora minuta, linearia, stylo ad latera inserta. *Labellum* inter petala exteriora, illisque brevius, concavum, erectiusculum. *Anthera* oblonga, cum pet. int. in galea reclinata. *Stigma* globosum.

11. D. (*tenella.*) galeâ acutâ; calcare porrecto acuto; petalis interioribus rhombeis; labello lineari-obtuso; foliis subfiliformibus flexuosis. Orchis *tenella*. *Linn.* Suppl. p. 400. Syst. Veg. XIV. p. 817. Satyrium *tenellum*. Prodr. p. 5.

Crescit in campis arenosis, locis inundatis inter urbem Cap et seriem magnam montium. Floret Junio et sequentibus mensibus.

Bulbus ovatus, indivisus, magnitudine pisi minoris. *Folia* radicalia plura, lineari-filiformia, glabra, caule paulo breviora. *Caulis* l. Scapus filiformis, bracteolis foliaceis vaginatus, erectus, digitalis. *Flores* terminales, plurimi, minuti, rubri. *Corollae* galea ovata, fornicata, acuminata, basi calcarata: *Calcar* conico-subulatum, longitudine galeae. *Petala* lat. exteriora oblonga, patentia; interiora minuta, acuta, erecto-conniventia intra galeam. *Labellum* lineari-oblongum, integrum, patens, longitudine pet. interiorum. *Anthera* oblonga, versus fundum galeae reclinata. *Stigma* globosum, ad basin labelli.

12. D. (*barbata.*) galeâ acutâ basi conicâ; calcare subporrecto acuto; labello ovato multipartito, laciniis linearibus; foliis lineari-filiformibus. Orchis *barbata*. *Linn.* Suppl. p. 399. Syst. Veg. XIV. p. 807. Satyrium *barbatum*. Prodr. p. 5.

Crescit prope flavios Halbeljaus et Zeeko-rivier, nec non in Hottentots Hollands-berg. Floret Decembri.

Folia radicalia plurima, glabra, scapo breviora, spithamaea et ultra. *Scapus* teres, erectus, glaber, pedalis. *Vaginae* in scapo alternae et bracteae sub floribus amplexicaules, ovatae, acutae, membranaceae. *Flores* versus summitatem scapi spicati, duo usque octo, subnutantes *Corolla* subresupinata. *Galea* ovata, magna, fornicata, acuminata, cinerea venis caerulescentibus, erecta, basin versus postice conica, in *Calcar* breve producta. *Petala* lat. exteriora oblonga, acuta, patentia, planiuscula, caerulescentia, unguicularia; interiora lateribus styli adfixa, intra fornicem galeae recondita, erecta, antrorsum falcata, galeâ triplo breviora; basi latiora, rotundata, obtusa, purpurea; medio angustiora, linearia, alba margine fusco; apice demum dilatata, virescentia venis purpureis, subbifida; dente anteriore longiore acuto, posteriore obtuso crenato. *Labellum* patens, magnitudine galeae, semipollicare, basi purpureum, ultra medium multipartitum, laciniis saepe ramosis, instar barbae capillaribus brevibus; flavum striis tristibus. *Anthera* albida, obovata, inter pet. interiora in galea reclinata. *Stigma* convexum, purpurascens, nitidum.

13. D. (*lacera.*) galea obtusiuscula; calcare porrecto; labello oblongo concavo, apice laciniato.

Folia et *Scapus* ut in D. *barbata*. *Flores* albidi. *Corolla* subresupinata. *Galea* subrotundo-ovata, concava, obtusa cum acumine, venosa, e basi angustiore calcarata: *Calcar* teretiusculum, longitudine dimidiâ galeae, rectum, obtusum. *Petala* lat. exteriora oblonga cum acumine, concava; interiora intra galeam stylo ad latera antherae inserta, ovata, falcata, obtusa, basi latiora, venosa. *Labellum* pet. ext. longitudine, venosum, laciniis lineari-filiformibus brevibus. *Anthera* oblonga, versus calcar galeae reclinata.

14. D. (*cernua.*) galeâ acutâ; calcare oblongo compresso nutante; petalis interioribus acuminatis; labello lineari; foliis lineari-lanceolatis, basi subequitantibus.

Bulbus indivisus, oblongus, difformis, radiculis numerosis. *Caulis* erectus, foliosus, pedalis et ultra. *Folia* vaginantia, per totam longitudinem carinâ leviter compressa striata, rigida, subcoriacea, margine membranacea, glabra; versus spicam sensim minora, vaginaeformia. *Spica* florum pedalis, apice cernua, viridi lutea, floribus approximatis. *Bracteae* ovato-lanceolatae, acutae, concavae, glabrae, erectae, longitudine florum. *Corolla* subresupinata. *Galea* erecta, fornicata, infima basi producta in *Calcar* subinflatum, venosum. *Petala* lat. exteriora ovato-lanceolata, acuta, concava, longitudine galeae, erecto-patentia; interiora galeâ tecta, e basi lata lanceolato-acuminata, falcata, venosa. *Labellum* obtusum, longitudine fere pet. exter. *Anthera* obovata, versus fundum galeae valde reclinata.

15. D. (*physodes.*) galeâ obtusâ; calcare subrotundo inflato; petalis interioribus retusis emarginatis; labello lineari; foliis lanceolatis distichis undulatis. Satyrium *cernuum*. Prodr. Cap. p. 5.

Crescit infra Montem Paarl. Floret Septembri, Octobri.

Bulbus indivisus, rotundus, fibrillis cinctus, magnitudine pruni. *Caulis* erectus, inanis, foliosus, pedalis et ultra. *Folia* vaginantia, caulina, alterna, ensiformia, basi equitantia, concava, subtus obsolete carinata, acuta, integra, glabra, spithamaea, vix nervosa, interdum punctis purpureis notata. Vaginae purpurascentes. *Spica* florum pedalis, apice cernua, floribus parum densis. *Bracteae* ovato-lanceolatae, acutae, concavae, erectae, longitudine florum, viridi-lutescentes. *Corolla* subresupinata. *Galea* erecta, fornicata, emarginata, basi postice calcarata. *Calcar* gibbum, subtus concavum, subdidymum, dependens. *Petala* lateralia exteriora ovata, obtusa, patenti-reflexa; interiora galeâ tecta, erecta, sublinearia, basi latiora, concava, apice emarginata, crassiuscula, galeâ breviora, saturate purpurea. *Labellum* dependens, sub stigmate insertum, obtusum integrum, longitudine pet ext., purpureum. *Anthera* magna, obovata, intra concavitatem petal. interiorum, versus basin galeae reclinata. Pollen flavum. *Stigma* globosum. *Capsula* oblonga, torta, lineis 3 elevatis, 6-sulcata, glabra, 1-locularis, unguicularis.

16. D. (*cylindrica.*) galeâ obtusâ; calcare obtuso, porrecto, labello lineari, apice latiori obtuso; spicâ cylindricâ; foliis oblongis nervosis. Satyrium *cylindricum.* Prodr. Pl. Cap. p. 5.

Bulbus oblongus, indivisus. *Caulis* teres, glaber, erectus, pedalis. *Folia* alternatim vaginantia, acuta, glabra, pollicaria l. ultra; superiora angustiora. *Spica* florum subcylindrica, digitalis, apice attenuata. *Bracteae* lanceolatae, erectae, longitudine florum. *Flores* minuti, numerosissimi. *Corolla* subringens. *Galea* fornicata, ovata, postice calcarata: *Calcar* breve. *Petala* lateralia exteriora ovato-lanceolata, vix acuta, patentia; interiora lanceolata, erecta, galeâ tecta. *Labellum* lineari-oblongum s. basi attenuatum, apice obovatum, integrum. *Anthera* erecta, inter pet. int., ovata, didyma. *Stigma* ut in reliquis, globosum, pone basin labelli.

17. D. (*rufescens.*) galeâ obtusâ erectâ; calcare subulato, germine longiore, nutante; labello lanceolato obtuso; spicâ laxâ; foliis ensiformibus. Satyrium *rufescens.* Prodr. fl. Cap. p. 5.

Crescit in arenosis Groene Kloof. Floret Septembri.

Bulbus ovatus, fibris cinctus, magnitudine fabae. *Caulis* carnosus, teres, glaber, foliosus, spithamaeus, usque pedalis. *Folia* alternatim vaginantia, disticha, inferne attenuata, basi dilatata, acuminata, venosa, lineam lata usque pollicem fere, digitalia. *Florum* spica subsecunda, interrupta, digitalis usque spithamaea. *Bracteae* ovatae, cucullatae, acuminatae, glabrae, capsulâ breviores. *Corolla* resupinata, purpurascens. *Galea* concava, fornicata, suberecta, postice basi calcarata. *Calcar* dependens, filiformi subulatum. *Petala* lateralia exteriora oblonga, obtusa, patentia, galeâ vix breviora. Interiora galeâ

inclusa, basi latiora, angulata, apice angustiora, obtusa. *Labellum* dependens, lineari-lanceolatum, integrum, longitudine fere pet. exteriorum. *Anthera* parva, obovata, versus basin galeae reclinata. *Stigma* globosum.

18. D. (*maculata.*) galeâ obtusiusculâ, supinâ saccatâ; petalis interioribus linearibus; labello lanceolato obtuso; scapo unifloro. Prodr. p. 4. Disa *maculata. Linn.* Suppl. p. 407. Syst. Veg. XIV. p. 817.

Crescit prope Winterhoek in Rode Sand, sub praeruptis montium lateribus. Floret Octobri.

Folia radicalia, circiter sex, oblongo-ovata, acuta, utrinque attenuata, integra, glabra, patentia, subtus pallidiora, semipollicaria. *Scapus* teres, filiformis, flexuosus, erectus, totus fere vaginatus, palmaris usque spithamaeus. *Vaginae* tres vel quatuor, alternae, membranaceae, rufo-maculatae. *Bracteae* vaginis similis, capsulâ brevior. *Flos* solitarius, nutans, caeruleus. *Corolla* resupinata. *Galea* (s. petalum posterius situ inferius) saccata l. medio dorso postice in cornu brevissimum obtusissimum prominens. *Petala* lateralia exteriora aequalia, oblonga, obtusa cum acumine, erecto-patentia, venosa; interiora recurvato-hamata, basi styli inserta, intra saccum recondita, laete caerulea. *Labellum* inter petala exteriora ante stigma insertum, pet. ext. brevius, erectiusculum. *Anthera* stylo connata, ovata, obtusa, cum pet. interioribus in sacco galeae reclinata, alba. *Stigma* globosum.

19. D. (*secunda.*) galeâ acutâ erectâ, calcare conico brevissimo porrecto; labello subfiliformi; caule flexuoso; floribus secundis. Disa *racemosa. Linn.* Suppl. 406. Syst. Veg. XIV. p. 817. Satyrium *secundum.* Prodr. p. 4.

Crescit prope Fransche Hoek. Floret Februario.

Bulbum radicis et folia non vidi. *Scapus* teres, flexuoso-erectus, glaber, vaginatus, pedalis et ultra. Vaginae alternae, remotae. *Flores* e medio scapo, alterni, circiter 6, subnutantes, purpurei, magni. *Corolla* Galea concava, fornicata, apice acuta, venosa, subpollicaris, postice calcarata: *Calcar* abbreviatum. *Petala* lat. exteriora lato-ovata, acuta, patentia, venosa, pollicaria; interiora stylo sub anthera inserta, oblonga, falcata, acuta, erecta, unguicularia, in galea recondita. *Labellum* lineare l. subfiliforme, petalis exter. dimidio brevius. *Anthera* oblongo-lanceolata, acuta, inter pet. interiora in galea reclinata. *Stigma* globosum ad basin labelli sub anthera.

20. D. (*excelsa.*) galeâ suberectâ acutâ, calcare conico abbreviato, petalis interioribus apice dentatis, labello oblongo; caule multifloro. Orchis *tripetaloides. Linn.* Suppl. p. 398. Syst. Veg. XIV. p. 807. Satyrium *excelsum.* Prodr. p. 5.

Crescit in collibus Houtniquas, prope rivos in Langekloof et Krumrivier. Floret Novembri.

Folia radicalia circiter sex s. plura, lanceolata, acuta, erecta,

glabra, digitalia. *Scapus* filiformis, striatus, glaber, erectus, raro flexuosus, bipedalis, vaginis alternis. *Spica* rara, palmaris et ultra, floribus 20-30, subdistichis, purpurascentibus. *Corolla* subresupinata. *Galea* fornicata, postice saccata seu Calcare brevissimo obtuso porrecto praedita. *Petala* lat. exteriora ovato-lanceolata, patula, longitudine galeae; interiora minima, intra cavum galeae recondita, lanceolato-falcata s. incurvata, stylo inserta. *Labellum* integrum, concavum, leviter margine undulatum, longitudine petal. exteriorum. *Anthera* stylo connata, ovata, minuta, cum pet. int. in galeam reclinata. *Stigma* globosum.

21. D. (*venosa.*) galeâ erectâ acutâ venosâ; calcare conico abbreviato porrecto; petalis interioribus apice integris; labello subfiliformi; scapo paucifloro; foliis glaucis.

Folia radicalia plura, lanceolata, glabra, bipollicaria. *Scapus* pedalis et ultra, teres, glaber, striatus, erectus, vaginis alternis remotis. *Flores* bini, tres l. quatuor, D. *excelsae* triplo majores. *Corolla* ut in D. *excelsa*, sed petala exteriora lato-ovata, acuta, simul ac galea venosa; interiora lanceolato-falcata, integra. *Labellum* lineari-filiforme, longitudine petalorum exteriorum, deflexum. *Cetera* ut in D. *excelsa*, at majora.

22. D. (*spathulata.*) galeâ erectâ acutâ; calcare conico obtuso brevissimo; labello petiolato, apice dilatato, trifido; foliis linearibus. Orchis *spathulata. Linn.* Suppl. p. 396. Syst. Veg. XIV p. 807. Satyrium *spathulatum.* Prodr. p. 5.

Africanis Incolis: Moder Haartslag. Crescit in Collibus prope villam Mosselbank juxta Mosselbanks-rivier, prope Ribeck-Casteel, Piketberg, in Roode Sand, et prope urbem Cap. Floret Septembri, Octobri.

Bulbi indivisi, rotundi, fibris cincti, piso majores, albi. *Folia* radicalia plurima, canaliculata, versus apicem parum dilatata, obtusa, scapo triplo breviora, erecta, striata, glabra, digitalia. *Scapus* teres, erectus, glaber, purpureus, uniflorus l. biflorus, spithamaeus. *Vaginae* duae in scapo et *Bracteae* sub singulo flore consimiles, amplexicaules, ovato-oblongae, acuminatae, glabrae, membranaceae, unguiculares. *Corolla* subresupinata. *Galea* ovata, fornicata, inferne attenuata, postice cornuta, alba, apice purpurascens, venis saturate purpureis. *Calcar* abbreviatum, porrectum. *Petala* lateralia exteriora horizontaliter patentia, ovata, acuta, apice convoluto flexo, alba venis purpureis; interiora in galea inclusa, stylo inserta, reflexa, basi ovata, obtusa, medio angustata, apice dilatata, bifida, extus alba, intus striis tenuissimis caeruleis; lacinia anterior acuta, minima; posterior duplo latior, obtusa. *Labellum* longissimum, dependens, proboscidem elephantis referens, a basi usque sub apicem lineare, supra sulcatum, virescens, pollicare. Apex cucullatus; lamina cordata, subtriloba, virescens venis viridibus saturatioribus; lobis acuminatis. *Anthera* parva, ovata, in galea reclinata. *Stylus* crassus, incarnatus, fasciâ violaceâ. *Stigma* globosum, ante insertionem labelli, purpureum. *Capsula* multisulcata, glabra.

23. D. (*melalenca.*) galeâ acutâ subreclinatâ concavâ ecalcaratâ; labello lineari obtuso; spicâ fastigiatâ; foliis linearilanceolatis. Serapias *melalenca.* Prodr. p. 3. Ophrys *bivalvata. Linn.* Suppl. p. 403. Syst. Veg. XIV. p. 814.

Crescit in planitie frontis Montis Tabularis, et locis depressis juxta Hexrivier. Floret Februario.

Caulis teres, flexuoso-erectus, vaginatus, palmaris usque pedalis. *Folia* alterna, vaginantia, lanceolata, patentia, pollicaria. *Flores* fastigiati, tres l. plures. *Bracteae* foliis similes, sed breviores. *Corolla* subresupinata. *Galea* ovata, basi attenuata, superne gibba, apice acuta, alba carinâ dorsali viridi. *Petala* lateralia exteriora oblonga, obtusa, basi latiora, antice productiora, concaviuscula, alba carinâ dorsali viridi, sub apice in spinulam exeunte. *Petala* interiora styli lateribus superne inserta, lato-linearia, concava, basi anteriore producta, apice obtusa, subtruncata, subcrenata, horizontali-erecta, fusca vel atropurpurascentia, basi et apice albida. *Labellam* sub stigmate insertum, subpetiolatum, linearilanceolatum, acutiusculum, concavum, fuscum, basi et apice album; deflexum. *Anthera* oblonga, apice styli adnata, inter petala interiora leviter reclinata. Massae pollinis lineares ex globulis obovatis catenuiatis flavis, pedicellatae, pedicellis sinubus antherae ad basin insertis. *Stylus* erectus, latiusculus. *Stigma* globosum, nitidum, antice ad basin styli. *Capsula* linearioblonga, basi attenuata, tricarinata, sulcata, glabra. *Petala* exteriora subinde apice colorata, tunc petala interiora alba. *Flos* omnino ecalcaratus, species tamen Disae genuina videtur, ob directionem et situm partium consimilem. Loco calcaris galea dorso quasi ventricosa.

24. D. (*patens.*) galeâ acuminatâ, erecto-patente, concavâ, ecalcaratâ; labello filiformi; caule subbifloro; foliis setaceis. Serapias *patens.* Prodr. p. 3. Ophrys *patens. Linn.* Suppl. p. 404. Syst. Veg. XIV. p. 814.

Crescit in planitie frontis, in summo cacumine Taffelberg. Floret Januario.

Bulbi duo, petiolati, ovati, carnosi, albidi, magnitudine pisi. *Caulis* simplex, rarius bifidus, foliis tectus, teres, flexuoso-erectus, uniflorus l. biflorus, palmaris. *Folia* alternatim vaginantia; radicalia lineari-setacea; basi, marginibus, apiceque rubicunda, internodiis longiora, unguicularia; caulina breviora. *Flos* unicus vel terminales duo, perpendiculares, flavi. *Bractea* spathacea, foliis similis, germen amplectens eoque brevior. *Corolla* patens. *Galea* perpendicularis, cordato-ovata, integra, basi attenuata, unguicularis, intus tota flava, extus flava dorso rubicundo. *Petala* lateralia exteriora lanceolata, falcata, acuta, oblique perpendiculariter erecta, longitudine galeae, intus flava, extus rufescentia dorso viridi, basi latiora anticeque angulo fere recto obtuso producta. *Petala* interiora stylo sub apice inserta, erecta, lanceolata, falcata, concaviuscula, ultra lineam longa, tota flava. *Labellam* inter petala lateral. ext. ante stigma insertum, lineari-filiforme, dependens, flavum, longitudine fere

capsulae. *Anthera* ex apice styli oblonga, acuminata, sinubus basi antice productis corniculorum instar, quibus pedicelli pollinis inseruntur. *Stigma* ad basin styli inter petala lateralia exteriora. *Singularis* floris situ perpendiculari.

25. D. (*filicornis.*) galeâ acuminatâ erecto-patente concavâ ecalcaratâ, labello filiformi; spicâ ovatâ multiflorâ; foliis lineari-lanceolatis. Orchis *filicornis*, *Linn.* Suppl. p. 400.

Caulis foliosus, teres, erectus, multiflorus, semipedalis. *Folia* alternatim vaginantia, subimbricata, lanceolata s. lineari-lanceolata, concava, erecta, papillosa, basi apiceque rufescentia. *Spica* subovata. *Flores* 5—6, perpendiculares, flavi, bracteolis spathaceis suffulti. *Corolla* ut in D. *patenti: Galea* cordato-ovata, acutâ, perpendiculariter erecta. *Petala* lateralia exteriora ovato-lanceolata, acuta, basi latiora, antice producta angulo magis rotundato quam in priori. Petala interiora lineari-oblonga, obtusa. *Labellum* lineari-filiforme, deflexum, capsulâ fere brevius. *Genitalia* ut in praecedenti. *Diversa* ut videtur a D. *patenti*, cujus varietatem sub Serapiade *patenti* existimavi. Una cum D. *melaleuca* et *patenti* absentiâ Calcaris a caeteris speciebus *Disae* discrepat, cum quibus vero habitu et situ genitalium omnes conveniunt.

VIII. SATYRIUM.

Nectarium scrotiforme, s. *inflato-didymum pone florem.*

1. S. (*cucullatum.*) foliis radicalibus binis cordato-subrotundis concavis; vaginis scapi remotis cucullatis subretusis; floribus cernuis. Orchis *bicornis*. *Linn.* Sp. Plant. p. 1330. Syst. Veg. XIV. p. 807. *Hout.* Nat. Hist 2 D. 12 St. p. 455. t. 86. f. 1. Satyrium *bicorne*. Prodr. p. 6.

Africanis incolis: Roode Trewa. Crescit in Collibus prope urbem Cap, in Groene Kloof, Swartland et alibi locis arenosis, vere inundatis. Floret Augusto, Septembri.

Bulbi indivisi, oblongi, villosi. *Folia* radicalia, ovato-subrotunda, basi vaginata, amplexicaulia, arcuato-nervosa, crassiuscula, margine membranacea, subtus pallidiora. *Scapus* pedalis, erectus, teres, purpureo-maculatus, inanis, vaginatus. *Vaginae* 2—3, apice apertae, ovatae, rigidiusculae, nervosae. *Spica* bi- vel tri-pollicaris, erecta, floribus alternis, distinctis, purpureis. *Bracteae* sub singulo flore sessiles, lanceolatae, integrae, glabrae, reflexae, longitudine floris. *Corolla* submonopetala, subringens, seu petala 5, basi coalita. *Tria* exteriora, quorum unum superius magnum s. galea ovato-subrotunda fornicata, apice producto obtuso, acute carinata, postice basi bicalcarata. *Calcaria* cylindrico-subulata, deflexa, parum curva, germine fere longiora. *Petala* duo lateralia linearia, obtusa, integra. *Duo* interiora paullo minora, linearia, obtusa, stylo petalisque exterioribus ad basin accreta. *Labellum* petalis interioribus consimile, sed longius, illisque basi connatum. *An-*

thera globosa, didyma, scrotiformis, versus apicem styli adnata, bilocularis, loculis prope stigma dehiscentibus. *Stylus* elongatus, superne dorso gibbus, sub galea reconditus, apice dilatatus, concavus, excisus. *Stigma* infra apicem dilatatum, supra insertionem antherae concavum.

Obs. Satyria pleraque *Linn.* ad alia genera jure relata; nomen genericum antiquum pro Orchidibus Capensibus duplici calcare donatis retinui; genus a caeteris sui ordinis variis notis certe distinctissimum. Plures distinctas species sub eodem nomine specifico olim comprehensas fuisse, non est quod dubitemus; Hujus itaque mutare non abs re fore judicavi.

2. S. (*erectum.*) foliis radicalibus ovatis, vaginis scapi approximatis cucullatis carinatis membranaceis; floribus galeâ calcaribusque subrectis. Orchis *cornuta. Hout.* Nat. Hist. 2 D. 12 St. p. 256. t. 86. f. 2.

Africanis Incolis: Geele Trewa. Bulbi indivisi, ovati. *Folia* radicalia duo, subopposita, lato-ovata, convoluto-cucullata, integra, nervosa, glabra, palmaria et ultra. *Scapus* teres, glaber, erectus, purpureo-maculatus, vaginatus. *Vaginae* apice obliquae, ovatae, acutae, nervosae. *Spica* elongata, 3-4-pollicaris, multiflora. *Flores* flavo aurantiaci l. pallidi, erecti, numerosi, bracteis sessilibus oblongis acutis concavis subreflexis suffulti. *Corolla* ut in S. *cucullato*, sed galea apice obtusa erecta, vel minus quam in S. *cucullato* cernua: calcaribus rectioribus, capsulâ fere brevioribus.

3. S. (*foliosum.*) foliis ovatis acutis concavis approximatis, basi cucullatis, floribus bracteisque erectis.

Bulbi oblongi. *Caulis* semipedalis, teres, foliosus. *Folia* alterna, superiora sensim minora subconcava, basi vaginanti-cucullata, integra, nervosa, glabra, extus pallidiora, rigidula. *Spica* erecta floribus numerosis, parvis, erectis (nec cernuis), pallide purpurascentibus, bracteis ovato-lanceolatis, sessilibus, longitudine florum, erectis, infimis deflexis, nervosis. *Corollae* rotundatae, calcaribus germine duplo longioribus.

4. S. (*bracteatum.*) foliis ovatis trinervibus; floribus spicatis; bracteis lato-ovatis reflexis; calcaribus brevissimis rotundatis. *Prodr. Cap.* p. 6. Ophrys *bracteata. Linn.* Suppl. p. 403. Syst. Veg. XIV. p. 814.

Crescit in montibus Ribeck Casteel et Picketberg, prope rivulos in praeruptis montium lateribus. Floret Octobri.

Bulbus rotundus, indivisus, fibris cinctus. *Caulis* simplex, erectus, teres, glaber, purpureus, foliosus, palmaris. *Folia* alterna, amplexicaulia, acutiuscula, remota; inferiora majora, pollicaria, superiora circiter quatuor, minora. *Spica* florum digitalis. *Bracteae* acutae, glabrae, flore longiores. *Corolla* submonopetala. *Galea* lato-ovata, obtusa, fornicata, basi bicalcarata seu potius bicallosa, intus striis octo purpureis. *Petala* lateralia exteriora falcata, obtusa, deflexa; interiora breviora cum labello lanceolato obtuso leviter cohaerentia; omnia alba, striâ purpureâ. *Calcaria* galeae. *Anthera* subrotunda,

didyma, stylo curvato, sub apice ejus dilatato ovato concavo inserta, illoque tecta. *Stigma* in concavitate apicis styli supra antheram. *Capsula* ovata, depressiuscula, angulata, glabra, albo-purpurascens, lineam longa.

5. S. (*striatum.*) foliis ovatis cucullatis; floribus spicatis, bracteis rhombeis erectis; galeâ excisâ; calcaribus brevibus ovatis. *Prodr. Cap.* p. 6.

Crescit in Picketberg prope rivulos. Floret Octobri.

Bulbus ovatus, indivisus, fibris cinctus. *Caulis* teres, erectus, glaber, purpureus, palmaris. *Folia* caulina circiter tria, alterna, amplexicaulia, acuminata, erecta, remota, glabra, unguicularia. *Spica* florum ovata, vix pollicaris. *Bracteae* foliis similes, superiores sensim minores. *Corolla* sub-monopetala, alba. *Galea* latissima, fornicata, erectiuscula, obtusa, subexcisa, dorso sulcata, intus striis quinque purpureis, basi postice *Calcaria* duo (s. callos) oblonga obtusa virescentia emittens. *Laciniae* exteriores laterales oblongae, apice latiores, patenti-deflexae, striis obsoletis purpureis lineatae; interiores lanceolatae obtusae subfalcatae, striâ duplici purpureâ. Tertia intermedia (seu labellum) basi convoluta, oblonga, obtusa, apice erecta, striâ triplici purpureâ. *Anthera* stylo versus apicem latiorem ovatum incurvum margine revoluto adnata, subrotunda, didyma, purpurascens. *Stigma* supra Antheram, ut in praecedenti. *Capsula* ovata, depressa, striata, glabra. *Primo* intuitu similis videtur S. *bracteato*, magnitudine, colore et striis corollae; differt vero. *a*) Bracteis erectis, nec reflexis. *b*) Spicâ florum breviori, pauciflorâ. *c*) Galeâ corollae latâ, excisâ nec integrâ, acutâ, Calcaribus prominentioribus.

6. S. (*bicallosum.*) foliis ovatis nervosis; floribus spicatis; bracteis lanceolato-setaceis erectis; galeâ excisâ; calcaribus brevissimis rotundatis. *Prodr.* p. 6.

Crescit in Monte Paardeberg. Floret Octobri.

Bulbus ovatus, indivisus, fibris cinctus. *Caulis* teres, erectus, glaber, palmaris. *Folia* caulina circiter quinque, amplexicaulia, lato-ovata, glabra, erecto-patentia, pollicaria. *Flores* albidi. *Bracteae* lanceolatae, erecto-imbricatae, acuminatae, glabrae, flore longiores, unguiculares, superioribus sensim brevioribus. *Corolla* submonopetala. *Galea* lata, fornicata, apice inflexo excisa, basi bicalcarata s. bicallosa, intus maculis tribus purpureis. *Laciniae* laterales exteriores ovatae, obtusae, leviter falcatae; interiores minores, cum intermedia (labello) latiore ovata obtusa cohaerentes. *Calcaria* (s. Calli) virescentia. *Anthera* stylo apice latiori membranaceo bifido inserta, obcordata. *Stigma* inter antheram et partem dilatatam styli. *Capsula* obovata, depressiuscula, angulata, glabra, angulis minutissime muricatis, albo-rufescens, vix semiunguicularis.

7. S. (*pumilum.*) foliis ovatis acutis; scapo brevissimo; floribus subquaternis; calcaribus brevibus oblongis. *Prodr. Cap.* p. 6.

Crescit in monte Picketberg dicto, prope rivulos. Floret Octobri

Bulbus indivisus, oblongus, fibris cinctus, magnitudine pisi. *Scapus* foliis tectus, pollicaris. *Folia* quatuor, vaginanti-amplexicaulia, concaviuscula, glabra, patula, approximata, unguicularia usque pollicaria. *Flores* terminales, approximati. Bractea sub singulo flore lato-ovata, acuminata, concava, erecta, glabra, flore longior, foliis brevior. *Corolla* submonopetala, viridis. *Galea* ovata, acuminata, valde fornicata, postice basi bicalcarata, dorso striis quinque elevatis, intus purpureo-punctata. *Calcaria* obtusa, albida. *Laciniae* laterales exteriores lanceolatae, acuminatae; duae interiores anteriores subfalcatae et una intermedia (labellum) oblonga, inter se cohaerentes, labium inferius obovatum planiusculum simul mentientes. *Anthera* didyma, stylo columnari curvato versus apicem antice adnata, corniculis duobus minutis pallidis porrectis. *Stigma* prope apicem acuminatum, concavum. *Capsula* multisulcata, viridis.

IX. CORYCIUM.

Cor. ringens, tetrapetala, petalis erectis, lateralibus basi ventricosis. Labellum apici styli supra antheram adnatam insertum.

1. C. (*Orobanchoides.*) foliis ensiformibus distichis. *Prodr. p.* 6. SATYRIUM *Orobanchoides. Linn.* Suppl. p. 402. Syst. Veg. XIV. p. 812.

Crescit in arenosis Swartlandiae et prope Cap. Floret Septembri, Octobri.

Bulbi indivisi, oblongi, fibris cincti. *Caulis* teres, erectus, pedalis, carnosus. *Folia* vaginantia, alternatim caulem vestientia, circiter quinque usque decem, integra, erecto-patentia, glabra, subspithamaea. *Spica* florum cylindrica, densa, digitalis et ultra. *Bractea* sub singulo flore solitaria, ovata, acuta, nervosa, glabra, longitudine floris. *Corolla* tetrapetala, subringens. *Petala* duo exteriora, quorum unum superius s. posterius, angustius, retusum, subexcisum, leviter connexum galeamque formans cum duobus interioribus lateralibus ovatis valde concavis apice retusis basi ventricosis, calcaria duo postica brevissima obtusa referentibus. Alterum exterius inferius obcordatum, concavum, galeâ paullo minus, erectum. *Labellum* apici styli supra antheram insertum, basi attenuatum; laminâ replicatâ, patenti, apice bifurcatâ. *Anthera* medio stylo sub labello adnata, didyma, loculis remotiusculis. *Stylus* brevis, crassus, basi angustior, apice obtusus, alulis duabus falcatis ad latera deflexis, antheram postice tegentibus. *Stigma* convexum; posticum (versus galeam) infra antheram.

Obs. *Genus* a *Satyrio* abunde differt petalis lateralibus basi subcalcaratis et conformatione columnae genitalium. *Hoc* et sequentia bina genera, secundum observationes recentiores amicissimi SWARTZII in *Act. Holm.* anno 1800 evulgatis, utpote a congeneribus bene distincta, lubenter admisi.

2. C. (*crispum.*) foliis basi cucullatis, superne attenua-

tis, subundulato-crispis. Orchis coccinea, foliis serratis, in capreolum abeuntibus. *Buxb. Cent.* 3. *p.* 7. *tab.* XI. Arethusa *crispa.* Prodr. Cap. p. 3.

Crescit in arenosis prope Cap; in Groene Kloof et Swartland. Floret Septembri, Octobri.

Bulbus indivisus, rotundus, fibris cinctus, magnitudine fabae. *Caulis* teres, erectus, glaber, totus foliis tectus, crassitie digiti, spithamaeus. *Folia* alterna, frequentia, amplexicaulia, basi lata, subcucullata, sensim attenuata, subundulata, integra, lineata, glabra, infima subtus purpureo-maculata, inferiora tripollicaria, superiora sensim minora. *Spica* densa, palmaris, sensim florens, bracteis vestita, floribus viridibus ore purpureo. *Bracteae* ovatae, obtusae cum acumine, concavae, virides, nervis saturatioribus. *Corolla* tetrapetala. *Unum* posticum lanceolatum, obtusum, antice carinatum, dorso sulcatum, gibbum; cum petalis *duobus* lateral. majoribus ovatis, apice truncatis, cucullato-concavis, basi saccatis leviter cohaerens, galeam quasi efficiens; omnia viridia, margine antico purpureo. *Quartum* anticum, ovato-subrotundum, subacutum, erectum. *Labellum* ex apice styli basi angustius: lamina dilatata, obtusa, excisa, viridi. *Anthera* stylo medio adnata, purpurascens, didyma; loculis distinctis, apice dehiscentibus. *Stylus* crassus, brevis, teres, apice gerens alulas duas ad latera deflexas, lineares, convexas, nervosas, apice retusas, canaliculatas, fuscas, antheram postice obtegentes. *Stigma*: tuberculum convexum, posticum. *Capsula* columnaris, inferne angustata, multistriata, torta, glabra, unguicularis.

3. C. (*vestitum.*) foliis oblongis cucullato-vaginantibus venoso-reticulatis. Ophrys *volucris.* Prodr. Cap. p. 2.

Crescit in dunis prope Picketberg et Verlooren Valley.

Caulis foliis vaginatus, erectus, digitum crassus, pedalis. *Folia* frequentia, totum caulem tegentia, purpureo-maculata, superiora sensim breviora. *Spica* cylindrica floribus approximatis, digitalis. *Bracteae* membranaceae, foliis similes. *Corolla* tetrapetala: *supremum* angustum, basi attenuatum, concavum, apice latius, obtusum, excisum, cum *lateralibus* binis ovatis concavis basi ventricoso-saccatis cohaerens: *quartum* anticum, ovato-rotundatum, excisum: Omnia erecta. *Labellum* ex apice styli, praecedenti conforme. *Alulae* styli longitudine ejus, lanceolatae, obtusae, deflexae. *Loculi* Antherae magis quam in cacteris contigui.

Obs. Ne cum Ophryde *Volucri Linn.* (quae Pterygodium *volucre* (vid. infr.) confundatur, nomen specificum in aliud, habitum plantae exacte indicans, mutavi.

4. C. (*bicolor.*) foliis lineari-ensiformibus convolutis. Ophrys *bicolor.* Prodr. Cap. p. 2.

Bulbus fibrosus. *Caulis* teres, carnosus, vaginatus, erectus, glaber, pedalis. *Folia* alterna, vaginantia, subundulata, glabra, caule breviora. *Spica* florum densa, pollicaris. *Bracteae* ovatae, acutae, concavae, longitudine florum. *Corolla* tetrapetala, lutea. *Petalum* superius oblongum, concavum, erectum, cum

binis *lateralibus* erectis ovatis concavis acutis basi ventricoso-saccatis galeam formans: *quartum* anticum obovatum, basi attenuatum, apice retuso-excisum. *Labellum* ex apice styli, horizontale, seu adscendens, basi attenuatum, apice dilatatum, exciso-bifidum. *Anthera* ut in C. *Orobanchoide* et *Crispo*. *Stylus* apice dilatatus, vertice rotundato, laciniis utroque latere lunatis, stylo brevioribus. *Stigma* ut in praecedentibus.

X. PTERYGODIUM.

Cor. 5-petala, subringens, petalis lateralibus exterioribus horizontalibus concavis. Labellum medio styli inter loculos remotos antherae insertum. Stigma posticum.

1. P. (*catholicum.*) foliis subternis oblongis acuminatis; spica secunda, labello subhastato lanceolato; stylo acuminato. Ophrys *catholica*. *Linn.* Spec. Pl. 2. p. 1344. Ophrys *alaris*. *Linn.* Suppl. p. 404. Syst. Veg. XIV. p. 804. Arethusa *alaris*. Prodr. Fl. Cap. p. 3.

Crescit juxta et extra urbem Cap inque Swartland. Floret Augusto, Septembri.

Bulbus indivisus, rotundus, fibris cinctus, magnitudine pisi. *Caulis* teres, carnosus, glaber, pallide virescens punctis minutissimis purpureis sparsis, erectus, di- vel triphyllus, spithamaeus et ultra. *Folia* caulina, plerumque duo, rarius tria, subcucullata, amplexicaulia, obtusa cum acumine, margine lineisque purpurascentibus, integra, glabra, erecta; inferius majus, bipollicare; versus radicem vagina una alterave aphylla. *Flores* 1, 2 usque 7, viridi-flavescentes, secundi, majusculi. *Bractea* foliis similis, sed multo minor. *Corolla* subringens, 5-petala, fornicata, flavescens. *Galea* s. petalum supremum ovato-lanceolatum, acuminatum, subfornicatum, purpureo-maculatum, cohaerens cum petalis duobus *lateralibus* interioribus triangularibus, angulo exteriore obtuso rotundato, apice acutis, fornicato-concavis, superne subexcisis. *Petala* duo exteriora anteriora lato-lanceolata, acuminata, basi valde concava, subsaccata, superiora amplectentia, demum reflexo-patentia, virescentia. *Labellum* versus basin styli inter loculos antherae insertum, acuminatum, basi attenuatum, supra sulcato-concavum, lineam longum. *Anthera* basi styli inserta, loculis ab invicem divergentibus, saccatis, antheras duas mentientibus. *Stylus* brevis, latiusculus, superne sensim attenuatus, apice acuminato incurvo viridi, (sub galea recondito) lateribus marginato-crenulatus, basi utrinque dente notatus. *Stigma* convexum, inter loculos antherae sub labello. *Capsula* columnaris, curva, inferne attenuata, subangulata, multistriata, glabra, viridis.

Varietas *α*) *major*, floribus luteis et purpureis. (O. *catholica* L.) *β*) *minor*, uniflora, biflora et triflora, foliis binis vix undulatis. (Ophrys *alaris*) Prodr. Cap.

2. P. (*volucris.*) foliis ternis ovatis; labello hastato; stylo apice obcordato. Ophrys *volucris*. *Linn.* Suppl. p.

403. Syst. Veg. XIV. p. 814. Ophrys *triphylla*. Prodr. Cap. p. 2.

Crescit in collibus prope Mosselbanks-rivier, Paardeberg, Ribeck-Casteel. Floret Septembri, Octobri.

Bulbus indivisus, ovatus, fibris cinctus, magnitudine pisi. *Caulis* teres, carnosus, fragilis, glaber, foliosus, spithamaeus, viridis. *Folia* caulina tria, alterna, subcucullato-amplexicaulia, lato-ovata, obtusa, nervosa, erecto-patentia; infimum radicale, maximum, palmare; medium (in medio caule) pollicare; supremum minimum, unguiculare. *Flores* albo-virentes, spicâ digitali. *Bracteae* lato-lanceolatae, acutae, virides. *Corolla* subringens, 5-petala. *Galea* ex petalo supremo lineari obtuso erectiusculo, et duobus lat. interioribus obovatis obtusissimis erectis excisis: laciniâ exteriori latissimâ inflexâ, interiori cum petalo supremo leviter cohaerente. Duo lateralia exteriora ovata, acuta, concava, verticalia. *Labellum* prope basin styli insertum, laciniis lateralibus canaliculatis, anteriorique acutis patentibus. *Anthera* supra labellum stylo adnata; loculis ad latera styli divergentibus, oblongis. *Stylus* brevis, apice dilatatus, excisus. *Stigma* posticum. *Capsula* torta, viridis, glabra, semiunguicularis.

3. P. (*caffrum.*) foliis subquinis oblongis; labello maximo bilobo. Ophrys *Caffra*. Prodr. Cap. p. 2. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 814.

Crescit prope Montem Paarl in arenosis depressis, inque Monte Paardeberg et ejus depressis arenosis. Floret Octobri.

Bulbus indivisus, fibris cinctus, rotundus, magnitudine pisi. *Caulis* erectus, foliosus, glaber, spithamaeus. *Folia* amplexicaulia, oblongo-ovata, cucullato-concava, nervosa, glabra, circiter quinque, pollicaria. *Flores* flavo-virescentes, spicâ digitali multiflorâ. *Bracteae* ovato-oblongae, acutae, concavae, erectae, glabrae, longitudine capsulae. *Corolla* 5-petala, subringens. *Galea* ovato-obtusa, cum petalis duobus interioribus lat. ovato-lunatis fornicem formans. Duo lat. exteriora anteriora, patentia, verticalia, ovata, acuta, basi concava. *Labellum* medio stylo insertum, transversum, dependens: lamina lata, biloba; lobis aequalibus ovatis obtusissimis, *acumine* medio brevissimo interjecto. *Anthera* stylo infra insertionem labelli adnata, loculis ad latera remotis oblongis, apice obtusis, basi cohaerentibus. *Stylus* crassus, apice ovatus, obtusus; antice superne excavatus. *Stigma* posticum ad basin loculorum antherae, convexum. *Affine* S. *alato* (vid. infer.) sed differt labello distinctius bilobo integroque nec crenato.

4. P. (*inversum.*) foliis subdistichis lanceolato-ensiformibus, spica densa. Ophrys *inversa*. Prodr. Cap. p. 2.

Crescit in Swartland, infra Ribeck-Casteel, inque regionibus Picketberg. Floret Septembri, Octobri.

Bulbus indivisus, ovatus, fibris cinctus, magnitudine fabae. *Caulis* teres, crassus, foliis tectus, pedalis. *Folia* amplexicaulia, disticha, convoluta, striata, glabra, circiter octo, spithamaea, superioribus brevioribus. *Flores* virides, cernui i. quasi resu-

pinati, spica spithamaea. *Bracteae* lato-lanceolatae, acutae, concavae, virides, glabrae, capsulâ longiores. *Corolla* 5-petala, subringens. *Galea* ex petalo supremo lanceolato, concavo et duobus inter. lat. maximis, obovatis, concavis, leviter ad latera connexis; duo lat. exteriora anteriora (situ postica) deflexa, ovato-lanceolata verticalia, basi concava, prioribus breviora. *Labellum* medio stylo adnatum, parvum, subspathulatum, basi angustius, medio replicatum. *Anthera* stylo adnata, loculis remotis ad latera labelli. *Stylus* brevis, apice latiusculus, compressus, crassus, obtusus, excisus, nigro-striatus. *Stigma* posticum infra loculos Antherae. *Odor* ingratus Agarici.

5. P. (*alatum.*) foliis frequentibus lato-lanceolatis; labello trifido crenulato, laciniâ mediâ brevissimâ acutâ. OPHRYS *alata.* Prodr. p. 2. *Linn.* Suppl. p. 404. Syst. Veg. XIV. p. 813

Crescit prope Cap. Floret Augusto, Septembri.

Bulbus indivisus, globosus, fibris cinctus, magnitudine pisi. *Caulis* subteres, striatus, glaber, foliosus, palmaris. *Folia* subconcava, sulco longitudinali, subtus carinata, integra, erecto-patentia; inferiora majora, superiora minora. *Flores* alterni, subpedunculati, flavo-virescentes. *Bracteae* foliis similes, ovatae, acutae, integrae, glabrae, longitudine germinis. *Corolla* subringens, 5-petala. *Unam* superius erectum, ovatum, concavum, carinatum, cum duobus *lateralibus* rhombeis, viridibus, alaeformibus, fuscis, tenuioribus galeam formans; *duo* anteriora, ovata, obtusa, lineata, glabra, patenti-reflexa, leviter concava. *Labellum* medio stylo intra loculos antherae basi adnatum, laminâ tripartitâ: *laciniae* laterales ovatae, obtusissimae, patentes, crenulatae; media lanceolata, angustissima, subtus carinata, supra sulcata. *Anthera* infra medietatem styli adnata, loculis divergentibus oblongis, apice dehiscentibus, basi prope stigma connexis. *Stylus* elongatus, basi latus, medio angustior, planus, dorso gibbus, apice dilatatus obtusus, antice fovcâ duplici cavus. *Stigma* posticum (versus galeam) ad basin dorsi antherae, concavum, glabrum. *Capsula* ovata, striato-angulata, glabra.

6. P. (*atratum.*) foliis frequentibus lineari-setaceis. OPHRYS *atrata.* Prodr. p. 2. *Linn.* Mant. p. 121. Syst. Veg. XIV. p. 814.

Crescit in arenosis Swartlandiae. Floret Septembri, Octobri.

Bulbi fasciculati, simplices, teretes, longi, tomentosi. *Caulis* carnosus, teres, erectus, spithamaeus, usque pedalis. *Folia* sparsa, basi latiora, linearia, apice setaceo, incurva, glabra, pollicaria usque tripollicaria. *Florum* spica patula, oblonga, pollicaris usque tripollicaris. *Bracteae* foliis similes, unguiculares, longitudine florum. *Corollae* 5-petalae, subringentes. *Galea* lanceolata, erecta, planiuscula, cum duobus sup. interioribus unguiculatis dimidiato-oblongis, acutis, concavo-navicularibus fornicem formans; duo lat. inferiora ovato-lanceolata, concava, patula. *Labellum* stylo insertum, subpedicellatum; lamina cordato-spathulata, subrotunda, crenulata, primum re-

plicata, demum deflexa patens. *Anthera* stylo versus summitatem inserta, loculis duobus corniformibus s. ovato-conicis, erectis, ad latera styli divergentibus, antice nudis, postice processibus styli tectis; basi cohaerentibus; margine extus dehiscentibus. Massa pollinis flava. *Stylus* brevis, basi attenuatus. *Stigma* posticum, tuberculis binis convexis.

XI. DISPERIS.

Cor. 5-petala, ringens; petalis lateralibus exterioribus horizontalibus, subcalcaratis. Labellum e basi styli genitalibus connexum. Anthera velo spirali tecta.

1. D. (*capensis.*) scapo ovato diphyllo unifloro; foliis lanceolatis. Arethusa *capensis.* Prodr. p. 3. *Linn.* Suppl. p. 405. Syst. Veg. XIV. p. 817.

Crescit in Leuwekop, in Collibus infra Taffelberg et urbem, inque summitate montis Tabularis. Floret Julio, Augusto.

Bulbus carnosus, globosus, indivisus. *Caulis* herbaceus, teres, erectus, latere altero striatus, glaber, spithamaeus l. paullo longior. *Folia* caulina duo l. tria, cucullato-amplexicaulia, acuta, integra, glabra, erecta, longitudine circiter internodii, bipollicaria, supra trisulcata, subtus carinâ lineisque duabus elevatis, longe vaginantia, inferne hirta. *Flos* terminalis, solitarius, subperpendicularis. *Bractea* germini subjecta, foliis omnino similis, sed minor. *Corolla* subringenti-fornicata, 5-petala, viridi-purpurascens. *Galea* (s. petalum supremum) saccato-fornicata, oblonga, dorso superne compresso: apice filiformi antice sulcato, erecto, galeâ paullo breviori. *Petala* duo interiora superiora latere exteriori leviter cum galea connata et fornicem formantia, recta, lunato-rhombea, longitudine galeae, alba, margine saturate purpureo; apice producto subulato, margine (prope galeam) ciliata, ciliis intra marginem purpureis, virescentibus; duo exteriora anteriora lateraliter patentia, verticalia, ovata sacco prominulo s. calcare obtuso brevi; apice filiformi setacea, reflexa. *Labellum* erectum, sulco Antherae insertum, sed longius, apice replicato sub galea recondito, basi lineari; lamina lanceolata, acuminata, supra hirta: lacinula obovata, minima, crenulata, latere anteriori acuta. *Anthera* oblonga, stylo adnata, erecta, antice *velo* tecta, margine utroque foramine dehiscens, lacinulam cartilagineam spiralem circumflexam exserens, apice pedunculis polliniferis adglutinata. *Stylus* brevissimus, obtusus. *Stigma* anticum, infra antheram, convexum. *Capsula* obovata, angulato-striata, glabra. *Semina* plurima, globosa, glabra.

2. D. (*villosa.*) scapo diphyllo unifloro; bracteâ germineque villosis; foliis cordato-ovatis, subtus glabris, ciliatis. Arethusa *villosa.* Prodr. p. 3. *Linn.* Suppl. p. 403. Syst. Veg. XIV. p. 817.

Crescit in collibus prope urbem Cap. Floret Augusto, Septembri.

Bulbus rotundus, indivisus. *Caulis* teres, villosus, erectus, palmaris, raro spithamaeus. *Folia* caulina, duo, ovato-subrotunda, obtusa, integra, margine tenuissime ciliata, patentia, semiunguicularia; infimum subpetiolatum petiolo brevi, vaginanti; superius infra medium subcucullatum, amplexicaule. *Flos* terminalis, flavescens, solitarius, bini vel tres. *Bractea* foliis similis, subtus villosa, venis ramosis. *Corolla* subringenti-fornicata, 5-petala. *Galea* depressa, oblongo-fernicata, carinata, villosa, cum petalis duobus interioribus parvis subtriangularibus obtusis connata, intus maculâ viridi notatâ. *Petala* duo inferiora horizontaliter patentia, rhombea, apice saccata, sacco brevi obtuso. *Labellum* supra basin styli insertum, lineare, obtusum, longitudine petalorum interior., erecto-patens, viride. *Anthera* depressa, oblonga, gibba, subdidyma, velo cucullato tecta, foraminibus duobus antice dehiscens, lacinulas duas membranaceas contortas exserens. Massae pollinis granulosae, flavae, pedicellatae: pedicellis apici lacinularum adglutinatis. *Stylus* brevis, crassus. *Stigma* anticum, concavum infra antheram. *Capsula* columnaris, striato-angulata, inferne attenuata, villosa, unguicularis.

3. D. (*secunda.*) scapo diphyllo multifloro; foliis linearibus; floribus secundis. Orchis *circumflexa. Linn.* Spec. Pl. 2. p. 1344. Syst. Veg. XIV. p. 814. Arethusa *secunda.* Prodr. Cap. p. 3.

Crescit prope urbem Cap. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Bulbi circiter tres, globosi, indivisi, magnitudine pisi. *Caulis* simplex, indivisus, teres, glaber, ruber, elevato-striatus, palmaris et ultra. *Folia* alterna, sessilia, canaliculato-concava, glabra, erecta, caule breviora. *Flores* quatuor l. quinque. *Bracteae* ad basin singuli floris simplices, basi latae, apice attenuatae, concavae, erectae, inferioribus sensim majoribus, glabrae. *Corolla* fornicata, subringens, 5-petala. *Galea* valde gibba, apice acuta, virescens marginibus rufescentibus, connexa cum petalis duobus interioribus, concavis, apice acuto inflexo, ovatis, latere interiore rectiore, virescentibus, intus striis maculisque saturate viridibus: duo lat. exteriora virescentia, subverticalia, ovata, apice acuto reflexo, medio versus latus exterius saccata, sacco obtuso brevi. *Labellum* stylo a basi ad apicem ejus adnatum, lineare, superne laminâ ovato-concavâ, acutâ, erecto-patenti. *Anthera* stylo inferne adnata, subcordata, velo antice tecta foramine duplici aperto, singulo lacinulam spiralem viridem exserente. Massae pollinis oblongae, flavae, granulatae, pedicellis e singulo loculo antherae cum lacinulis spiralibus connexis. *Stylus* basi latiusculus, superne attenuatus, linearis, antice canaliculatus, apice sub galea curvatus. *Stigma* concavum, anticum, horizontaliter patens, infra lacinulas spirale. *Capsula* clavata, torta, lineis elevatis subangulata.

XII. CYMBIDIUM.

Cor. 5-petala erecta vel patens. Labellum basi concavum ecalcaratum, laminâ patulâ. Anthera opercularis decidua. Pollen globosum.

1. C. (*tabulare.*) folio radicali lineari; scapo paucifloro; floribus spicatis cernuis; laminâ labelli trifidâ. Satyrium *Tabulare. Linn.* Suppl. p. 403. Syst. Veg. XIV. p. 811. Serapias *Tabularis.* Prodr. Fl. Cap. p. 3.

Crescit in planitie montis tabularis prope frontem. Floret Januario.

Radix bulbosa. *Folium* radicale solitarium (nec plura mihi visa) patens, glabrum, digitale. *Scapus* flexuoso-erectus, striatus, vix pedalis. *Vaginae* in scapo binae vel tres. *Flores* circiter quinque. *Bractea* sub singulo flore lanceolata, capsulâ brevior. *Corolla* irregularis, virescens, pentapetala: tria exteriora consimilia, ovata, obtusa, venosa, concava, erecta, unguicularia; lateralia basi antice ad latera labelli parum producta; duo interiora vix angustiora, subpatentia. *Labellum* totum flavum, reliquis petalis latius et paulo brevius, convoluto-concavum, obtusissimum, tripartitum: Laciniae ovatae, integrae; intermedia concava, subinde brevior, excisa. *Anthera* styli apici inserta, convexa, decidua. Massae pollinis croceae. *Stylus* latus, erecto-inflexus, dorso convexus, antice concavus, glaber. *Stigma* fovea antica concava, subinfundibuliformis. *Capsula* subclavata, striata, hexagona, glabra. *Unicum* tantum specimen hucusque repertum fuit.

2. C. (*aculeatum.*) foliis radicalibus subternis ensiformibus striatis; scapo vaginato; spicâ ovatâ. Satyrium *aculeatum. Linn.* Suppl. p. 402. Syst. Veg. XIV. p. 811. Serapias *aculeata.* Prodr. Fl. Cap. p. 3.

Crescit in summo Taffelberg in planitie frontis. Floret Januario.

Bulbi subglobosi, plures cohaerentes, albi, piso majores. *Folium* radicale solitarium (raro tria) striato-plicatum, glabrum, longitudine scapi. *Scapus* filiformis, flexuoso-erectus, digitalis. Vaginae membranaceae, inflatae, subcucullatae. *Flores* aggregati, spica subrotunda vel ovata, bracteolis sub floribus lanceolatis. *Corolla* 5-petala; C. *tabulari* omnibus partibus dimidio minor. *Petala* tria exteriora subaequalia, erecta, flava; lateralia basi antice paullo producta. Duo interiora exterioribus consimilia, vix breviora. *Labellum* basi parum gibbum; lamina trifida, lacinia intermedia superne aculeis albis purpureisque muricata. *Anthera* ut in C. *Tabulari. Stylus* inferne purpureo-striatus. *Capsula* striata, hexagona angulis alternis minoribus, subclavata.

3. C. (*pedicellatum.*) foliis ensiformibus nervosis; scapo vaginato; floribus subracemosis pedicellatis nutantibus. Satyrium *Capense. Linn.* Spec. Pl. 2. Satyrium *Pedicellatum.*

Linn. Suppl. p. 402. Syst. Veg. XIV. p. 812. SERAPIAS *pedicellata.* Prodr. Fl. Cap. p. 3.

Crescit prope Zeeko-rivier et alibi. Floret Decembri.

Bulbus indivisus, ovatus, magnitudine fabae, superiori parte fibris albis crassis praeditus. *Folia:* radicale unum alterumve, basi vaginantia, inferne attenuata, a medio ensiformia, glabra, multistriata, nervis tribus exstantibus flavescentibus, longitudine scapi. *Scapus* pedalis et ultra, teretiusculus, laxus, vaginis remotis, longis laxis cucullatis, fauce obliquis. *Flores* racemosi, plures (10 — 12) cernui. *Bracteae* lineari-lanceolatae, longitudine pedicellorum. Pedicelli longitudine fere germinis. *Corolla* 5-petala, subaequalis: petala tria exteriora ovato-lanceolata, acutiuscula, patenti-erecta; posticum vix concavum nec carinatum; lateralia basi oblique antice producta, angulata, labellum inferne amplectentia; duo interiora subaequalia. *Labellum* basi inter pet. lat. exteriora prominens, calcar brevissimum mentiens; lamina triloba; lobis oblongis patentibus, intermedio longiore subconcavo venoso, supra sulcato, ramentis brevissimis obsito. *Anthera* stylo brevi erecto apice inserta, mobilis, decidua. *Globuli* pollinis sphaerici, flavi.

4. C. (*giganteum.*) foliis ensiformibus subrecurvis equitantibus; scapo tereti; floribus spicatis remotis; labello hastato. SATYRIUM *giganteum. Linn.* Suppl. p. 402. Syst. Veg. XIV. p. 811. LIMODORUM *giganteum.* Prodr. Fl. Cap. p. 4.

Crescit juxta Zeeko-rivier, prope ostium maris. Floret Decembri.

Radix parasitica, fibrosa. *Folia* radicalia, carnosa, recurvata, integra, glabra, scapo breviora, pollicem lata. *Scapus* subangulatus *), striatus, glaber, erectus, sensim attenuatus, pedalis, bipedalis et ultra. *Vaginae* in scapo alternae, lanceolatae, concavae, reflexae, striatae, virides, unguiculares. *Florum* racemus **) multiflorus, digitalis usque spithamaeus. *Corolla* 5-petala, patula. *Petala* subaequalia; tria exteriora latoovata, acuta, patentia, striata, flavescentia, unguicularia; duo interiora vix angustiora. *Labellum* basi subtus gibbum, album, nec calcaratum, superne purpureo-striatum; laciniis lateralibus seu baseos deltoideis obtusis albis utrinque productis; intermediâ majori, oblongâ, integrâ, subtus concavâ, flavâ, supra convexâ, striatâ, flavâ: disco longitudinaliter plicato, limbo undulato. *Anthera* terminalis, opercularis, stylo insidens. *Stylus* crassus, dorso convexus, antice sulcatus, albo-virescens. *Stigma*: fovea antice impressa, obliqua, prope antheram. *Flos* corollam pentapetalam fere regularem repraesentat.

XIII. LIMODORUM.

Nectarium monophyllum, concavum, pedicellatum, intra petalum infimum.

1. L. (*longicorne.*) foliis equitantibus subensiformibus

*) In diagnosi: *teres.* *Editor.*

**) In diagnosi: *flores spicati.* *Editor.*

obtusis; floribus secundis; calcare filiformi longissimo. *Prodr.* p. 3. Epidendrum *Capense. Linn.* Suppl. p. 407.

Crescit in sylvis prope Swartkops-rivier. Parasitica arborum.

Radix fasciculata, fibris filiformibus plurimis. *Folia* radicalia plurima, equitantia seu obverse amplexicaulia, basi articulata, oblonga seu subensiformia, obtusiuscula, substriata, integra, glabra, digitalia. *Scapi* solitarii, duo l. plures, teretes, flexuoso-erecti, vaginati, glabri, digitales usque spithamaei. *Vaginae* membranaceae, breves. *Flores* plurimi in spica saepe palmari. *Bracteae* ovatae, acutae, membranaceae, brevissimae. *Corolla* pentapetala, tota crystallino-alba, subringens: *Petala* tria exteriora, quorum supremum lanceolatum, erectum, apice recurvum, unguiculare; duo lateralia patentia apice reflexo, supremo similia, sed margine inferiori dentem obtusum exserentia: duo interiora exterioribus paullo breviora et angustiora, aequalia, lanceolata, acuta, erecto-patentia, apice reflexo. *Labellum* lanceolatum, acutum, patens, dependens, longitudine petali supremi, basi callis duobus lateralibus; subtus infernè calcaratum. Calcar cylindricum, sensim attenuatum, rectum, album, obtusum, pollicare. *Anthera* margini postice apicis styli inserta, convexa, opercularis, mobilis, decidua. *Stylus* crassus, dorso convexus, viridis, antice cavus. *Stigma:* fovea in parte superiori styli sub anthera antice producta. *Variat* foliis angustioribus lineari-lanceolatis.

2. L. (*triste.*) foliis ensiformibus erectis; scapo ramoso; floribus racemosis subcampanulatis; calcare obtuso germine breviori. *Prodr. Cap.* p. 4. Limodorum *Capense. Berg.* Cap. p. 347. Satyrium *Capense. Houtt.* Nat. Hist. 2 D. 12 St. p. 502. T. 86. f. 3. Satyrium *triste. Linn.* Suppl. p. 402. Syst. Veg. XIV. p. 811.

Crescit juxta Zeeko-rivier et in summo Hottentots Hollands-berg. Floret Decembri, Januario.

Radix fibrosa, fibris filiformibus albis. *Folia* radicalia, plura, acuta, equitantia, serrulata, multinervia, nervis quinque exstantibus luteis, glabra, scapo duplo breviora, pedalia. *Scapus* subcompressus, striato-angulatus, glaber, erectus, apice ramosus, bipedalis. Rami alterni, laxi. *Bracteae* in scapo et in singulo flore membranaceae, spathaceae, basi latae, lanceolatae. *Pedunculi* capillares, capsulâ longiores. *Corolla* 5-petala, campanulatam mentiens. *Petala* tria exteriora, aequalia, lanceolata, erecta, fusca l. tristia, unguicularia; duo interiora prioribus omnino similia. *Labellum* obovatum, trifidum, dorso virescenti-fuscum, intus concavum, marginibus membranaceis inflexis striisque elevatis crenulatis albis; obtusum, erectum, petalis paullo longius, basi calcaratum. *Calcar* virescens. *Anthera* styli apici inserta, convexa, opercularis, decidua. *Stylus* dorso convexus, antice concavo-planus, virescens. *Stigma* anticum prope antheram, concavum. *Variat* 1mo magnitudine et ramis scapi. 2do florum maculis purpureis.

3. L. (*barbatum.*) foliis ensiformibus subfalcatis equitan-

tibus; scapo flexuoso; spicâ ovatâ; laminâ labelli subtrilobâ; calcare obtuso. *Prodr. p.* 4. SERAPIAS *Capensis. Linn.* Mantiss. p. 293. Syst. Veg. XIV. p. 816.

Folia radicalia plura, usque septem, reflexa, striata, glabra, integra, scapo duplo breviora. *Scapus* compressus, glaber, vaginis vestitus, erectus, spithamaeus vel paullo ultra. *Vaginae* alternae, membranaceae, erectae, sesquipollicares. *Flores* terminales, subfastigiati, albidi, plures, spicam ovatam referentes. *Bracteae* unguiculares. *Corolla* 5-petala, subregularis, patens. Petala tria exteriora ovato-lanceolata, acuta, unguicularia; duo interiora parum angustiora. *Labellum* concavum, laminâ trilobâ: lobis lateralibus minoribus; intermedio ovato, disco striato subbarbato; basi calcaratum. *Calcar* teres, germine brevius.

4. L. (*hians.*) foliis linearibus equitantibus; scapo pauciflоro; corollis cernuis; labello trilobo; calcare longitudine germinis. *Prodr. Cap.* p. 3. SATYRIUM *hians. Linn.* Suppl. p. 401. Syst. Veg. XIV. p. 812.

Radix subtuberosa; radiculis teretibus albidis rigidis simpliciusculis. *Folia* radicalia, subquaterna, lineari ensiformia, acuta, striata, lineata, integra, glabra, erecta, spithamaea. *Vaginae* supraradicales, folia et scapum cingentes. *Scapus* distinctus, pedalis, teres, erectus, glaber striatus remote vaginatus: Vaginis tribus l. quatuor cucullatis, carinatis, acutis, striatis, membranaceis. *Flores* terminales, quatuor s. quinque, cernui, brevissime pedicellati. *Bracteae* sub singulo flore acutae, breves. *Corolla* 5-petala, subregularis, patens. Petala tria exteriora, quorum posticum lanceolatum, obtusum, carinatum; lateralia oblonga, obtusa, angulo obtuso basi antice producta: duo interiora ovata, latiuscula. *Labellum* inter petala exteriora lateralia adscendens, carinatum, oblongum; lobi laterales parvi, ovati, intermedio longitudine petalorum; ovato-obcordatum, striato-venosum, basi subtus productum in *Calcar* teres, obtusum, longitudine fere germinis, leviter antrorsum curvum. *Anthera* ex apice styli, rotundata, decidua. *Stylus* erectus, superne incrassatus, antice excavatus. *Stigma* concavum. *Capsula* cylindracea.

XIV. SALIX.

MASC. *Amenti squamae. Cor.* 0. *Glandula baseos nectarifera.*

FEM. *Amenti squamae. Cor.* 0. *Stylus bifidus. Caps.* 1-*locularis*, 2-*valvis. Sem. papposa.*

1. S. (*aegyptiaca.*) foliis serratis lanceolatis ovatis venosis glabris exstipulatis. *Prodr. Capens.* p. 6. SALIX *aegyptiaca. Linn.* Syst. Nat. XIV. p. 879. Spec. Plant. p. 1444.

Crescit prope rivos in Rode Sand. Floret Septembri, Octobri.

Fratex orgyalis, cortice purpurascente, glabro. *Rami* et *ramuli* alterni, erecto-patentes, laxi. *Folia* brevissime petiolata,

alterna, mucronata, serrulata margine parum reflexo, supra viridia, subtus glauca, patentia, subpollicaria. *Flores*, quos masculos tantum vidi, spicati, tetrandri. *Spicae* compressae, pollicares. *Calycis* squamae albo-tomentosae.

2. S. (*capensis.*) foliis ramorum serratis ramulorum integris lanceolatis glabris, ramis divaricatis pendulis.

Crescit prope rivulos in montium proclivis in Hantum. Defloruit Octobri, Novembri.

Arbor orgyalis, ramosissima, glabra. *Rami* et ramuli alterni, laxi, longissimi. *Folia* breviter petiolata, alterna, lanceolata, mucronato-acuta, difformia: alia longiora, subhirsuta et serrata; alia breviora, integra, glabra; patentia, unguicularia, pollicaria et ultra. *Flores masculi* axillares, in spicis (amentis) cylindricis, pollicaribus, antheris exsertis. *Flores* feminei, in ultimis ramulis racemosi, distincti. *Racemus* subpollicaris. *Capsulae* bivalves, glabrae. *Differt* a S. *babylonica.* 1. foliis ramulorum integris, minoribus. 2. foliis potius pulverulentis glaucis, quam villosis.

Obs. Mas frutex erectus, ramosus, glaber. *Rami* et *ramuli* filiformes. *Folia* ut in femina.

3. S. (*mucronata.*) foliis integris glabris oblongis mucronatis subtus glaucis. *Prodrom. Capens.* p. 6.

Arbor orgyalis, tota glabra, cortice purpureo, rugoso. *Rami* et ramuli alterni, patulo-erecti, subflexuosi, virgati. *Folia* in ultimis ramulis alterna, petiolata, elliptico-oblonga, obtusa cum acumine setaceo, margine incrassato subrevoluto, supra viridia, reticulato-venosa, patentia, unguicularia usque pollicaria. *Petioli* brevissimi. *Flores*, quos femineos tantum vidi, in ultimis ramulis terminales, spicati, erecti. *Squamae* calycis albo-tomentosae. *Differt* a S. *integra:* 1. foliis cuspidatis. 2. ramis striatis nec laevibus. 3. foliis inferne sensim attenuatis et breviter pedunculatis.

4. S. (*hirsuta.*) foliis integris utrinque hirsutis exstipulatis ovatis mucronatis. *Prodrom. Capens.* p. 6.

Arbor orgyalis cortice rugoso, purpurascente, glabro. *Rami* et ramuli alterni, erecti, virgati. *Folia* in ultimis ramulis brevissime petiolata, obovata, obtusa cum acumine, utrinque albo-hirsuta, unguicularia. *Flores*, quos masculos tantum reperi, spicati, 5-6andri. *Spicae* cylindricae, foliis breviores. *Calycis* squamae lanatae. *Differt* a S. *lanata:* hirsutie, quodque major; ab *aurita:* stipulis nullis.

XV. ANCISTRUM.

Cal. 4-*phyllus.* *Cor.* 0. *Stigma multipartitum.* *Drupa exsucca, hispida,* 1-*locularis.*

1. A. (*decumbens.*) foliis pinnatis hirsutis, fructibus tomentosis armatis. *Prodr. Capens.* p. 6. Agrimonia *decum-*

bens. Linn. Syst. Veg. XIV. p. 448. Suppl. p. 251. Ancistrum *latebrosum. Willd.* Spec. T. I-V. P. I. p. 155.

Crescit in Roggeveld. Floret Novembri, Decembri.

Caules plures, radicales, flexuoso-erecti, striati, villosi, palmares. *Folia radicalia* plurima, pinnata, hirsuta, diffusa, digitalia: *pinnae* impares, aequales, dentatae, obovatae; *caulina* alterna, vaginantia, remota, similia, minora. *Flores* in summitate caulium spicati.

DIGYNIA.

XVI. GUNNERA.

Amentum squamis unifloris. Cal. o. *Cor.* o. *Germen bidentatum. Styl.* 2. *Sem.* 1.

1. G. (*perpensa.*) Prodr. Cap. p. 6. *Linn.* Mantiss. p. 121. Syst. Veget. XIV. p. 819.

Crescit ad latera rivulorum in Swartland, Warme Bockeveld, Roode Sand, infra Taffelberg, in Lange Kloof. Floret Septembri, Octobri, Novembri, Decembri.

Folia radicalia, inaequalia, cordata, sublobata, reniformia, serrata, venosa, tenuissime villosa, palmam usque pedem ampla. *Petioli* compressi, striati, villosi, pedales. *Scapus* compressus, striatus, sensim attenuatus, villosus, longitudine petiolorum vel ultra. *Flores* in scapo a medio ad apicem condensati, paniculati, sensim in scapo excrescente florentes, minuti. *Panicula* composita, pedalis, racemulis versus apicem magis coarctatis et brevioribus, flosculis brevissime pedicellatis absque corolla et calyce. *Filamenta* nulla; sed *antherae* duae, sessiles in germine, ovatae, didymae, sulcatae, flavae. *Germen* glabrum. *Styli* duo, patuli, purpurascentes, antheris multo breviores. *Bacca* vel Drupa ovata, glabra, pistillis persistentibus coronata, succulenta, monosperma. *Semen* unicum, lentiforme, glabrum.

Classis III.

TRIANDRIA.

MONOGYNIA.

XVII. VALERIANA.

Cal. o. *Cor.* 1-*petala, basi hinc gibba, supera. Sem.* 1.

1. V. (*capensis.*) floribus triandris; foliis pinnatis: foliolis ovatis dentatis.

Crescit in Montium convalliis pone Lange Kloof. Floret Decembri.

Caulis articulatus, striatus, erectus, totus glaber, pedalis et ultra. *Folia* opposita, petiolata, bi- seu trijuga, spithamaea. *Pinnae* alternae, acutae, unguiculares: impari majori. *Petioli* amplexicaules. *Flores* paniculati, plurimi. *Panicula* supradecomposita, trichotoma, fastigiata. *Bracteae* sub trichotomia pedunculorum binae, oppositae, lanceolato-setaceae, vix unguiculares. *Flores* et *Semina* omnino ut in V. *officinali Usus* radicis, licet rarior in Epilepsia Colonis notus. *Differt* manifeste a V. *officinali*, cui simillima videtur, pinnis brevioribus et dentatis.

XVIII. FICUS.

Receptaculum commune turbinatum, carnosum, connivens, occultans flosculos vel in eodem, vel in distincto.
Masc. Cal. 3-*partitus. Cor.* o. *Stam.* 3.
Fem. Cal. 5-*partitus. Cor.* o. *Pist.* 1. *Sem.*

1. F. (*cordata.*) foliis subcordatis ovatis acutis glabris coriaceis; caule fruticoso erecto. Ficus *cordata. Thunberg* Dissert. de Ficu p. 8. cum figura.

Crescit in Hantum et juxta Heeren logement.

Frutex mediocris, totus glaber, ramosus. *Rami* teretes, subrugosi, cinerei, erecto-patentes, ramulosi. *Folia* versus apices ramorum et ramulorum approximata, obsolete cordata, integra, venosa venis reticulatis, patentia, sesquipollicaria. *Petioli* teretes, unguiculares. *Fructus* sessiles, versus apices ramorum et ramulorum in axillis foliorum approximati, globosi, magnitudine pisi.

2. F. (*capensis.*) foliis ovatis acutis glabris serratis, fructibus pedunculatis glarbis. Ficus *capensis*. *Thunb.* Dissert. de Ficu p. 13.

Africanis incolis: Wilde Vygeboom. Crescit in sylvis Esse-bosch, prope Zeeko-rivier, Pisangrivier et alibi. Fructus maturat Decembri.

Arbor excelsa, vasta, glabra. *Radix* perennis, fibrosa in tenellis ficubus sub terra sessilibus. *Rami* patentes. *Folia* ovato-oblonga, sinuato-dentata, supra viridia, subtus pallidiora, nervosa, patentia, digitalia. *Pedunculi* semiteretes, pollicares. *Fructus* sparsi, turbinati, magnitudine avellanae et ultra.

XIX. BRYONIA.

Masc. Cal. 5-*dentatus. Cor.* 5-*partita. Filamenta* 3. *Fem. Cal. et Cor. ut in* ♂. *Stylus* 4-*fidus. Bacca subglobosa, polysperma.*

1. B. (*scabra.*) foliis cordatis angulatis dentatis, supra calloso-punctatis, subtus piloso-scabris; floribus umbellatis. B. *scabra* Syst. p. 870. Suppl. p. 425.

Caulis flexuosus, scandens, angulatus, sulcatus, pilosus. *Folia* alterna, petiolata, subquinqueloba, acuta, dentata; supra papilloso-scabra papillis crystallinis; subtus pallidiora, valde villosa, tenuissime papillosa, pollicaria et ultra. *Petioli* villosi, subpapillosi, pollicares. *Flores* plurimi. *Pedunculus* communis axillaris, pilosus, pollicaris. *Pedicelli* circiter 12, breves. *Corollae* extus hirsutae.

2. B. (*punctata.*) foliis cordatis angulatis dentatis, supra callosis, subtus pilosis; pedunculis unifloris.

Caulis scandens, striatus, villosus. *Folia* alterna, petiolata, acute dentata, mucronata, supra papilloso-scabra, subtus hirsuta, non manifeste papillosa, pollicaria. *Petioli* hirsuti, folio breviores. *Flores* axillares, pedunculati. *Pedunculi* solitarii, vel bini, lineam longi. *Bacca* globosa, glabra, impresso-punctata.

3. B. (*cordata.*) foliis cordatis scabris denticulatis; floribus axillaribus geminis.

Caulis decumbens, filiformis, sulcatus, glaber, simplex. *Folia* alterna, petiolata, ovata, acuta, obsolete serrulata, papilloso-scabra imprimis supra, glabra, pollicaria. *Petiolus* longitudine folii. *Pedunculi* capillares, bini, uniflori, folio breviores. *Baccae* glabrae, magnitudine pisi.

4. B. (*triloba.*) foliis trilobis, supra laevibus, subtus scabris.

Caulis angulatus, sulcatus, glaber, scandens, ramosus ramis alternis, brevibus. *Folia* alterna, petiolata, lobi angulati, integri, obtusi cum mucrone minimo; subtus valde muricata, pallidiora; inferiora majora, superiora sensim minora. *Petiolus* striatus, unguicularis. *Cirrhi* axillares.

5. B. (*angulata.*) foliis quinqueangulatis, utrinque scabris; floribus subumbellatis.

Caulis striatus, angulatus, glaber, scandens, ramosus. *Folia* alterna, petiolata, angulata, 5-loba; lobi obtusi cum mucrone minimo; integra, utrinque muricata, subtus pallidiora, inferiora sesquipollicaria, superiora minora. Petioli glabri, striati, semipollicares. *Cirrhi* axillares. *Flores* ex axillis foliorum, umbellati. *Pedunculus* pollicaris, raro uniflorus, saepius umbellato-paniculatus. *Pedicelli* capillares, unguiculares. *Similis* B. *grandi*, sed minor foliis et imprimis floribus.

6. B. (*africana.*) foliis angulatis quinquelobisque glabris, margine scabridis. Bryonia *africana. Linn.* Syst. veg. XIV. p. 870. Sp. Pl. p. 1438.

Crescit in Houtbay prope littus inter frutices. Floret Aprili, Majo.

Caulis sulcato-angulatus, glaber, ramosus, scandens. *Rami* similes, elongati. *Folia* alterna, petiolata; infima cordata, indivisa, subangulato-dentata, majora; superiora 5-lobata; suprema triloba, minora; lobi angulati. *Petioli* sulcati, pollicares. *Flores* subpaniculati. *Pedunculi* axillares, capillares, pollicares. *Pedicelli* unguiculares.

7. B. (*laevis.*) foliis cordatis, serratis, laevibus; floribus axillaribus, subumbellatis.

Caulis striatus, glaber, volubilis. *Folia* alterna, petiolata, palmata, glabra, subpalmaria; lobi quinque, serrati, acuti, laterales minores. *Petioli* pollicares vel ultra. *Flores* pedunculati. *Pedunculi* pollicares et ultra, capillares, uniflori vel umbelliferi.

8. B. (*acutangula.*) foliis angulatis integris laevibus glabris.

Crescit prope Zeekoe-rivier.

Florentem non vidi. *Caulis* sulcato-angulatus, flexuoso-scandens, glaber, subsimplex. *Folia* alterna, saepe plura ex articulis, petiolata, cordata, lobis acutis integris, inferiora palmaria, superiora minora. *Petioli* striati, glabri, sesquipollicares.

9. B. (*quinqueloba.*) foliis 5-lobis denticulatis, supra scabris; pedunculis unifloris.

Crescit in sylvis Hrakakamma. Floret Decembri.

Caulis angulatus, sulcatus, scandens. *Folia* alterna, subsessilia, cordata, supra papilloso-scabra, subtus laevia, glabra, palmaria, superioribus sensim minoribus; lobi divaricati sinubus rotundatis, ovatis: denticulati versus apicem, obtusi cum mucrone setaceo; laterales minores subangulati. *Petioli* vix ulli vel brevissimi. *Cirrhi* axillares. *Flores* axillares, solitarii. *Pedunculus* unguicularis. *Similis Sisyoidi Garcinii* differt vero 1. foliis. 2. floribus umbellatis.

10. B. (*digitata.*) foliis digitatis: laciniis linearibus, bilobis, scabris; floribus umbellatis.

Caulis volubilis, sulcato-angulatus, glaber. *Folia* petiolata. Lobi quinque, simplices vel bifidi, obtusi, glabri, papilloso-scabri, pollicares. *Petioli* unguiculares. *Flores* axillares, minimi, sub-umbellati.

11. B. (*dissecta.*) foliis digitatis, subtus scabris: laciniis pinnatifidis; floribus umbellatis.

Caulis sulcato angulatus, glaber, scandens. *Folia* alterna, petiolata, digitato-quinquepartita, supra glabra, subtus papilloso-scabra, pollicaria; Lobi dentati, pinnatifidi. *Petioli* vix unguiculares. *Flores* axillares. *Pedunculi* unguiculares; pedicelli brevissimi.

XX. MOMORDICA.

Masc. Cal. 5-*fidus. Cor.* 5-*partita. Filamenta* 3. *Fem. Cal. et Cor. ut in* ♂. *Stylus* 3-*fidus. Pomum elastice dissiliens.*

1. M. (*lanata.*) foliis ternato-pinnatifidis, scabris; pepone lanato.

Crescit (*in danis*) *prope Cap locis arenosis. Floret Aprili.*
Caulis sulcatus, angulatus, villosus, decumbens. *Folia* alterna, petiolata, lobato-ternata, usque quinata: lobis oblongis, obtusis, sinuato-pinnatifidis; utrinque scabra; imprimis subtus papilloso-hispida, palmaria. *Petioli* pollicares, hispidi. *Cirrhi* axillares. *Flores* axillares, brevissime pedunculati, solitarii. *Pepo* ovatus, totus lanâ densâ involutus.

XXI. CUCUMIS.

Masc. Cal. 5-*dentatus. Cor.* 5-*partita. Filamenta* 3. *Fem. Cal.* 5-*dentatus. Cor.* 5-*partita. Pistillum trifidum. Pomi semina arguta.*

1. C. (*prophetarum.*) foliis cordatis, quinquelobis, denticulatis, obtusis; pepone globoso, spinoso-muricato. C. *Prophetarum. Linn.* Syst. p. 100.

Folia subtus valde papilloso-scabra.

2. C. (*africanus.*) foliis sinuato-lobatis; caule angulato; pepone ovali echinato. CUCUMIS *africanus. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 100. Suppl. p. 423.

Caulis sulcato-angulatus, glaber, decumbens. *Folia* alterna, petiolata, triloba et quinqueloba, sinubus rotundatis, utrinque villosa, subtus imprimis aculeato-hispida, pollicaria. Lobi angulati, dentati. *Petioli* aculeato-hispidi, digitales. *Flores* oppositifolii, pedunculati. *Pedunculi* similes petiolis, uniflori, laxi digitales. *Pepo* oblongus, totus echinatus.

3. C. (*colocynthis.*) foliis multifidis; pepone globoso glabro. C. *Colocynthis. Linn.* Syst. p. 100.

Crescit in Carro, in Bockefelt et Roggefeldt, prope Goudrivier alibique. Floret Novembri, Decembri.

Caulis angulatus, sulcatus, piloso-hispidus, decumbens. *Folia* alterna, petiolata, incisa, lobato-pinnatifida, supra viridia, subtus pallidiora, utrinque scabra, imprimis subtus albo-papillosa, palmaria; lobi rotundati sinuati maculati. Nervi, imprimis medius, aculeati. *Petiolus* cauli similis, palmaris et ultra. *Cirrhi* axillares, fissi. *Flores* axillares, solitarii, petiolati. *Pedunculus* hispidus, brevissimus, nutans. *Fructus* ovatus, hirsutus. *)

XXII. TRAGIA.

Masc. Cal. 3-*partitus. Cor.* 0.
Fem. Cal. 5-*partitus. Cor.* 0. *Stylus* 3-*fidus. Caps.* 3-*cocca*, 3-*locularis. Sem. solitaria.*

1. T. (*villosa.*) foliis cordatis, crenatis, subtus hirsutis; caule scandente.

Crescit in Sylvis Houtniquas. Floret Novembri, Decembri.

Caulis herbaceus, teres, villosus, parum ramosus. *Rami* alterni, elongati, similes. *Folia* alterna, petiolata, acuta, crenis magnis; supra glabra, viridia; subtus incana, hirsuta villo adpresso albido; inaequalia, patentia, unguicularia, pollicaria et ultra. *Petioli* teretes, folio paulo longiores, villosi. *Flores* axillares, spicati, monoici. *Differt* a T. *capensi:* 1. foliis subtus hirsutis. 2. caule scandente nec volubili.

2. T. (*capensis.*) foliis cordato-ovatis, dentatis, hispidis; caule volubili; involucro pectinato.

Crescit in Sylvis. Floret Novembri, Decembri.

Caulis filiformis, infra glaber, supra hirtus. *Folia* alterna, petiolata, acuta, supra viridia, subtus pallida, glabra, venosa pilis hispidis sparsis in nervis, pollicaria. *Petioli* foliis paulo breviores. *Flores* racemosi, masculi et feminei distincti. *Involucra* feminea 5-partita, hispida. *Capsulae* globosae, extus hispidae, triloculares. *Semina* globosa, glabra, rugosa.

XXIII. ACHARIA.

Masc. Cal. diphyllus. Cor. 1-*petala*, *trifida.*
Fem. Cal. et Cor. ut in ♂. *Caps.* 1-*locularis*, *trivalvis*, *monosperma.*

1. A. (*tragodes.*)

Crescit prope van Stades rivier, inque aliis interioris Africae regionibus. Floret Decembri, Januario.

Caulis herbaceus, mox ramosus, glaber, palmaris usque pedalis. *Rami* alterni, aggregati, angulati, flexuoso-erecti, virgati, ramulosi. *Folia* alterna, petiolata, inciso-trifida, tenuissime pubescentia, pollicaria. Lobi obovati, inciso-dentati. *Flores* monoici, pedunculati, axillares, reflexi, masculi superiores, feminei inferiores. *Pedunculi* solitarii, uniflori, brevissimi.

*) In diagnosi: *pepo globosus, glaber. Editor.*

XXIV. RUSCUS.

Masc. Cal. 6-*phyllus. Cor.* 0. *Nectarium centrale, ovatum, apice perforatum.*
Fem. Cal. Cor. Nectar. maris. Stylus 1. *Bacca* 3. *locularis. Sem.* 2.

1. R. (*volubilis.*) foliis ovato-oblongis, multinervosis.

Crescit in Sylvis Houtniquas.
Flores non vidi. *Caulis* volubilis, filiformis, angulatus, spiralis, glaber. *Folia* brevissime petiolata, alterna, subcordata, acuta, integra, glabra, tenuia, subdiaphana, unguem lata.

2. R. (*reticulatus.*) scandens; foliis ovatis, multinervibus reticulatis; floribus pedunculatis solitariis. *Prodr. p.* 13.

Crescit in sylvis. Fructus maturat Decembri.
Caulis teres, scandens, tenuissime striatus, glaber, parum ramosus, ramis brevibus similibus. *Folia* brevissime petiolata, alterna, acuta, integra, nervis elevatis reticulata, glabra, pollicem lata et paulo longiora. *Flores* axillares. *Pedunculus* filiformis, subuniflorus, nutans, vix pollicaris. *Bacca* globosa.

XXV. ANTHOLYZA.

Cor. tubulosa, irregularis, recurvata. Caps. infera.

1. A. (*lucidor.*) foliis basi filiformibus, apice linearibus, nervosis; spicâ oblongâ disticha. *Prod. p.* 7. Antholyza *lucidor. Linn.* Suppl. Syst. p. 96. Syst. Veg. XIV. p. 88.

Crescit in campis sabulosis prope Constantiam. Floret Aprili.
Radix profunde insidens scapo basi squamato. *Scapus* teres, articulatus, flexuoso-erectus, glaber, laevis, pedalis. *Folia* radicalia circiter tria, inde lineari-ensiformia, flaccida, glabra, longitudine scapi. *Bracteae* in scapo ad singulum articulum solitariae, foliaceae, basi latae, inde filiformi-setaceae, convolutae palmares. *Flores* terminales, spicati purpurei. *Spica* imbricata floribus approximatis plurimis. *Spatha* ovata, brunnea, glabra, longitudine dimidiâ tubi. *Corolla* 1 petala, ringens, purpurea: tubus duplex, inferne filiformis, supra genu cylindricus, curvus. Limbi labium inferius paulo brevius, reflexum.

Obs. Valde affinis Gladiolis ob limbum subaequalem.

2. A. (*aethiopica.*) foliis ensiformibus, utrinque attenuatis, nervosis, spicâ oblongâ distichâ. *Prod. p.* 7. Antholyza *aethiopica. Linn.* Spec. Plant. p. 54. Ej. Syst. Veget. XIV. p. 87.

Crescit ad latera rivulorum in sylvis Houtniquas et alibi rarius. Floret Novembri, Decembri.
Scapus teres absque articulis, glaber, erectus, pedalis usque bipedalis. *Folia* elliptico-ensiformia, seu basi attenuata et versus apicem angustata, erecto-patula, circiter quatuor, longitudine fere scapi. *Bracteae* in scapo paucae, lanceolato-seta-

ceae, breves. *Flores* terminales, spicati, purpurei. *Spica* saepe pauciflora, floribus remotis. *Spatha* oblonga, acuta, tubo brevior. *Corolla* 1-petala, ringens, purpurea. Tubus basi filiformis, dein cylindricus, curvatus. Limbi labium superius fornicatum, erecto-patens, inferius longe brevius, reflexum.

Obs. Distincta 1. a *Cunonia*: foliis ensiformibus, utrinque attenuatis, sed basi tamen non filiformibus; 2. a *lucidor*: *a.* scapo non articulato. *b.* bracteis paucis, brevibus. *c.* foliis basi non filiformibus. *d.* spicâ minus dense imbricatâ. *e.* corollâ magis ringenti et inaequali.

3. A. (*nervosa.*) foliis ensiformibus glabris quadrinervibus, spicâ oblongâ distichâ. *Prod. p.* 7.

Folia radicalia circiter tria vel quatuor, acuta, integra, nervis quatuor flavescentibus exstantibus notata, erecta, longitudine fere scapi. *Scapus* teres, flexuosus, erectus, glaber, pedalis et ultra. *Flores* distichi, approximati, incarnati, cernui in spica ovata, subfastigiata. *Spathae* ovatae, brunneae, tubo multo breviores. *Tubus* corollae basi filiformis, dein cylindricus, curvatus. Limbus bilabiatus, labio inferiori, paulo breviori reflexo. *Differt* foliorum nervis exstantibus, elevatis.

4. A. (*cunonia.*) foliis ensiformibus glabris striatis, spicâ oblongâ distichâ. *Prodr.* p. 7. Antholyza *cunonia. Linn.* Spec. Pl. p. 54. Mant. p. 320. System. veg. XIV. p. 87.

Crescit prope urbem Cap et alibi ad latera fossarum. Floret Majo et sequentibus mensibus usque in Septembris mensem.

Scapus simplex, foliis fere totus vaginatus, teres, erectus, glaber, pedalis et ultra. *Folia* scapum obverso margine vaginantia, alterna, acuta, erecta, tenuissime striata, interjectis plurimis nervis flavescentibus, tenuissimis, lineâ mediâ majori in carina, pollicem fere lata, scapo breviora, superioribus sensim brevioribus. *Flores* distichi vel secundi, purpurei, cernui, remoti in spica digitali. *Spatha* bivalvis, oblonga, acuta, viridis margine rufescente, concava, glabra, tubo filiformi brevior. *Corolla* monopetala, supera, purpurea striis flavis. Tubus cylindricus, striato-angulatus, basi filiformis, curvatus. Limbus basi prope tubum inflatus, curvatus, inferne compresso-carinatus; apice ringens, 6-partitus: lacinia suprema longissima, curvata, fornicata, obtusa; duae laterales superiores patentes; inferiores tres profundius divisae, reflexae. *Filamenta* tria, adscendentia, curvata, basi limbi inserta, filiformia, sensim attenuata, sulco longitudinali exarata, corollâ longiora, alba. *Antherae* oblongae, erectae. *Germen* inferum, 6-angulatum, glabrum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum eisque tenuior. *Stigma* simplex. *Capsula* obovata, obsolete trigona, 6-striata obtusa, trivalvis, trilocularis. *Semina* plurima, ovata, glabra.

5. A. (*ringens.*) foliis ensiformibus plicatis; spicâ secundâ; spathis lanceolatis glabris. *Prod. p.* 7. Antholyza *ringens. Linn.* Spec. Pl. p. 54. Syst. Veget. XIV. p. 87.

Crescit extra Cap et alibi, in Swartland et prope Constan-

tiam, saepe prope vias, in campis depressis sabulosis. Floret Julio, Augusto, Septembri.

Bulbus profunde insidens, magnitudine juglandis. *Scapus* profundus sub arena, supra brevissimus, saepe vix pollicaris, totus foliis vestitus, villosus dichotomus, flexuosus. *Folia* plura, usque decem, obverse vaginantia, acuta, sulcis interjectis profundis, lineis elevatis flavescentibus pluribus notata, erecta, glabra. longitudine totius plantae seu a vaginis spithamaea. *Flores* plurimi, approximati, secundi erecti, purpurei, magni et speciosi. *Rhachis* flexuosa, hirsuta. *Bracteae* lanceolatae, acutae cum cuspide, striatae, glabrae, basi villosae, erectae, sesquipollicares. *Corolla* monopetala, ringens, incarnata. Labium superius longius, erectum; inferius horizontale. Rictus amplissimus. *Stamina* erecta, intra labium superius inclusa.

6. A. (*plicata.*) foliis ensiformibus plicatis; spicis secundis; spathis ovatis villosis. *Prod. p.* 7. GLADIOLUS *imbricatus? Linn.* Spec. Pl. p. 52. Suppl. Syst. p. 96. Syst. Veget. XIV. p. 87.

Crescit in dunis prope littus maris infra Verlooren Valley. Floret Octobri.

Bulbus profunde insidens. *Scapus* sub terra profundus, supra flexuosus, subangulatus, hirsutus, polystachyus, erectus, pedalis. *Folia* vaginantia, equitantia acuta, nervis flavescentibus exstantibus notata, tenuissime villosa, erecta, scapo breviora. *Flores* erecti, purpurei. *Spicae* plurimae, sex vel septem, alternae, patenti-erectae, multiflorae, imbricatae, rachide villosâ *Spathae* apice ferrugineae, sublacerae, tenuissime striatae, tubo paulo breviores, unguiculares. *Corollae* tubus curvatus, cylindricus. Labium superius erecto-patens, longius; inferius paulo brevius. Rictus mediocris. Differt ab A. *ringente*, cui valde similis et affinis: 1. scapo multo altiore. 2. spicis florum longe pluribus. 3. corollis angustioribus fauce minus divaricatâ. 4. foliis et spathis villosis.

XXVI. GLADIOLUS.

Cor. monopetala, tubulosa: tubo curvato; limbo 6-partito: laciniis supremâ et infimâ extra vel intra laterales.

* *Monostachyi, scapo simplici:*

1. G. (*merianus.*) corollis cernuis cylindricis, tubo duplici, limbi laciniis ovatis; foliis ensiformibus glabris. ANTHOLYZA *meriana. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 87. Spec. Plant. p. 53. GLADIOLUS *Merianus.* Diss. de Gladiolo p. 14. Prod. p. 7. GLADIOLUS *tubulosus. Jacq.* Rar. Icon. vol. 2. fasc. 13. tab. 2.

Crescit prope Valsrivier et alibi. Floret Augusto, Septembri, Octobri.

Scapus simplex, teres, striatus, inferne foliis vaginatus, flexuoso-erectus, spithamaeus. *Folia* plura, usque quatuor, obverso margine vaginantia, obliqua, parum striata nervo medio utrin-

que elevato, integra, marginata, scapo breviora. *Flores* quatuor, usque octo, alterni, cernui, purpurei. *Corollae* tubus basi filiformis striatus, sensim ampliatus, geniculato-reflexus, inde inflato-cylindricus, laevis, nutans; a basi ad genu unguicularis, a genu ad limbum pollicaris. Limbus campanulatus: laciniae obtusissimae cum acumine, concavae, aequales, semiunguiculares: suprema extra laterales proximas; infima intra laterales inferiores.

Obs. Gladiolis in genere *Radicem* bulbosam; *bulbum* tunicatum, carnosum, globosum; *flores* spicatos esse.

2. G. (*merianellus.*) corollis cernuis, tubo duplici, limbi laciniis ovatis; foliis ensiformibus pilosis. Antholyza *merianella. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 87. Gladiolus *merianellus.* Diss. nostra de Gladiolo p. 14. Prod. p. 7.

Crescit in summitate montium inter Nordhoek et Bayfals. Floret Februario, Martio, Aprili.

Scapus simplex, inferne rectus, superne flexuosus, vaginatus, sesquipedalis. *Folia* unum vel duo, longe vaginantia, vaginis striatis, scapo breviora. *Flores* tres vel quatuor, secundi, cernui, flavo-incarnati. *Corollae* tubus inferne filiformis, geniculatus, inde cylindricus, curvus. Limbi laciniae subrotundae.

3. G. (*watsonius.*) corollis cernuis, tubo duplici, limbi laciniis oblongis; foliis linearibus glabris. Gladiolus *Watsonius.* Diss. de Gladiolo. p. 14. Prod. p. 8. Jacq. Ic. 2. fasc. 9. t. 9. Gladiolus *recurvus. Hout.* Nat. Hist. 2 D. 12 St. p. 49. T. 79. f. 1.

Incolis: Zuykerkan. Crescit ad latera montium, praecipue in Leuwestaart, juxta Constantiam et alibi. Floret a mense Majo usque in Augustum.

Scapus simplex, teres, foliis vaginatus, erectus, pedalis et ultra. *Folia* circiter tria, longe vaginantia, vaginis striatis, lineari-lanceolata acuminata, striata, scapo breviora, superioribus sensim brevioribus. *Flores* tres vel quinque, subsecundi, cernui, purpurei. *Corollae* tubus basi filiformis, dein cylindricus, geniculatus, curvatus, sesquipollicaris. Limbi laciniae acutae.

4. G. (*communis.*) corollis cernuis, secundis, tubo simplici spathis breviore; foliis ensiformibus multinervibus. Gladiolus *communis. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 86. Spec. Plant. p. 52. Dissert. nostr. de Gladiolo. p. 13. Prod. p. 8.

Crescit in campis arenosis.

Scapus teres, foliis ultra medium vaginanatus, glaber, erectus, sesquipedalis. *Folia* obversa, alternatim vaginantia, novemnervia, glabra, inferiora sensim breviora, scapo multo breviora, pollicem lata. *Flores* alterni, cernui, subsecundi, purpurei, plures. *Tubus* curvus, rictu usque ad tubum.

5. G. (*carneus.*) corollis suberectis distichis, tubo spathis aequali; foliis ensiformibus multinervibus. Gladiolus

carneus. *La Roche* Dissert. p. 30. t. 4. *Jacq.* Rar. 2. f. 7. t. 5.

Scapus flexuosus, erectus, ramosus, uti et *Folia* omnino ut in G. *communi*. *Flores* subdistichi, erecti, curvi, ringentes, rictu non omnino ad apicem spathae extenso.

6. G. (*exscapus.*) tubo corollae filiformi, spathis longiore; foliis filiformibus *) trinervibus.

Scapus brevis, simplex, erectus, flexuosus, glaber, palmaris usque spithamaeus. *Folia* duo radicalia, lineari-ensiformia, vaginantia vaginis multistriatis, margine et medio costà flavescenti; glabra, scapo breviora; caulina duo, similia, breviora. *Flores* alterni, usque 6, erecti, albi. *Spathae* lanceolatae, convolutae, glabrae, laeves, parum acutae, bipollicares. *Tubus* corollae erectus, apice ampliatus et cernuus, tripollicaris. Limbi laciniae lanceolatae, obtusae.

7. G. (*tristis.*) corollis cernuis, tubo simplici; foliis linearibus trinervibus bisulcis. Gladiolus *tristis*. *Linn.* Spec. Plant. p. 53. Syst. Veg. XIV. p. 86. Diss. n. de Gladiolo. p. 11. ae. *Jacq.* Rar. 2. f. 13. t. 14.

Europaeis, *Caput bonae spei incolentibus*: *Africaner*. *Crescit in collibus prope urbem Cap et extra in campis sabulosis*, *juxta Drakenstein et alibi*. *Floret a Majo usque in Augusti mensem*.

Scapus simplex, vaginatus, erectus, glaber, crassitie culmi tritici, pedalis et ultra. *Folia* alternatim vaginantia, acuta, striata, glabra, integerrima, superiora sensim breviora, circiter duo vel tria. *Corollae* tubus curvus. *Limbus* subinflatus: *laciniae* ovatae, concavae, acuminatae, apice patulae; suprema latior, intra proximas laterales, profundius divisa, subfornicata: infima angustissima extra laterales proximas. *Color* corollae tristis, varius in variis individuis.

8. G. (*brevifolius.*) aphyllus; corollâ curvâ, incarnatâ; spathis cuspidatis, laevibus, longitudine tubi. Gladiolus *tristis*. I. K. Diss. de Gladiolo p. 12. Gladiolus *brevifolius*. *Jacq.* Rar. 2. fasc. 13. t. 4.

Crescit juxta urbem Cap.

Scapus filiformis, simplex, erectus apice cernuus et flexuosus, glaber, pedalis usque bipedalis. *Folia* sub florescentia nulla, sed, tantum vaginae, longae, multistriatae, duae vel tres. *Flores* alterni subsecundi, 4 usque 8 et 10, incarnati, cernui. *Spathae* basi latae, apice valde angustato, glabrae, unguiculares. *Corolla* cernua, tubo curvato, immaculata, subpollicaris.

9. G. (*laevis.*) corollâ curvâ lutescente; spathis laevibus, tubo longioribus, folio lineari bisulco longiori. Gladiolus *tristis*. d. *luteus*. Dissert. de Gladiolo. pag. 12.

---

*) Anne potius *lineari*-ensiformibus, ut in descriptione? *Editor.*

Scapus simplex, erectus, glaber, apice flexuosus, pedalis. *Folia* radicalia duo, vaginantia, apice attenuata, glabra, nervis nitidis bisulca; infimum scapo longius, alterum brevius. Caulinum unicum supra medium, apice valde attenuatum, adhuc brevius. *Flores* cernui, secundi, bini vel tres, lutescenti-albidi. *Spathae* convolutae, obversae, lanceolatae, nervosae, glabrae exterior tubo paulo longior, corollam fere adaequans; inferior paulo brevior, longitudine circiter tubi. *Corolla* albida, carinis extus stria duplici purpurea; laciniis intus purpureo-striatis.

10. G. (*tenellus.*) corollâ curvâ luteâ; spathis striatis tubum aequantibus; folio lineari bisulco longiori. Gladiolus *tristis* f. et h. *luteus.* Diss. de Gladiolo p. 12. Gladiolus *tenellus. Jacq.* Pl. Rar. vol. 2. fasc. 10. tab. 6.

Bulbus carnosus, tunicatus, magnitudine pisi. *Scapus* simplex, filiformis, erectus, apice flexuosus, glaber, subpedalis. *Folia* radicalia duo, vaginantia, parum apice ultimo acuta, glabra, vaginis multisulcata, a medio ad apicem bisulca nervis glabris; infimum scapo longius, alterum paulo brevius. Caulinum in medio, adhuc brevius, simile, sed magis attenuatum. *Flores*, solitarius vel bini, erecti, lutescentes. *Spathae* obversae, convolutae, lanceolatae, glabrae, multistriatae nervis elevatis flavescentibus, corollâ breviores, tubum subaequantes. *Corollae* magis erectae, campanulatae, tubo parum curvato: laciniis tribus iuferioribus purpureo-striatis.

11. G. (*elongatus.*) corollâ virescente; spathis laevibus longitudine tubi; foliis quatuor linearibus bisulcis. Gladiolus *tristis* e. Diss. de Gladiolo. p. 12. Gladiolus *tristis*, *Jacq.* Rar. 2. fasc. 10. t. 7.

Scapus teres, simplex, erectus, superne flexuosus, bipedalis vel paulo ultra. *Folia* radicalia quatuor, inferne vaginantia, glabra, bisulca superne, inferne sexsulca, scapum aequantia. Supra medium scapi foliola unum vel duo spathaeformia, lancea, acuminata, laevia, glabra, subpollicaria. *Flores* alterni, erecti, septem vel octo. *Spathae* lanceolatae, vix tubo longiores. *Corolla* parva, semipollicaris.

12. G. (*inflatus.*) corollâ campanulatâ violaceâ; spathis ovatis nervosis tubum aequantibus; folio lineari bisulco. Gladiolus *tristis.* m. n. Diss. de Gladiolo p. 12.

Scapus simplex, filiformis, erectus, apice flexuosus, glaber, subpedalis. *Folia* radicalia duo, basi latiora, vaginantia, multistriata; apice linearia, parum attenuata; bisulca, glabra, infimum vix scapo longius, alterum brevius. Caulinum simile, sesquipollicare. *Flores* bini vel tres, usque quatuor, subsecundi, curvi, inflato-campanulati, tubo brevi curvo, incarnati vel purpurei, sesquipollicares. *Spathae* valde latae, convolutae, acutae, glabrae, laeves.

13. G. (*hastatus.*) corollâ campanulatâ maculâ hastatâ; spathis laevibus tubo longioribus, foliis linearibus bisulcis.

Gladiolus *tristis*. o. Diss. de Gladiolo p. 13. Gladiolus *angustus*. *Jacq.* Rar. 2. fasc. 9. t. 5.

Scapus simplex, erectus, apice subflexuosus, glaber, pedalis, basi vaginatus vagina duplici, striatâ, glabrâ. *Folia* radicalia duo, glabra, basi latiora striis pluribus, apice linearia bisulca, scapo paulo breviora. Caulinum versus apicem simile bipollicare. *Flores* circiter tres. *Spathae* convolutae, ovatae, obtusae, glabrae, nervosae, longitudine dimidiâ corollae. *Corolla* albo incarnata, laciniae ovatae, inferior intermedia maculâ hastatâ. Tubus brevissimus.

14. G. (*gracilis.*) corolla curvâ coeruleâ; spathis longitudine tubi; foliis linearibus multistriatis. Gladiolus *tristis*: g. punctatus. Diss. de Gladiolo p. 12. Gladiolus *gracilis*. *Jacq.* Rar. 2. fasc. 14. t. 2.

Crescit in collibus infra Taffelberg extra urbem satis copiose.

Scapus simplex, filiformis, apice flexuosus, erectus, glaber, pedalis usque bipedalis. *Folia* praeter vaginas duas, radicalia duo, apice acuta et attenuata, glabra, infimum scapo paulo brevius, alternum adhuc brevius. Caulinum simile, acutius, usque tripollicare. *Flores* 1 usque 4, cernui, subsecundi. *Spathae* ovato-oblongae, acutae, glabrae, laeves. *Corolla* caerulescens: infimae tres laciniae medio albae lineis punctisque caeruleis.

15. G. (*punctatus.*) corollis curvis; spathis laevibus tubo longioribus; folio ensiformi tricostato. Gladiolus *tristis*. q. Diss. de Gladiolo p. 13. Gladiolus *permeabilis*. *La Roche* Diss. p. 27. t. 2. Gladiolus *punctatus*. *Jacq.* Rar. 2. f. 13. t. 10.

Crescit in insula Paarden-eyland juxta portum. Floret Junio.

Scapus simplex, erectus, teres, inferne vaginatus vaginis glabris, striatis, purpureo-maculatis, tripedalis. *Folia* radicalia duo, vaginantia vaginis multistriatis, glabris; apice laevia, marginata margine et costâ mediâ flavescentibus, plana, attenuata, scapum subaequantia. Caulinum supra medium, multistriatum, scapo brevius, spithamaeum. *Flores* plures, usque novem, secundi, cernui, pollicares. *Spathae* lanceolato-oblongae, obtusiusculae, glabrae. *Corolla* tristis, subcampanulata tubo sensim ampliato, vix lineam longo. Limbus inflatus, extus albus lineâ mediâ purpureâ: lacinia suprema latior, intus alba; laterales superiores albae, apice extus intusque purpurascentes, intus medio flavae striis purpureis; infima alba, apice utrinque purpurascens. *Singularis* est haec species folio infimo crassiusculo, lineari, intra marginem utrinque sulco profundo exarato; reliqua folia spathae similia, convoluta, spathis longiora.

16. G. (*cordatus.*) corollâ curvâ incarnatâ maculâ cordatâ; spathis laevibus tubo brevioribus; foliis ensiformibus nervosis. Gladiolus *tristis*. p. Diss. de Gladiolo p. 13.

Scapus simplex, erectus, apice flexuosus, teres glaber, pedalis. *Folia* plura usque 4, vaginantia, plana apice attenuata,

marginata costis tribus, quarum media major, flavescentibus, glabra; infimum scapo longius, reliqua sensim breviora. *Flores* 1, 2 usque 5, alterni, campanulati, cernui, bipollicares. *Spathae* oblongae, acutae, nervosae, glabrae, tubo paulo breviores, subpollicares. *Corolla* albido-incarnata, laciniis infimis maculâ cordatâ, purpureâ. Tubus curvus, sensim ampliatus, sesquipollicaris.

17. G. (*grandis.*) corollâ curvâ purpureo-striatâ, tubo simplici ampliato; folio ensiformi-attenuato multistriato. Gladiolus *tristis.* c. grandis. Diss. de Gladiolo. p. 12.

Scapus simplex, teres, laevis, glaber, flexuoso-erectus, pedalis vel ultra. *Folium* radicale unicum, apice valde attenuatum, multinervosum, glabrum, erectum, scapum aequans; caulina sub floribus bracteiformia, circiter duo, obversa, convoluta, ensiformia, attenuata, laevia, glabra, corollam subaequantia. *Flores* bini, magni, cernui. *Spatha* intra bracteam, similis, sed brevior. *Corollae* tubus curvatus, sensim ampliatus in limbum campanulatum albido-flavescentem: laciniae tres superiores intus lineâ duplici purpureâ, extus purpureo-multistriatae; inferiores intus sulco medio flavescente, apice purpurascente.

18. G. (*laccatus.*) corollis curvis incarnatis; spathis laevibus; foliis ensiformibus nervosis bisulcis. Gladiolus *tristis.* l. Diss. de Gladiolo p. 12. Gladiolus *laccatus. Jacq.* Rar. 2. fasc. 13. t. 3.

Scapus simplex, erectus, apice flexuosus, glaber, pedalis, inferne vaginatus vaginis duabus vel pluribus hirsutis, obtusis. *Folia* radicalia unum vel duo, vaginantia, attenuata, striata nervis elevatis 5 vel 7 lutescentibus, villosa; infimum scapo brevius, alterum adhuc brevius. Caulinum supra medium simile, pollicare. *Flores* bini, usque quatuor, incarnati tubo curvo, immaculati, pollicares. *Spathae* lanceae, acutae, nervosae, glabrae, vix tubo longiores.

19. G. (*dichotomus.*) folio lineari longiori; scapo bis bifido, quadrifloro.

Scapus teres, glaber, erectus, pedalis. *Folium* radicale, lineari-filiforme, apice setaceo, glabrum, scapo longius, erectum. *Flores* quatuor, terminales in apice scapi bis dichotomi. *Bracteae* lineari-setaceae.

20. G. (*montanus.*) corollae ringentis tubo spathae obtusae aequali; foliis ellipticis nervosis. Gladiolus *montanus.* Dissert. de Gladiolo. p. 8. c. figura. Prod. p. 8. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 66. Suppl. Syst. p. 95.

Crescit in summitate montis tabularis prope frontem. Floret Februario, Martio, Aprili.

Scapus teres, flexuoso erectus, virescens, glaber, pedalis. *Folia* integra, trinervia, glabra, palmaria usque spithamaea. *Florum* tubus spathis brevior, corollis spathisque obtusis.

Corollae limbus ringenti-bilabiatus; labium superius tripartitum maculâ purpureâ; inferius profundius tripartitum.

21. G. (*flexuosus.*) corollae ringentis tubo spathâ acutâ longiore, scapo flexuoso. Gladiolus *flexuosus. Linn.* Suppl. Syst. p. 96. Syst. Veg. XIV. p. 87. Diss. nostr. de Gladiolo. p. 9. cum figura. Prod. p. 8.

Floret Februario et sequentibus mensibus.

Scapus teres, erectus, glaber, pedalis. *Folia* nulla sub florescentia. *Spathae* oblongo-lanceolatae, acuminatae, glabrae, tubo corollae breviores, pollicares. *Florum* spica ovata, 4-5 flora. *Corolla* albido-incarnata: tubus spatha duplo longior; limbus ringens.

22. G. (*recurvus.*) corollae limbo reflexo; spicâ secundâ; foliis linearibus. Gladiolus *recurvus. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 86. Mantiss. p. 28. Dissert. N. de Gladiolo. p. 9. Prod. p. 8.

Crescit in campis arenosis extra Cap. Floret Majo, Junio, Julio, Augusto.

Scapus striatus, foliis fere totus vaginatus, curvatus, palmaris. *Folia* tria vel quatuor, vaginantia, alternantia, striata, glabra, scapo breviora. *Flores* tres vel quatuor, secundi, cernui, extus rubri, intus albi, limbi laciniis reflexis. *Corollae* tubus filiformis, virescens, spathâ brevior: limbi laciniae lanceolatae, concavae, patenti-reflexae.

Obs. 1. Ixiae *falcatae* nimis affinis. 2. Vesperi florens odorem spargit caryophyllorum debilem.

23. G. (*falcatus.*) corollae limbo patenti; folio lanceolato falcato. Gladiolus *falcatus. Linn.* Suppl. Syst. p. 95. Syst. Veg. XIV. p. 87. Dissert. Nostr. de Gladiolo. p. 10. cum figura. Prod. p 8.

Crescit in interioribus Capitis bonae spei regionibus. Floret Octobri, Novembri, Decembri.

Scapus compressus, striatus, glaber, flexuosus, palmaris. *Folium* unum vel duo, obverse amplexicaule, ovato-lanceolatum, obtusiusculum, integrum, striatum, glabrum, pollicare vel paulo ultra. Folium spathaceum in medio scapo. *Spathae* virides, obtusae, tubo multo breviores. *Corolla* caerulea.

Obs. Ixiae *excisae* affinis.

24. G. (*crispus.*) corollae erectae limbo campanulato; floribus secundis; foliis crispis. Prod. p. 8. Gladiolus *crispus. Linn.* Suppl. Syst. p. 94. Syst. Veg. XIV. p. 86. Dissertr. nost. de Gladiolo. p. 10. c. figura. *Jacq.* Rar. 2. f. 14. t. 3.

Crescit in Montibus Roode Sand et Piketberg. Floret Octobri, Novembri, Decembri.

Scapus teres, flexuoso-erectus, glaber, spithamaeus usque pedalis. *Folia* circiter quatuor, ensiformia, glabra, scapo bre-

viora. *Flores* quatuor, usque novem, spathis brevissimis obtusis. *Corollae* albo-incarnatae. *Tubus* sesquipollicaris.

25. G. (*equitans.*) scapo compresso; corollâ campanulatâ tubo brevissimo; foliis ensiformibus marginatis multinervibus.

Scapus simplex, erectus, flexuosus, pedalis. *Folia* circiter quatuor, equitantia, vaginantia, multinervosa nervis et margine crasso flavescentibus, glabra, scapo breviora; infimum latius latitudine plus quam pollicari, subfalcatum, patens; alterum erectum; 3 et 4 tenuiora et breviora. *Flores* alterni, purpurei. *Spathae* oblongae, convolutae, acutae, pallidae, margine et carinâ purpureis, laeves, glabrae, corollâ longiores.

26. G. (*spicatus.*) corollis erectis; spicâ imbricatâ distichâ; bracteis lanceolatis; foliis linearibus. Gladiolus *spicatus. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 86. Spec. Pl. pag. 53. Diss. nostr. de Gladiolo. p. 15. Prod. p. 8. Ixia *alopecuroidea. Linn.* Suppl. Syst. p. 92.

Crescit in summis montibus Hottentots Hollandsberg. Floret Decembri, Januario.

Scapus simplex, teres, vaginatus, erectus, spithamaeus. *Folia* quatuor, alternantia, longe vaginantia, glabra, inferiora sensim breviora. *Flores* distichi, imbricati, caerulei, circiter duodecim parium in spica pollicari. *Spathae* lanceolatae, acutae. *Differt* a G. *alopecuroide* floribus majoribus; spicâ breviori, sed latiori ovatâ; scapo simplici; a G. *triticeo*, foliis latioribus et spathis acutis.

27. G. (*triticeus.*) corollis erectis, spicâ imbricatâ distichâ, bracteis truncatis, foliis linearibus.

Omnino similis *G. spicato*, sed in hoc bracteae truncatae, et folia lineari-filiformia.

** *polystachyi, scapo ramoso;*

28. G. (*alopecuroides.*) spicâ imbricatâ distichâ; foliis ensiformibus nervosis. Gladiolus *alopecuroides. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 86. Spec. Pl. p. 54. Diss. nostr. de Gladiolo. p. 15. Prod. p. 8. Phalangium *spicatum. Hout.* Nat. Hist. 2. D. 12 St. p. 115. Tab. 80 fig. 1.

Crescit prope Cap, Svellendam, in Carro et saepe in viis. Floret Octobri et sequentibus mensibus.

Radix plurimis bulbillis constans. *Scapus* foliis vaginatus, teres, flexuoso-erectus, apice polystachyus; spicis alternis, virgatis; spithamaeus. *Folia* duo vel tria, alternatim longe vaginantia, linearia, striata, glabra, scapo breviora, superioribus sensim brevioribus. *Flores* imbricati, distichi, minimi. *Spicae* lineares, erectae, digitales. *Spathae* margine membranaceae, albae. *Corollae* tubus vix spathis longior. *Variat* scapo simplici et ramoso; corollis albis et caeruleis.

29. G. (*alatus.*) corollae laciniis lateralibus latissimis; foliis ensiformibus multistriatis brevioribus. Gladiolus *ala-*

tus. Linn. Spec. Pl. p. 53. Syst. Veg. XIV. p. 86. Dissert. nostr. de Gladiolo. p. 16. 23. Prod. p. 8.

Crescit in Groene Kloof, Svartlandiae collibus arenosis, Bokeveld, alibique. Floret Augusto, Septembri, Octobri.

Scapus compressus, flexuosus, erectus, striatus, simplex et ramosus, palmaris usque pedalis. *Folia* alternatim vaginantia, striata, glabra, superioribus sensim brevioribus. *Flores* alterni vel subsecundi, magni, tres usque septem. *Rachis* flexuosa, torta. *Spathae* tubo corollae longiores, integrae, virides. *Laciniae* duae limbi corollae multo latiores.

Obs. Ob magnos et speciosos flores inter pulcherrimos merito numeratur.

30. G. (*speciosus.*) corollae laciniis lateralibus latissimis; foliis lineari-ensiformibus quinquestriatis longioribus. Gladiolus *alatus. Jacq.* Rar. 2. f. 13. t. 8.

Planta spithamaea, glabra. *Folium* radicale erectum, lineari-ensiforme, quinque-nervosum, scapo duplo longius; caulinum brevius, septem-nervosum. *Corolla* incarnata, ut in *alato.*

31. G. (*virescens.*) corollae laciniis lateralibus latissimis striatis; foliis linearibus bisulcis longioribus.

Similis prioribus, sed scapus ramosus vel simplex, flexuosus, spithamaeus. *Folium* radicale scapo duplo longius, lineare, apice setaceo, bisulcum, glabrum; caulina breviora. *Flores* spicati, ringentes, tristes seu venis viridibus striati, petalis lateralibus latioribus.

32. G. (*bicolor.*) corollâ ringente; spathis lacero-aristatis; foliis ensiformibus glabris. Gladiolus *bicolor.* Diss. nostr. de Cladiolo. p. 16. c. figura, Prod. p. 8. *Jacq.* Rar. 2. fasc. 13. t. 6.

Crescit in collibus Groene Kloof. Floret Augusto, Septembri, Octobri.

Scapus subramosus, angulatus, striatus, sulco utrinque profundo exaratus, basi foliis vaginatus, glaber, flexuoso-erectus, spithamaeus. *Folia* alternatim vaginantia, obversa, obtusa cum acumine, integra, striata, scapo duplo breviora. *Spicae* duae; altera uniflora, tenuior; altera triflora, crassior, longitudine dimidiâ scapi. *Rachis* angulata, flexuosa, glabra. *Spatha* membranacea, apice lacerato-partita laciniis acutis, venosa, basi grisea, apice ferruginea. *Corollae* tubus filiformis, sensim ampliatus, superne inflatus, spathâ duplo longior, flavus. Limbi laciniae flavae; suprema major, concava, ovata, obtusa, pallide flava, apice caerulea: laterales inferiores lanceolatae, convolutae, flavae, ultimo apice caeruleo: infima brevior, parum a reliquis separata, extra laterales collocata: Omnes basi lineâ duplici purpureâ in ore tubi.

Obs. Affinis Ixiae *bulbiferae* respectu spatharum.

33. G. (*anceps.*) scapo ancipiti; spathis crispis. Gladiolus *anceps. Linn.* Suppl. Syst. p. 94. Syst. Veg. XIV. p. 86.

Dissert. nostr. de Gladiolo. p. 17. c. figura. Prod. p. 8. Ixia *Fabricii*. *La Roche* Dissert. p. 18.

Crescit in Svartland et regionibus Saldanae baij. Floret Augusto, Septembri, Octobri.

Scapus ramosus, dentatus, spithamaeus, glaber. Latera acuta et dentes purpurascentes. Rami simplices, alterni, ancipites, dentati. *Folia* semiamplexicaulia, obversa, curvata, ensiformia, nervoso-striata. Folia spathacea latere inferiore crispato-dentata, ramis breviora, glabra, digitalia. *Flores* alterni. *Spatha* exterior fere duplo major, obtusa, apice purpurea, compressa, striata, margine crispo dentata ut in foliis, unguicularis. *Corollae* tubus filiformis, sensim ampliatus, spathâ multo longior, pallide caeruleus; limbi laciniae caerulescentes.

34. G. (*bracteatus.*) scapo ancipiti; corollae laciniis ovatis; spathis ovatis imbricatis. Gladiolus *anceps.* β. Diss. de Gladiolo. p. 18.

Scapus compressus, ramosus, erectus, glaber, spithamaeus. *Rami* alterni, similes, breves. *Folia* sub ramis, sessilia, convoluta, ensiformia, obtusa, multi-nervosa, glabra, patentia vel subrecurvato-falcata, digitalia. *Flores* imbricati, plurimi, ante anthesin tecti spathis. *Spathae* rhombeae, acutae, convolutae, integrae, glabrae, unguiculares. *Corolla* alba. Tubus filiformis, erectus, apice geniculatus, dein ampliatus in limbum nutantem: laciniae obtusae.

35. G. (*Fabricii.*) scapo ancipiti; laciniis corollae filiformibus. Ixia *Fabricii*. *La Roche* Diss. p. 18. *)

Rami compressi, divaricati, erecti, virgati. *Folia* radicalia circiter tria, ensiformia, acuta, obversa, vaginantia, multinervosa, glabra; infimum magis ensiforme, longius, scapo paulo brevius; alterum digitale, tertium brevius. Folia sub ramis similia, angustiora, unguicularia, obversa carinâ laevi, integrâ. *Flores* in ramis alterni, erecti, plures, albi. *Spathae* ovatae, obtusiusculae, glabrae, lineam longae. *Tubus* filiformis, pollicaris. Limbi laciniae lineares.

36. G. (*Sparrmanni*).

Habitat in Cap b. spei. Fr. Sparrmann, peregrinator illustris, qui, postquam gradum austr. latid. 71. vidisset, Africam australem pervagavit, Botanicam et Zoologiam hujus regionis illustravit.

Radix bulboso-tuberosa. *Scapus* teres, ramosus, glaber, flexuoso-erectus, inferne foliis vaginatus, palmaris usque pedalis. *Rami* alterni, filiformes, cauli similes, divaricato-patentes, palmares. *Folia* equitantia, elliptico-ensiformia, subfalcata, erecta, nervosa, integra, sensim attenuata, glabra, inaequalia, nervosa, scapo paulo breviora. *Flores* in apice scapi et ramorum, sessiles, secundi, erecti, plures vel pauciores, 2 usque 6. *Rhachis* deflexa. *Corollae* albo-caerulescentes, pollicares. *Tubus* filiformis. *Limbus* regularis, 6-partitus, campanu-

*) Synonymon hoece supra ad Gl. *ancipitem* laudabatur. *Editor.*

latus. *Spathae* brevissimae, obtusae. GLADIOLO *junceo* valde similis, sed major, et satis distinctus foliis ensiformibus.*)

37. G. (*junceus.*) floribus secundis, foliis lanceolatis. GLADIOLUS *junceus. Linn.* Suppl. p. 94. Syst. Veg. XIV. p. 86. Diss. nostr. de Gladiolo. p. 18. Prod. p. 8. GLADIOLUS *floribundus Jacq.* Rar. 2. f. 13.

Crescit in Lange Kloof. Floret Octobri, Novembri, Decembri.

Scapus saepius ramosus, flexuosus, erectus, palmaris. Rami teretes, striati, divaricati. *Folia* 4-6, ovato-oblonga, subundulata, glabra, scapo breviora. *Flores* 4-7, erecti, caerulescentes. *Bracteae* brevissimae, tubo corollae multo breviores.

38. G. (*laxus.*) polystachyus, floribus terminalibus subsolitariis; foliis lineari-ensiformibus, scapum aequantibus.

Scapus filiformis, uti tota planta glaber, debilis, flexuoso-erectus, pedalis. *Rami* divaricati, scapo similes. *Folia* elliptica, sive lineari-ensiformia, nervosa. *Flores* terminales solitarii, rarius duo. *Tubus* capillaris, rectus, pollicaris. *Limbi* laciniae lineares. *Capsula* subglobosa, glabra, trilocularis. Similis GL. *Sparrmanni* foliis, *Fabricii* flore.

39. G. (*setifolius.*) foliis lineari-setaceis. GLADIOLUS *setifolius. Linn.* Suppl. Syst. p. 96. Syst. Veg. XIV. p. 87. Dissert. nostr. de Gladiolo. p. 18. Prod. p. 8.

Crescit in campis sabulosis. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Scapus polystachyus, rarissime simplex, flexuoso-erectus, glaber, palmaris: ramis teretibus, erectis. *Folia* circiter tria, sensim breviora; infimum longissimum, scapum aequans. *Flores* alterni, albi, ringentes, tubo spathis vix longiore.

40. G. (*marginatus.*) spicâ longissimâ; floribus alternis cernuis; foliis ensiformibus multinervibus marginatis. GLADIOLUS *marginatus. Linn.* Suppl. p. 95. Syst. Veg. XIV. p. 86. Diss. nostr. de Gladiolo. p. 18. Prod. p. 8. ANTHOLYZA *caryophyllacea. Hout.* Nat. Hist. 2. D. 12. T. 79. f. 3. G. *merianus. Jacq.* Rar. 2. f. 13. t. 2.

Crescit in summo Taffelberg et aliis altis montibus, in collibus montium a Cap usque ad Houtniquas, locis graminosis et arenosis, vulgatissimus. Floret Decembri, Januario.

Scapus simplex et polystachyus, sublignosus, foliis vaginatus, teres, glaber, strictus, crassitie fere digiti, pedalis usque quadripedalis. *Folia* vaginantia, scapo breviora, semipollicem lata, in medio et margine venâ crassâ flavescente marginata, venisque elevatis minoribus flavescentibus lineata, glabra, erecta; inferiora longiora, pedalia et ultra; superiora bre-

*) Diagnosis nulla data ab ill. auctore. Videtur distinguendus: „floribus secundis; foliis ensiformibus."

viora, adpressa, spithamaea. *Flores* magni. *Spica* floribus alternis, digitalis usque pedalis, rhachi flexuosâ.

Variat: 1. floribus albis. 2. fl. dilute rubris. 3. fl. sanguineis. 4. fl. purpureis. *Distinguitur* facile a ceteris: scapo longo, crasso, erecto, stricto; spicâ longissimâ, subramosâ, pedali et ultra; foliis margine incrassatis.

41. G. (*glumaceus.*) foliis ensiformibus multinervibus marginatis; tubo filiformi spathis breviore. Gladiolus *marginatus.* ξ. Diss. de Gladiolo. p. 19.

Scapus teres, erectus, apice ramosus, foliis vaginatus, bipedalis. *Folia* duo vel tria, vaginantia, attenuata, glabra, nervis crassis flavescentibus, scapo breviora. *Spica* florum elongata, spithamaea et ultra; laterales breves. *Spathae* membranaceae, convolutae, lanceae, acuminatae, tubo longiores, unguiculares. *Corolla* purpurascenti-caeruleâ, campanulatâ, tubo brevissimo.

42. G. (*augustus.*) floribus secundis; spathis acutis; foliis ensiformibus. Gladiolus *Augustus. Breyn.* Icon. tab. 7. f. 2? *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 86. Spec. Plant. p. 53. Dissert. nostr. de Gladiolo. p. 19. Prod. p. 8. Gladiolus *liliaceus*? *Hout.* Nat. Hist. 2. D. 12 st. p. 55. t. 79. f. 2.

Crescit in Campis sterilissimis Carro. Floret Octobri, Novembri, Decembri.

Scapus simplex vel subramosus, teres, vaginatus, elevato-lineatus, glaber, flexuoso-erectus, pedalis. *Folia* vaginantia vaginis longis, elevato-lineata lineis albis, integra, glabra, scapo breviora, superiora sensim minora. *Flores* adscendentes; spicâ longâ simplici vel duabus palmaribus. *Rhachis* angulata, flexuosa, torta, glabra. *Spathae* virides, longitudine tubi corollae, ramis breviores, pollicares. *Limbi* corollae laciniae saepius undulatae.

43. G. (*undulatus.*) foliis ensiformibus; laciniis limbi undulatis; tubo spathis longiori. Gladiolus *undulatus Linn.* Syst. Veg. XIII. p. 77. Mant. p. 27. *Jacq.* Rar. 2. f. 7. t. 6.

Scapus simplex rarius, saepius superne polystachyus, erectus, flexuosus, pedalis usque bipedalis. *Folia* circiter duo, inferne vaginantia, glabra, multinervia, apice attenuata, scapo breviora. *Flores* bini usque octo, secundi. *Spathae* convolutae, oblongo-lanceolatae, acutae, glabrae, laeves, pollicares, tubo breviores. *Corolla* tubulosa; tubus filiformis, rectus, apice ampliatus, bi- vel tripollicaris; Limbus campanulatus laciniis lineari-caudatis. Differt a Gl. *augusto:* laciniis corollae caudatis, undulatis.

44. G. (*longiflorus.*) tubo corollae longissimo; spathis obtusis foliisque linearibus glabris. Gladiolus *longiflorus. Linn.* Suppl. Syst. p. 96. Syst. Veget. XIV. p. 87. Diss. nostr. de Gladiolo. p. 19. Prod. p. 8. Ixia *paniculata. La Roche*

Diss. p. 26. tab. 1. IXIA *longiflora*. *Bergii* Plant. Capens. p. 7.

Crescit in Lange Kloof, Svartlandiae arenosis et in Helena Bay. Floret cum priore.

Scapus teres, simplex et polystachyus, erectus, glaber, pedalis et ultra. *Folia* 3-4, nervosa, scapo breviora. *Flores* alterni, plurimi, approximati, coerulei. *Bracteae* membranaceae, striatae, brevissimae; obtusae. *Tubus* corollae pollicaris, usque bipollicaris, apice ampliatus, curvus, erectus.

Obs. Facies IXIAE, sed tubus curvus et situs limbi ut in GLADIOLIS.

45. G. (*ixioides.*) tubo corollae longissimo; spathis laceris; foliis ensiformibus multinervibus. GLADIOLUS *longiflorus*. *Jacq.* Rar. 2. f. 14. t. 4 et 5.

Similis valde G. *longifloro;* sed *Folia* multo latiora, breviora. *Tubus* corollae rectior, palmaris, et limbus minus campanulatus. *Facies* potius IXIAE.

46. G. (*spathaceus.*) spathis membranaceis aristatis glabris; foliis ensiformibus plicatis hirsutis. GLADIOLUS *spathaceus*. *Linn.* Suppl. p. 96. Syst. Veg. XIV. p. 87. Dissert. nostr. de Gladiolo. p. 22. Prod. p. 9.

Crescit in Bockland et siccis regionibus Hantum. Floret Octobri et sequentibus mensibus.

Scapus vaginatus, superne polystachyus, spithamaeus. *Folia* nervosa, villosa, scapi longitudine. *Flores* albidi, tubo corollae spathis multo longiore. *Spicae* imbricatae, plurimae, digitales. *Spathae* saepe lacerae.

Obs. Similis GLADIOLO *tubiflorо* et *plicato;* sed differt spathis.

47. G. (*gramineus.*) scapo laxo; spicis capillaribus flexuosis; foliis ensiformibus glabris. GLADIOLUS *gramineus*. *Linn.* Suppl. Syst. p. 95. Syst. Veg. XIV. p. 86. Dissert. nostr. de Gladiolo. p. 22. Prod. p. 9. *Jacq.* Rar. 2. f. 7. t. 8.

Crescit prope Cap, in collibus Groene Kloof et juxta Bergrivier. Floret ab Octobri ad finem usque anni.

Scapus filiformis, subcompressus, sulcatus, flexuosus, scandens, glaber, polystachyus, longissimus. *Folia* 3-4, tenuia, scapo breviora. *Flores* in ramis capillaribus flexuosis sparsi, minimi, albi. *Spatha* obtusa cum acumine carinato, virescens, margine membranaceo albo. *Corolla* subcampanulata: Tubus brevissimus, virescens, spathis brevior; limbi laciniae ovatae, aristatae, concavae, subaequales: suprema paulo brevior extra laterales superiores: infima paulo angustior intra laterales inferiores. Omnes carinâ extus virescente, intus lineâ purpureâ, semiunguiculares. Arista lineam longa, caerulescens. *Corolla* decidua situ laciniarum refert GLADIOLUM, licet tubus brevissimus. *Capsula* obcordata, retusa.

Obs. Primo intuitu gramen diceres, corolla tamen GLADIOLI.

48. G. (*tubiflorus.*) tubo corollae longissimo; spathis fo-

liisque ellipticis plicatis hirsutis. Gladiolus *tubiflorus. Linn.* Suppl. p. 96. Syst. Veg. XIV. p. 87. Dissert. nostr. p. 20. cum figura. Prod. p. 9. *Jacq.* Rar. 2. f. 9. t. 10.

Crescit in Svartland. Floret Augusto, Septembri, Octobri.

Radix profunda. *Scapus* brevissimus, saepe vix pollicaris, foliis involutus, ramosus, hirtus. *Folia* plurima, circiter 6 et ultra, elliptica seu lineari-ensiformia et utrinque attenuata, nervosa, subplicata, pilosa, erecta, scapo longiora. *Bracteae* oblongae, hirsutae, apice ferrugineae, pollicares. *Flores* alterni, incarnati. *Tubus* corollae filiformis, apice ampliatus, curvus, spathis multoties longior.

Obs. 1. Facies Ixiae, sed limbus corollae Gladioli. 2. Affinis Antholyzis villositate et foliis.

49. G. (*plicatus.*) floribus secundis; spathis foliisque ensiformibus plicatis hirsutis. Ixia *flabellifolia. La Roche* Dissert. p. 24. Ixia *iridifolia.* Ibid. p. 24. Gladiolus *plicatus. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 86. Spec. Plant p. 53. Dissert. nostr. de Gladiolo. p. 20. Prod. p. 9. *Jacq.* Rar. 2. f. 9. t. 7. Ixia *villosa. Jacq.* Rar. 2. f. 7. t. 11. Ixia *rubrocyanea. Jacq.* Rar. 2. f. 7. t. 12.

Europaeis Africae promontorium australe inhabitantibus: Babianer. Crescit in collibus infra latus occidentale Leuvebild juxta littus maris, prope urbem Cap, in Svartland, Roode Sand et alibi omnium vulgatissimus. Floret a Majo usque in Octobris mensem.

Bulbus magnitudine avellanae, fibrosus fibris longis, parum profunde insidens. *Scapus* teres, villosus, simplex vel ramosus. *Rami* alterni, villosi, brevissimi, inferiores longiores. *Folia* circiter sena, margine obverso vaginantia, obtusa, crassiuscula, nervosa nervis a latere interiori productis, villosa, mollia, erecta, apice obliqua, scapo paulo longiora, digitalia. *Flores* erecti, alterni vel saepius secundi. *Spathae* villosae in rhachi flexuosa. *Corolla* monopetala, subcampanulata. Tubus spathis longior. Limbus bilabiato-ringens: laciniae tres inferiores magis connexae, suprema profundius divisa. Lacinia suprema extra laterales proximas curvata, latior; laterales superiores paulo augustiores, obtusae cum acumine; laterales inferiores reliquis paulo breviores vel subaequales obtusae; infima extra laterales proximas, obtusa cum acumine; omnes laciniae, praesertim inferne, margine crispae. *Antherae* dorso convexae, suleatae, basi fissae; apice obtusae, subbifidae, caeruleae vel albidae.

Obs. 1. *Variat* colore violaceo, violaceo et albido, purpureo, corollisque totis luteis; antheris violaceis et corollis albidis; floribus paucis et plurimis, alternis, secundis; scapis brevissimis et altioribus, simplicibus et ramosis, erectis et divaricatis. 2. *Folia* flabelliformia saepe finduntur apice, ut in Areca. 3. *Affinis* Antholyzis florescentiâ, Wachendorfiae foliis, Ixiae corollis. Usus. 1. Bulbi edules Hominibus, Simiis, Gliribus, uti plures e Gladioli genere. Tunicis liberati eduntur vel

crudes vel cocti, sapidi et nutrientes. 2. Colitur in hortis magnatum, ob florum varietates et speciosas formas.

5o. G. (*ringens.*) foliis plicatis; corollâ ringente; spathis hirsutis. GLADIOLUS *plicatus. α. ε. ξ.* GLADIOLUS *Sulphureus. Jacq.* Rar. 2. fasc. 9. t. 8.

Bulbus tunicatus, alte insidens, magnitudine avellanae. *Scapus* brevior vel longior, palmaris usque subpedalis, flexuosus, superne villosus, compressus, raro simplex, saepissime polystachyus. *Folia* obversa, subpetiolata, ensiformia, plicato-nervosa, hirsuta, digitalia usque spithamaea, scapum subaequantia. *Corollae* caeruleae, plus minus albidae vel saturatiores, vel flavescentes, semper laciniis limbi divaricato-ringentibus. *Spathae* ovatae, convolutae, apice membraneae et obtusae, totae valde hirsutae, longitudine tubi. *Differt a* G. *plicato* corollae tubo filiformi et limbo campanulato.

51. G (*secundus.*) foliis plicatis hirsutis; corollâ ringente; spathis glabris.

Scapus profunde descendens, flexuosus, polystachyus, teres, glaber, spithamaeus. *Folia* obversa, subpetiolata, plicato-multinervia, plura usque sex, scapo multo breviora. *Flores* in ramis flexuosis plurimi, usque 15, secundi, caerulei. *Spathae* membranaceae, striatae, apice lacerae, brunneae, vix semiunguiculares. *Corollae* tubus filiformis, vix spathis longior, ampliatus in limbum ringentem.

XXVII. IXIA.

Cor. tubulosa: tubo filiformi recto, limbo 6-partito, campanulato, aequali. Stigmata 3, simplicia.

1. I. (*minuta.*) scapis unifloris brevioribus; foliis laevibus. IXIA *minuta. Linn.* Suppl. p. 92. Syst. Veg. p. 83. Dissert. nostr. de Ixia. p. 6. cum figura. Prod. p. 9.

Crescit prope Cap in collibus rarius, etiam extra Zoutrivier locis arenosis inundatis. Floret Majo et sequentibus mensibus.

Bulbus globosus, magnitudine pisi. *Folia* vaginâ inclusa, linearia, supra concava, subtus convexa, glabra, erecta, longitudine scaporum, unum pro singulo scapo. *Scapus* raro unicus, saepius 2-4 vel plures, simplices; teretes, erecti, uniflori, glabri, pallide purpurascentes, bracteati, pollicares. *Bracteae* paulo supra medium duae, oppositae, lineari-filiformes, erectae, lineam vix longae. *Calyx* nullus, nisi bracteae. *Corollae* tubus albus striis purpureis: Limbi laciniae supra concavae, niveae, subtus albae striâ duplici purpureâ, longitudine tubi, seu lineam dimidiam longae. *Capsula* virescens striis purpureis. *Facies* tota HYPOXIDIS *minutae*, ut nisi inspiceres stamina, stigma et bulbum, eandem diceres.

Obs. IXIIS in genere radicem esse bulbosam. *Bulbus* saepe extus a rudimentis foliorum priorum annorum reticulatus, intus solidus. *Florescentia* spicata. *Bulbi* saepe edules.

2. I. (*ra lians.*) foliis filiformibus scapoque striato erecto;

corollâ bicolori. Ixia *bulbocodium*. Diss. de Ixia. p. 6. Nro. 6. 7..

Scapus filiformis, flexuoso-erectus, glaber, palmaris usque spithamaeus, simplex et ramosus. *Folia* alternatim vaginantia, filiformi-linearia, bisulca, glabra; scapi breviora; radicalia longiora. *Vaginae* inflatae, striatae, glabrae. *Flos* terminalis, grandis. *Corolla* limbo ovato apice caeruleo, medio arcu albido, basi purpureâ maculâ saturatiori. *Spathae* glabrae, longitudine tubi. *Var.* corollâ coeruleâ fundo luteo.

3. I. (*crocea.*) foliis filiformibus scapoque striato erecto; corollae limbo oblongo acuto. Ixia *bulbocodium*. Dissert. de Ixia p. 6. Nro. 5.

Media inter *radiantem* et *bulbocodium*, uniflora et biflora. *Scapus* filiformis, striatus, glaber, palmaris. *Folium* radicale filiformi-lineare, bistriatum, vix reflexum, scapo longius; caulina plura, similia, breviora. *Corolla* campanulata, magna, lutea, limbi laciniis oblongis acutis.

4. I. (*bulbocodium.*) foliis linearibus bisulcatis trinervibus reflexis; scapo ramoso; floribus cernuis. Ixia *bulbocodium*. *Linn.* Syst. Veg. XIII. p. 76. XIV. p. 83. Mantis. p. 320. Spec. Pl. p. 51. Diss. nostr. de Ixia p. 6. Prod. p. 9. Ixia *bulbocodium*. *Jacq.* Rar. 2. f. 7. t. 9. Ixia *chloroleuca*. *Jacq.* Rar. 2. f. 15. t. 2. Ixia *quadrangula* et *bulbocodiodes*. *La Roche* Dissert. p. 16, et 19.

Crescit in Leuveberg, in collibus infra Duyvelsberg inter urbem et fortalitium copiose, ut et alibi. Floret Junio, Julio, Augusto, Septembri.

Bulbus ovatus, glaber, subtruncatus, fibrillosus. *Scapus* trigonus, inferne vaginatus, glaber, palmaris, vel spithamaeus. *Folia* acuta, crassiuscula, glabra; infimum longissimum, scapo longius saepe duplo vel ultra, laxum, reflexum; reliqua circiter duo vel tria, longitudine scapi, erecta. *Flores* in scapi ramis terminales, sensim florentes. *Spatha* exterior ovata, viridis; interior lanceolata, acuta, membranacea, capsulam vaginans. *Corollae* tubus brevissimus: limbi laciniae intus flavae striis tribus fuscis, extus flavo-virescentes. *Filamenta* pubescentia. *Stigmata* sex, reflexa. *Differt* a reliquis Ixiis: stigmatibus sex et foliis sulcatis.

Variat. 1. petalis tribus interioribus flavis; tribus exterioribus viridibus. 2. petalis tribus interioribus albo-flavis; tribus exterioribus virescentibus. 3. petalis tribus interioribus caeruleo-albis; tribus exterioribus virescentibus.

5. I. (*reflexa.*) foliis ensiformibus reflexis quinquenervibus; scapo ramoso; floribus erectis. Ixia *bulbocodium*. Diss. nostr. de Ixia p. 6.

Scapus foliis vaginatus, palmaris, usque spithamaeus, in pedunculos plures superne divisus. *Folium* infimum scapo longius, valde falcato-recurvatum; caulina falcata, recurva, bre-

viora. Omnia ensiformia, equitantia quinquenervia et quadrisulcata, glabra.

6. I. (*humilis.*) foliis sulcatis erectis longioribus; floribus secundis; scapo subramoso. Ixia *humilis.* Dissert. nostr. de Ixia. p. 8. Prodr. p. 9. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 84.

Crescit in Piketberg et collibus circum Cap. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Bulbus profunde insidens, glaber, magnitudine avellanae. *Scapus* simplex vel ramosus, filiformis, erectus, palmaris usque spithamaeus. *Folia* duo vel tria, linearia, multisulcata, glabra, scapo longiora. *Flores* subracemoso-spicati, tres usque octo in rachide flexuosa. *Spathae* virides, truncatae.

7. I. (*bicolor.*) foliis ensiformibus multinervibus reflexis; scapo ramoso; corollis luteis basi caeruleis.

Scapus filiformis, flexuoso-erectus, glaber, foliis paulo longior, palmaris vel spithamaeus. *Folia* integra, glabra. *Flores* alterni, unus usque quatuor. *Corollae* limbus totus luteus; tubo apice caeruleo, basi lutescente. *Spathae* glabrae.

8. I. (*pilosa.*) foliis linearibus pilosis brevioribus; floribus alternis. Ixia *pilosa. Linn.* Suppl. p. 92. Syst. Veget. XIV. p. 84. Dissert. nostr. de Ixia p. 8. Prod. p. 9.

Crescit in collibus circum Cap, satis copiose. Floret Junio et insequentibus mensibus.

Bulbus globosus, fibrosus, glaber, magnitudine vix pisi. *Folia* acuminata, subterna, erecta, striata, scapo duplo breviora. *Scapus* simplex, teres, erectus, glaber, multiflorus, superne obscure purpurascens, palmaris et ultra. *Flores* subnutantes. *Corolla* extus rufescens, intus alba. Limbi laciniae concavae; tres interiores albae; tres exteriores intus albae, extus purpureo-virescentes margine albo. *Antherae* lineares, basi bifidae, dorso supra basin insertae, flavae. *Stigmata* erecto-inflexa, hirta, alba. *Capsula* sexsulcata. *Vesperi* ab hora quarta flores odoros aperit horologium hoc Florae capensis; clausi vero pluviam praesagiunt instantem.

9. I. (*hirta.*) foliis ensiformibus hirtis brevioribus; floribus secundis. Ixia *hirta.* Dissert. nostr. de Ixia. p. 9. Prod. p. 9. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 48. Ixia *inflexa. La Roche* Disp. p. 15.

Crescit in arenosis humidis Cap bonae spei. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Scapus simplex, inflexo-erectus, glaber. *Folia* striata, villosa, scapo breviora. *Flores* saturate caerulei. *Spathae* integrae.

Obs. Valde similis *I. secundae*, sed differt foliis valde villosis, pilis albidis.

10. I. (*secunda.*) foliis elliptico-ensiformibus brevioribus; scapo villoso scabro. Ixia *secunda.* Dissert. nostr. de Ixia p. 9. Prod. p. 9. *Bergii* Pl. Capens. p. 6. *La Roche*

Disp. p. 17. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 84. Ixia *flexuosa?* *Linn.* Spec. Plant. p. 51. Ixia *scillaris?* *Linn.* Syst. Veg. XIII. p. 76. Spec. Pl. p. 52.

Incolis: Zydebloem. Crescit in collibus juxta Groene Kloof et Roode Sand, atque in arenosis Svartland. Floret Augusto, Septembri, Octobri.

Bulbus deorsum imbricatus, durus, magnitudine pisi. *Folia* ensiformia, inferne attenuata, glabra, nervosa nervo medio crassiori, erecta, scapo duplo breviora. *Scapus* teres, flexuosus, erectus, raro simplex, saepius ramosus ramis flexuoso patulis, spithamaeus, usque pedalis. *Flores* secundi in rhachi flexuosa, rarius pauci, saepius 4, 5 vel 6, erecti, caerulei *Spathae* basi virides, apice brunneae, integrae. *Variat* scapo simplici et ramoso, paucifloro et multifloro.

Obs. Singularis planta non scapo modo, sed rachi imprimis flexuosis. Digo noscitur ab aliis optime scapo villoso scabro.

11. I. (*monanthos.*) foliis lineari-ellipticis aequalibus; scapo flexuoso ramoso.

Bulbus magnitudine pisi. *Scapus* filiformis, flexuoso-erectus, palmaris vel paulo ultra, uniflorus vel ramosus. *Folia* circiter tria, filiformi-linearia, elliptica, scapum aequantia, erecta, trinervia, glabra. *Flores* caerulei. *Similis* J. *secundae*, sed minor, debilior, foliis augustissimis et flore majore.

12. I. (*crispa.*) foliis linearibus crispis brevioribus; floribus alternis. Ixia *crispa.* *Linn.* Suppl. p. 91. Syst. Veg. XIV. p. 84. Diss. nostr. de Ixia p. 9. cum figura, Prod. p. 9.

Crescit in collibus Roode Sand et juxta Picketberg. Floret Augusto, Septembri, Octobri.

Bulbus ovatus. *Folia* circiter quinque, lineari-lanceolata, acuta, marginibus pulcherrime crispa, glabra, nervo longitudinali crasso, scapo plus duplo breviora. *Scapus* simplex vel ramosus, teres, glaber, flexuosus, erectus, multiflorus, subpedalis. *Flores* remoti. *Spatha* exterior tridentata, nervis totidem striata; interior bidentata nervis duobus. *Corollae* tubus virescens: limbi laciniae caeruleae. *Antherae* extremitate alterâ affixae, inflexae. *Stigmata* reflexo-patentia, apice clavata.

Variat: 1. scapo simplici et ramoso. 2. corollis caeruleis et albis.

13. I. (*cinnamomea.*) foliis lanceolatis crispis brevioribus; floribus alternis. Ixia *cinnamomea.* *Linn.* Suppl. p. 92. Syst. Veg. XIV. p. 84. Diss. nostr. p. 10. c. figura. Prod. p. 9.

Europaeis in Capite bonae spei incolis: Caneelbloem et avondbloem-caneelbloem. Crescit in collibus Leuvestaart, satis vulgaris. Floret Augusto, Septembri, Octobri.

Bulbus conicus, deorsum imbricatus, truncatus margine acuto fibroso, glaber, magnitudine pisi. *Scapus* simplex, teres, flexuoso-erectus, viridi-purpureus, glaber, spithamaeus. *Folia radicalia* duo margine obverso vaginantia, obtusa, subfalcato-

reflexa, nervo medio elevato, margine crispo undulata, scapo triplo breviora, digitalia; *cotyledonis* unicum, amplexicaule, ovatum, obtusum, apice reflexum, integrum, glabrum, unguiculare; *caulina* duo, spathaeformia, remota: inferius convolutovaginans vaginâ longâ, apice compressum, obversum, saepe crispum, glabrum, pollicare, usque tripollicare; superius unguiculare. *Flores* secundi *), erecti, tres usque novem. *Rachis* flexuosa, glabra. *Spatha* exterior concava, obtusa cum acumine, glabra, viridis apice purpurascente, tubo paulo brevior, lineam longa; interior subaequalis, apice tenuior, bifida. *Corollae* tubus parum ampliatus, subcurvatus; purpurascens, subunguicularis. Limbi laciniae tres interiores totae albae; tres exteriores intus albae, extus purpurascenti-striatae. *Antherae* erectae, dorso supra basin insertae, lineari-subulatae, limbo breviores, flavae. *Capsula* sexstriata.

Obs. 1. Florum spica refert GLADIOLUM *recurvum*; differt corollâ regulari. 2. Foliis crispis similis est IXIAE *crispae*; differt vero foliis lanceolatis, latioribus. *Usus:* flores vesperi sese horâ 4 aperientes odorem spargunt suavem, ideoque in domibus servantur.

14. I. (*corymbosa.*) foliis lanceolatis crispis brevioribus; scapo ancipiti. *Caryophyllus* monomotapensis, nervosis Bupleuri foliis, intus cavis, flore caeruleo, cauliculis secundum longitudinem alatis. *Pluk.* alm. p. 87. t. 275. f. 1. IXIA *corymbosa. Linn.* Spec. Pl. p. 51. Syst. Veg. XIV. p. 84. Diss. nostr. de Ixia p. 11. Prod. p. 9. *Hout.* Nat. Hist. 2. D. 12. st. p. 18. Tab. 77. f. 1. *Jacq.* Rar. 2. f. 15. t. 8. IXIA *imbricata. de la Roche* Disp. p. 17.

Crescit in sabulosis et ipsis viis Svartlandiae. Floret Augusto, Septembri, Octobri.

Bulbus ovatus, truncatus, reticulatus. *Folium radicale* unicum, ensiforme, crispum, striatum, recurvatum, glabrum, digitale, scapo duplo brevius; *caulina* unum vel duo, spathaeformia, amplexicaulia, striata, decurrentia, minora. *Scapus* inferne simplex, superne paniculatus, striatus, glaber, flexuosus, erectus, spithamaeus. *Rami* dichotomi, compressi, fastigiati. *Flores* in ramis subumbellato-fasigiatis terminales. *Spatha* viridis apice obtuso rubicundo. *Corollae* tubus sensim ampliatus, longitudine spathae. Limbi laciniae lanceolatae. *Stigmata* apice globosa. *Variat* flore albo et caeruleo.

15. I. (*linearis.*) foliis linearibus brevioribus; scapo simplici erecto. IXIA *linearis. Linn.* Suppl. p. 92. Syst. Veg. XIV. p. 84. Dissert. nostr. de Ixia p. 12. Prod. p. 9. *Jacq.* Rar. 2. f. 15. t. 5.

Crescit in campis arenosis inter Cap et Stellenbosch. Floret Augusto, Septembri, Octobri.

Bulbus ovatus, fibrosus, laevis, magnitudine avellanae. *Scapus* teres, glaber, palmaris, spithamaeus et ultra. *Folia* circi-

*) In diagnosi supra: *alterni. Editor.*

ter tria; infimum longe vaginans, lineare, utrinque convexum lineâ mediâ elevatâ, angustissimum, vix lineam dimidiam latum, erectum, parum apice attenuatum, integrum, glabrum, scapo paulo brevius, raro aequale. Superiora duo spathacea, brevissima. *Flores:* raro unicus, plerumque duo vel tres, secundi. *Spatha* convoluta, lanceolata, acuta, striata, glabra: exterior major, longitudine corollae. *Corollae* tubus albidus. Limbi laciniae obtusae cum acumine, unguiculares. *Stigmata* revoluto-patentia, purpurascentia. *Capsula* vix angulata, sexstriata.

16. I. (*capillaris.*) foliis linearibus brevioribus; scapo polystachyo; spathis scariosis. Ixia *capillaris. Linn.* Suppl. p. 92. Syst. Veg. XIV. p. 84. Dissert. nostr. de Ixia p. 12. cum figura. Prod. p. 9.

Floret Augusto, Septembri, Octobri.

Bulbus reticulatus, fibrosus, magnitudine avellanae. *Folia* nervosa, glabra, scapo dimidio breviora. *Scapus* teres, apice divisus, capillaris, erectus, bipedalis; rami pedicelliformes, uniflori. *Flores* in ramis terminales vel in apice scapi alterni, sessiles, erecti, albidi, venoso-reticulati. *Spathae* venis fuscis, dentatae.

Obs. Flores in hac specie videntur pedunculati; sed rami uniflori.

17. I. (*setacea.*) foliis linearibus brevioribus; scapo flexuoso glabro. Ixia *setacea.* Dissert. nostr. de Ixia p. 13. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 84. Prod. p. 9.

Crescit in collibus montium prope urbem Cap. Floret Junio, Julio, Augusto.

Folia acuta, angustissima, scapo breviora, lineâ mediâ elevatâ, glabra, subterna; in medio scapo folium breve, spathis simile. *Scapus* filiformis, erectus, pauciflorus, ruber, simplex, ramosus vel bifidus, digitalis. *Spatha* subinflata, viridis, valde concava, striata, glabra, longitudine tubi, semiunguicularis. *Corollae* limbi laciniae tres exteriores intus albae, extus rubro-striatae, tres interiores totae albae. *Stylus* staminibus longior, corollâ brevior, filiformis, albus. *Similis* est *J. maculatae*, limbi basi fuscâ; sed differt: 1. quod multoties minor. 2. quod ramosa. 3. foliis lineari-angustis.

18. I. (*scillaris.*) foliis linearibus brevioribus secundis; rhachi flexuosâ. Ixia *scillaris.* Dissert. nostr. de Ixia. p. 13. Prod. p. 9. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 85. *Hout.* Nat. Hist. 2. D. 12. St. p. 25. t. 77. f. 2.

Crescit in collibus groene Kloof, Duyvelsberg, Leuve Kop et alibi. Floret Augusto, Septembri, Octobri.

Scapus teres, erectus, glaber, vaginatus, ramosus, pedalis. *Rami* filiformes, nudi, flexuosi, laxi, glabri, floriferi. *Folia* longe vaginantia, circiter tria, crassiuscula, vix lineam dimidiam lata, striâ duplici profundâ, scapo breviora, spithamaea. *Flores* secundi, remoti. *Rhachis* multiflora, floribus saepe decem. *Spatha* exterior paulo major, glabra, striata, basi viridis; apice cinerea, membranacea, integra; interior basi viri-

dis, apice membranacea, bifida, cinerea. *Corollae* tubus brevissimus, flavo-virescens. Limbi laciniae concavae, flavae, tribus exterioribus dorso purpurascentibus. *Stigmata* involuta, villosa, flavescentia. *Capsula* obsolete trigona, sexsulcata. *Semina* subreniformia.

19. I. (*aristata.*) foliis linearibus brevioribus, spathis aristato-dentatis. Ixia *aristata.* Dissert. nostr. de Ixia p. 14. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 85. Ixia *campanulata. Hout.* Nat. Hist. 2. D. 12. p. 42. f. 78. f. 4.

Floret Augusto, Septembri, Octobri.

Bulbus reticulatus, magnitudine avellanae. *Scapus* simplex, teres, erectus, glaber, palmaris, pedalis et ultra. *Folia* circiter quatuor vel quinque, quinquenervia nervo medio et marginibus crassioribus, acuta, erecta, glabra, scapo dimidio breviora. *Flores* secundi, rarissime unicus, rarius duo, saepe quinque usque novem in rhachi vix flexuosâ. *Spathae* submembranaceae. *Corollae* albo-incarnatae.

20. I. (*reticulata.*) monostachya; foliis equitantibus, ensiformibus, scapo brevioribus; floribus spicatis alternis.

Scapus simplex, filiformis, erectus, pedalis. *Folia* nervosa, nervis tribus magis exstantibus, flavis, acuta, glabra, circiter 5, unguem lata, patulo-erecta. *Flores* spicati, alterni, circiter quatuor. *Spatha* brunea. *Corolla* campanulata, alba, venis caeruleis reticulata; tubus brevis.

21. I. (*pendula.*) foliis lineari-ensiformibus brevioribus; scapo polystachyo; spicis pendulis. Ixia *pendula. Linn.* Supplem. p. 91. Syst. Veg. XIV. p. 85. Diss. nostr. de Ixia. p. 15. Prod. p. 9.

Crescit in regione Krumrivier prope ipsum flavium et in locis adjacentibus humidis copiose. Floret Octobri et sequentibus mensibus.

Radix moniliformi-articulata; articuli plurimi, orbiculati, depressi, approximati, carnosi, rufescentes. *Folia* radicalia inferne scapum vaginantia, acuta, striata, glabra, pedalia et ultra. *Scapus* teres, erectus, glaber, inferne crassitie calami scriptorii, superne divisus: ramis capillaribus, nutantibus, flexuosis; orgyalis. *Spathae* membranaceae, lacerae. *Corollae* in ramis alternae, magnae, incarnatae, tubo brevi.

Obs. Omnium Ixiarum altissima, speciosa corollis magnis, cernuis.

22. I. (*bulbifera.*) foliis ensiformibus brevioribus; spathis membranaceis setaceo-laceris. Ixia *bulbifera. Linn.* Spec. Plant. p. 51. Syst. Veget. XIV. p. 85. Diss. nostr. de Ixia. p. 15. Prod. p. 10. Ixia *monanthos de la Roche* Disp. p. 21. Ixia *uniflora. Jacq.* Rar. 2. f. 7. t. 10. *Milleri* Icon. t. 237. f. 3. Ixia *rosea. Linn.* Mant. p. 27.

Europaeis in Africa australi incolis: Vluweelbloem. Crescit in Roode Sand copiosissime, in collibus Leuvestaart rarius,

in arenosis Svartland, alibi. Floret Augusto, Septembri, Octobri.

Scapus simplex vel ramosus, subcompressus, striatus, glaber, inferne foliis vaginatus, palmaris usque pedalis. *Folia* nervoso-striata; disticha, erecta, glabra, scapo breviora, spithamaea. *Flores* tres vel plures, magni, rhachi flexuosâ. *Spatha* nervoso-reticulata, grisea, apice fusca, lacera, filamentoso-aristata. *Corollae* tubus brevis, lineam longus. Limbus ultra medium, non vero ad tubum usque angustiorem, 6-partitus: Laciniae magnae, ovato-oblongae, obtusae, patentes. *Antherae* lineares, longae, intus convexae, extus lamellosae, albae. *Capsula* sexstriata.

Variat: 1. flore purpureo, pulcherrimo in Roode Sand. 2. flore rubro alboque variegato. 3. flore flavo. 4. scapo brevissimo et simplici. 5. scapo altiori et ramoso. 6. scapo bulbifero, culta.

Obs. In hortis culta alta, ramosaque evadit et tunc saepissime bulbos in axillis foliorum gerit.

23. I. (*erecta.*) foliis ensiformibus multinervibus brevioribus; scapo polystachyio; floribus distichis immaculatis. Ixia *erecta. Berg.* Plant. Cap. p. 5. Dissert. nostr. de Ixia p. 16. Prod. p. 10. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 85. Ixia *thyrsiflora. de la Roche* Disp. p. 20.

Crescit infra Duyvelsberg, in collibus groene Kloof, arenosis Svartland et alibi vulgaris. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Bulbus magnitudine avellanae. *Folia* circiter tria vel quatuor, erecta, glabra, scapo duplo breviora. *Scapus* teres, glaber, erectus, pedalis usque bipedalis. *Rami* alterni, capillares, erecti, digitales. *Flores* in scapo et ramis spicati, unguiculares. *Rhachis* flexuosa, digitalis. *Spathae* submembranaceae, subaristatae.

24. I. (*polystachya.*) foliis linearibus quinquenervibus brevioribus; scapo polystachyo; floribus distichis immaculatis. Ixia *polystachya. Linn.* Sp. Pl. p. 51. Syst. Veg. XIII. p. 76. *Jacq.* Rar. Icon. vol. 2. fol. 9. t. 11.

Similis omnino J. *erectae*, sed folia longe augustiora et quinquenervia. *Variat* scapo simplici et ramoso.

25. I. (*coccinea.*) foliis linearî-ensiformibus, multinervibus subaequalibus; scapo polystachyo; floribus immaculatis.

Bulbus magnitudine nucis avellanae. *Folia* acuta, glabra, erecta, scapum subaequantia, erecta. *Scapus* simplex vel ramosus, teres, erectus, spithamaeus et ultra. *Flores* distichi, purpurei. *Spathae* scariosae, acuminatae.

26. I. (*maculata.*) foliis ensiformibus; scapo polystachyo; floribus alternis; corollis basi maculatis. Ixia *maculata. Linn.* Mant. p. 320. Syst. Vegetab. XIV. p. 35. Diss. nostr. de Ixia. p. 16. Prod. p. 10.

Crescit in promontorio australi Africes vulgatissima et maxime varians in diversis locis; imprimis vero 2 et 3 prope Bergrivier; 4 et 5 in collibus prope Groene Kloof; 1, 2 et 3 in arenosis Svartland. Floret Augusto et insequentibus mensibus.

Bulbus avellana nuce duplo major. *Folia* tria, quatuor vel quinque, multinervia, scapo duplo breviora. *Scapus* saepius simplex vel polystachyus, teres, erectus, spithamaeus usque pedalis et ultra. *Rami* filiformes, erecti vel patentissimi. *Florum* spicae terminales, rhachi flexuosâ. *Spathae* membranaceae, basi griseae, apice bruneae, sublacerae. *Corolla* supra os tubi maculâ obscurâ in basi limbi.

Obs. Adeo similis J. *ereetae*, ut vix quidquam aliud differat, quam macula corollae.

Variat: 1. corollâ albidâ. 2. corollâ flavâ. 3. corollâ flavâ apicibus purpureis. 4. corollâ albo-caerulescente. 5. corollâ caeruleâ.

27. I. (*viridis.*) foliis linearibus multinervibus brevioribus; scapo polystachyo; corollis spicatis maculatis. Ixia *maculata.* Diss. nostr. de Ixia p. 16. XV. Prod. p. 10.

Crescit in Roode Sand, ad rivos, speciosissima planta.

Bulbus magnitudine nucis avellanae. *Scapus* erectus, simplex et ramosus, inferne foliis vaginatus, bipedalis usque quadripedalis. *Folia* lineari-ensiformia, glabra, erecta, scapo paulo breviora. *Flores* spicati, terminales in spica pedali, distichi, virides maculâ baseos nigrâ.

28. I. (*scariosa.*) foliis ensiformibus obtusis falcatis multinervibus brevioribus; bracteis scariosis acutis.

Scapus erectus, polystachyus, superne ramis flexuosis. *Folia* prope radicem circiter tria, equitantia, glabra, scapo duplo breviora. *Flores* caerulei corollae tubo luteo. *Bracteae* nervosae.

29. I. (*elliptica.*) foliis ellipticis glabris; scapo ramoso; floribus secundis.

Scapus angulatus, glaber, erectiusculus. *Folia* basi valde attenuata, dein obovata, acuta, integra, digitalia, scapo multoties breviora. *Flores* sessiles, plures, caerulei. *Rhachis* flexuosa.

30. I. (*squalida.*) foliis lineari-lanceolatis glabris; laminis limbi excisis; scapo ramoso.

Scapus flexuoso-erectus, glaber. *Flores* alterni, sessiles, toti lutei venis fuscis. *Limbi* laciniae obovatae, obtusae, excisae. *Spathae* glabrae, apice bruneae.

31. I. (*fenestrata.*) foliis ensiformibus acutis nervosis glabris scapo brevioribus; floribus alternis. Ixia *fenestrata. Jacq.* Rarior. 2. fasc. 10. T. 8.

Scapus simplex, flexuoso-erectus, glaber, pedalis. *Folia* integra, scapo duplo breviora, vix unguem lata. *Flores* purpurei, immaculati. *Limbus* obtusus. *Spathae* glabrae, tubo paulo breviores.

32. I. (*crocata.*) foliis ensiformibus brevioribus; floribus secundis; corollis basi hyalino-fenestratis. Ixia *crocata. Linn.* Spec. Plant. p. 52. Syst. Veget. XIV. p. 85. Diss. nostr. de Ixia. p. 17. Prod. p. 10. Ixia *Milleri. Berg.* Plant. Capens. p. 8.

Crescit cis et trans Svellendam, usque ad Vischrivier, satis vulgaris. Floret Octobri, Novembri et Decembri.

Bulbus avellana paulo major. *Folia* circiter quinque, reflexo-subfalcata, multinervia, pollicaria usque digitalia, scapo duplo vel saepe triplo breviora. *Scapus* simplex vel ramosus, subcompressus, flexuosus, erectus, glaber, palmaris usque spithameus. *Rami* nudi, scapo similes, patentissimi. *Bracteae* basi griseae, apice ferrugineae, subdentato lacerae. *Flores* campanulati, speciosi tubo brevi, aurantiaci maculâ supra os tubi pallidiori hyalinâ; raro duo vel pauci, saepius quinque vel septem.

Variat: 1. scapo simplici, brevi, paucifloro et maculâ atrâ supra fenestram. 2. scapo alto, polystachyo, multifloro.

Obs. Haec omnium Ixiarum facile pulcherrima, uti ceterae culta magis ramosa et speciosa evadit.

33. I. (*lancea.*) foliis ensiformibus brevioribus; floribus secundis; scapo simplici flexuoso. Ixia *lancea.* Diss. nostr. de Ixia p. 18. Prod. p. 10. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 85.

Crescit infra Piketberg. Floret Augusto, Septembri, Octobri.

Bulbus rudimentis foliorum dense involutus, avellanâ major. *Folia* circiter tria vel quatuor, lanceolato-ensiformia, marginibus et nervo medio crassioribus, marginibus revolutis, tenuissime striata, glabra, erecta, digitalia. Folium unum vel duo spathaeformia in scapo. *Scapus* teres, hinc inde compressus, erectus, glaber, foliis duplo longior. *Flores* circiter sex, albo-purpurascentes. *Spathae* cinereae, apice ferrugineae, obtusae, integrae.

34. I. (*pentandra.*) foliis ensiformibus brevioribus; floribus pentandris. Ixia *scillaris? Linn.* Spec. Plant. p. 52. *Linn.* Syst. Veget. XIII. p. 76. Ixia *pentandra. Linn.* Supplem. p. 92. Syst. Veg. XIV. p. 85. Diss. nostr. de Ixia. p. 18. Prod. p. 10. Ixia *scillaris. Hout.* Nat. Hist. 2. D. 12 St. p. 25. T. 77. f. 2.

Crescit extra urbem Cap, prope Groene Kloof in collibus. Floret Augusto, Septembri, Octobri.

Scapus simplex vel ramosus, teres, flexuosus, glaber, pedalis. *Folia* striata, glabra, scapo multoties breviora. *Florum* spica longa, interrupta, flexuosa. *Spathae* membranaceae, sexlineatae, longitudine tubi; exterior major, carinata, tridentata. *Corollae* tubus virescens, brevis: limbi laciniae purpureae. *Filamenta* saepius tria, rarius quinque et quatuor, ori tubi inserta, limbo duplo breviora, filiformia, albida. *Antherae* ovatae, incumbentes seu horizontaliter nutantes, subcompressae,

didymae, flavae. *Stigmata* tria saepius, rarius vero 4 et 5, reflexo-patula, filamentis paullo breviora, obtusa, plumosa, lineam longa. *Capsula* trigona, sexsulcata. *Variat* floribus triandris tribus stigmatibus; tetrandris stigmatibus 4; et pentandris stigmatibus 5.

Obs. E filamentis 4 saepe bina connata inveni in unum corpus cum stigmatibus 4, antheris separatis vel connatis.

35. I. (*falcata.*) foliis ensiformibus reflexo-falcatis, brevioribus. Ixia *falcata. Linn.* Suppl. Syst. p. 92. Syst. Veget. XIV. p. 85. Dissert. nostr. de Ixia p. 19. cum figura. Prod. p. 10. *Jacq.* Rar. 2. f. 10. t. 9.

Europaeis africae Incolis: Avondbloem. Floret Junio usque in Octobris mensem. Crescit in collibus circa urbem.

Bulbus conicus, deorsum imbricatus, truncatus margine acuto fibroso, magnitudine pisi. *Scapus* simplex et ramosus, glaber, superne purpurascens, multiflorus. *Folia* disticha, striata, glabra; scapo duplo breviora. *Flores* alterni, unus, duo vel plures. *Corollae* tubus ruber; Limbi laciniae tres interiores rotundatae; albae, exteriores intus albae, extus rubrae. *Stigmata* flexuoso-involuta, hirta.

Variat scapo simplici et ramoso, palmari et spithamaeo; floribus alternis et secundis; rhachi vix flexuosâ et valde flexuosâ. *Usus:* flores horâ 4 sese aperientes suavem odorem spargunt pluviamque clausi praesagiunt.

36. I. (*excisa.*) foliis ovatis brevioribus; floribus secundis; scapo flexuoso. Ixia *excisa. Linn.* Suppl. p. 92. Syst. Veg. XIV. p. 85. Diss. nostr. de Ixia. p. 19. cum figura. Prod. p. 10.

Crescit in collibus montium prope urbem Cap. Floret Augusto, Septembri, Octobri.

Bulbus globosus, fibrillosus, glaber, piso minor. *Folia* radicalia duo, obtusa, glabra, margine interiori amplexantia ibique pro scapo excisa, patentia, semipollicaria. Referunt folium unicum, bifidum. Folium infra medium scapi spathas referens, solitarium. *Scapus* teres, erectus, glaber, uniflorus et multiflorus, digitalis et palmaris. *Spatha* glabra apice obtuso, subcrenato; exterior viridis, tubo brevior. *Corollae* tubus ruber. Limbi laciniae obtusissimae, patentes; extus rufescentes, rubro-striatae; intus albae, rubro-striatae. *Antherae* bruneae, erectae. *Stigmata* parva, revoluta, hirta.

Obs. Rarissime scapus medio ramulum edit uniflorum.

XXVIII. GALAXIA.

Cor. 1-*petala*, 6-*fida. Stam. monadelpha.*

1. G. (*ovata.*) foliis ovatis. Ixia *Galaxia. Linn.* Suppl. Syst. p. 93. Galaxia *ovata. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 609. Dissert. Nostr. Nov. Plant. Gener. P. I. pag. 51. cum figura. Prod. p. 10.

Crescit copiose circa urbem Cap, in collibus. Floret a Junio ad Septembris mensem.

Radix filiformis, descendens, bulbo affixa, seu bulbus profunde insidens, ovatus, reticulatus. Bulbilli saepe plures, conglomerati. *Scapus* nullus, nisi qui descendit ad bulbum. *Folia* radicalia, congesta, vaginantia, ovato-oblonga, obtusa, supra sulco longitudinali, plana, margine subcartilaginea, glabra, pollicaria. *Corolla* valde fatua, variat colore flavo, purpureo, violaceo; vesperi se claudit, uti et sequens, corollâ fatiscendo involutâ ante horam quartam.

Variat: 1. corollis totis flavis, saepissime. 2. corollis violaceis. Horologii instar Florae horam quartam et pluviosam tempestatem indicat.

Obs. Staminum filamenta in hoc Genere, uti in *Ferraria* et *Sisyrinchio*, tota, atque in *Moraeis* et *Iridibus* capensibus basi, connata inveniuntur in cylindrum, adeoque omnia monadelpha, sic ut Stylum mentiantur, cui Antherae insertae. Me tamen judice, neque ad Monadelphiam reducenda sunt *Galaxia*, *Ferraria*, *Sisyrinchium*, neque ad Gynandriam, cum tubus staminum acicuſâ longitudinaliter apertus, inclusum Pistillum liberum satis demonstret: neque in plura Genera lacerandae *Moraeae* et *Irides* Capitis bonae spei, quibus filamenta plus minus, uti etiam in *Hermanniis* et *Lobeliis*, coalita sunt.

2. G. (*graminea.*) foliis lineari-filiformibus. IXIA *fugacissima. Linn.* Suppl. Syst. p. 94. GALAXIA *graminea. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 609. Dissert. nostr. Plant. Gen. P. I. p. 51. c. figura. Prodr. p. 10.

Crescit in collibus inter Cap et Taffelberg et ubique circum urbem copiose. Floret Junio, Julio, Augusto.

Radix ut in priori. *Folia* radicalia, fasciculata, ad singulum florem bina, basi latiora, inde linearia, apice setacea, integra, canaliculata, glabra, pollicaria vel bipollicaria. *Flores* radicales inter folia vaginantia, fasciculati, sessiles: tubo longo, capillari, longitudine foliorum. *Color* corollae saepius flavus; a frigore vespertino circa horam quartam, (quam itaque horologii instar indicat) fatiscit, contrahitur, vixque aperit iterum florem, nisi calidis a sole splendente diebus.

Variat: 1. corollis totis flavis. 2. tubo flavo, limbo violaceo.

Obs. Difficile siccantur hae species, cum a frigore vel minimo humidae evadunt et corollae apicem primo, dein limbum totum contrahunt crispando. Nec conservantur vel exsiccantur, nisi in libro bene inclusae teneantur, usque dum semisiccatae fuerint; tum separandae erunt: alias chartae ita adglutinantur, ut separari sine laceratione nequeant.

XXIX. WITSENIA.

Cor. 6-partita, cylindrica. Stigma emarginatum.

1. W. (*maura.*) caule subsimplici, foliis ensiformibus marginatis. ANTHOLYZA *maura. Linn.* Syst. Veg. XIII. p. 78. Syst. XIV. p. 83. mant. p. 175. WITSENIA *maura. Thunb.* Dissert. Nov. Plant. Gen. P. 2. p. 33. 34. Prod. p. 7.

Crescit in montium lateribus ad Nordhoek et Bayfallo. Floret Aprili, Majo.

Radix lignosa. *Caulis* anceps, inferne aphyllus, a casu foliorum subarticulatus, glaber, superne foliis vestitus, saepius simplex, raro bifidus, erectus, bipedalis. *Folia* alterna, sessilia, equitantia, subfalcata, lineata, erecta, imbricata, glabra, spithamaea. *Flores* terminales, capitati. *Capitula* duo, tria vel quatuor, alterna, squamosa, subbiflora. *Squamae* seu bracteae alternae, oblongae, acutae, concavae, ferrugineae glabrae; exteriores breviores, unguiculares; interiores longiores, pollicares.

2. W. (*ramosa.*) caule ramoso; foliis linearibus striatis. IXIA *fruticosa. Linn.* Suppl. p. 93. Syst. Veg. XIV. p. 53. *Thunb.* Diss. de Ixia p. 5. c. fig. Prod. p. 9.

Crescit in Montibus Platte Kloof et juxta rivier Zonder End sitis. Floret Octobri et sequentibus mensibus.

Caulis suffruticosus, totus glaber et foliis tectus, palmaris vel paulo ultra. *Folia* apice attenuata, subfalcata, tenuissime striata, dense imbricata, pollicaria usque bipollicaria. *Flores* terminales, caerulei. *Spathae* membranaceae. *Corolla* tubulosa, caerulea *Tubus* flavus, capillaris, semipollicaris.

Obs. Facies WITSENIAE, Corolla IXIAE.

XXX. DILATRIS.

Cal. o. *Cor.* 6-*partita, hirsuta. Filamentum tertium reliquis minus. Stigma simplex.*

1. D. (*corymbosa.*) petalis ovatis; paniculâ hirsutâ. DILATRIS *corymbosa. Berg.* Pl. Capens. p. 9. tab. 3. f 5. *Thunb.* Act. Nat. Scrut. Berol. p. Prod. p. 10. IXIA *hirsuta. Linn.* Mantiss. p. 27, 320, 511. WACHENDORFIA *umbellata. Linn.* Syst. Veg. XIII. p. 80. DILATRIS *umbellata. Linn.* Syst. Veget XIV. p. 93. Suppl. p. 101.

Crescit ad latera montium prope Platte Kloof, inque campis sabulosis inter Cap et Hottentots Holland copiose. Floret Decembri, Januario.

Radix carnosa, rubra, sublignosa, fibrosa. *Caulis* sublignosus, teretiusculus, villosus, foliosus, simplex, pedalis. *Folia radicalia* plura, amplexicaulia, ensiformia, integra, striata, glabra, caule breviora; *caulina* alterna, tria seu quatuor, margine obverso vaginantia, lanceolata, acuta, erecta, villosa, pollicaria et ultra. *Flores* paniculati; *panicula* subfastigiata. *Bracteae* ad basin pedunculorum sessiles, lanceolatae, acutae, villosae, pedunculis breviores. *Pedunculi* subdichotomi, villosi, pollicares; pedicelli uniflori. *Corolla* 6 petala, supera, purpurea. Petala obtusa, concava, nervosa, extus hirsuta, intus glabra, erectopatentia, persistentia, semiunguicularia. *Filamenta* tria, germini inserta, subulata: duo longitudine corollae, tertio paulo breviore. *Antherae* subrotundo-lunulatae, emarginatae, hinc planae, inde didymae, bisulcatae, flavae, unicâ in filamento breviori paulo majore. *Germen* inferum, hirsutum. *Stylus* fili-

formis, staminibus paulo brevior, purpureus. *Stigma* simplex, obtusum. *Capsula* subglobosa, hirsuta, trivalvis, triloculatis. *Semina* in singulo loculamento solitaria, orbiculata, compressa, glabra.

2. D. (*viscosa.*) petalis linearibus, paniculâ villoso-viscidâ. DILATRIS *viscosa*. *Thunb.* Act. Nat. Scrutat. Berol. p. Prod. p 10. *Linn. Suppl.* p. 101. Syst. Veg. XIV. p. 93.

Crescit in summitate Taffelberg prope frontem. Floret Januario, Februario.

Caulis suffruticosus, teretiusculus, simplex, foliosus, pedalis, uti tota planta, exceptis foliis radicalibus, hirsutus: pilis densis, patentibus, rufescentibus, apice glandulosis, glutinosis. *Folia* radicalia plura, vaginantia, falcato-ensiformia, striata, glabra, caule multo breviora; caulina alterna, tria seu quatuor, amplexicaulia, erecta, pollicaria. *Bracteae* sublineares, pedunculis breviores. *Petala* extus villoso-viscida, ceterum ut in priori. *Filamenta* subulata, subaequalia, longitudine corollae. *Radix*, Flores, Pedunculi, Stamina, Pistillum, Capsula ut in priori.

3. D. (*paniculata.*) petalis lanceolatis, caule paniculato. DILATRIS *paniculata*. *Thunb.* Act. Nat. Scrutat. Berol. p. Prod. p. 10. *Linn.* Suppl. Syst. p. 101. Syst. Veg. XIV. p. 94.

Crescit in arenosis regionibus Saldanhae bay et Svartland. Floret Octobri et sequentibus mensibus.

Caulis suffruticosus, simplex, striatus, erectus, uti tota planta, hirsutus: pilis densis, patentibus, rufescentibus, glandulosis, viscosis; pedalis. *Folia* radicalia ut in priori, sed caule paulo breviora, spithamaea vel ultra; caulina alterna, pauca, amplexicaulia, lanceolata, acuta, pollicaria vel ultra. *Flores* a medio caule ad apicem paniculati. *Bracteae* foliis similes, lanceolatae, longitudine pedunculi. *Pedunculi* alterni, bifidi, erecti, pollicares. Pedicellii breves, subquadriflori. *Petala* purpureo-flavescentia, acuta, concava, intus glabra, extus villosa, erecto-patentia, unguicularia. *Filamenta* purpurea, corollâ duplo breviora; tertio breviore. *Antherae*, Germen, Stigma ut in prioribus. *Stylus* staminibus paulo longior, purpureus. *Capsula* omnium hirsutissima.

XXXI. MORAEA.

Cor. 6-*partita*, *inaequalis: laciniis erectis.* *Stigmata* 3.

1. M. (*melaleuca.*) scapo ancipiti; foliis linearibus subfalcatis; flore subsolitario. MORAEA *lugens*. *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 63. *Thunb.* Diss. de Moraea p. 5. tab. 1.

Crescit in Campo infra Paarlberg latere occidentali inter frutices, in Paardeberg summis lateribus atque in campis arenosis circumjacentibus, prope Ribeck Kastel et alibi. Floret Septembri, Octobri.

Radix carnosa, fibrosa. *Scapus* simplex, articulatus, erectus, glaber, pedalis usque bipedalis. *Folia* radicalia plura, equitantia, lineari-ensiformia, erecta, striata, glabra, duas lineas lata, scapo triplo breviora; caulina spathacea juxta articulos alterna, sensim breviora; inferiora tripollicaria; superiora pollicaria. *Flores* terminales, solitarius vel plerumque duo, raro tres, erecti. *Spatha* bivalvis: valvulae oppositae, lanceolatae, acutae, concavae, virides, glabrae, erectae, apice membranaceae, unguiculares. *Corolla* sub-1-petala, ad basin fere 6-partita, inaequalis, patens, facile fatiscens. Petala tria majora, obovata, obtusa, subemarginata, concava, basi alba, versus apicem caerulea, pollicaria; tria minora, ceteris multo breviora et angustiora, ovata, obtusa, concava, basi alba, a medio ad apicem atra. *Filamenta* tria, subulata, erecta, alba, brevissima. *Antherae* lineares, flavae, lineam longae. *Stylus* filiformis, erectus, albus, longitudine petalorum minorum. *Stigma* multipartitum, caerulescens. *Capsula* oblonga, glabra, trigona, trilocularis.

2. M. (*spiralis.*) scapo ancipiti articulato; foliis erectis; floribus alternis subsecundis. MORAEA *spiralis. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 93. *Thunb.* Dissert. p. 6.

Scapus glaber, erectus, pedalis vel paulo ultra. *Folia* radicalia, linearia, acuta, striata, scapo vix breviora; caulina alterna, spathaeformia. *Flores* laterales. *Spathae* bruneae, concavae, acuminatae, subbiflorae, longitudine corollae. *Corolla* 6-petala, post florescentiam spiraliter convoluta. Petala subaequalia, campanulato patentia, ovata, obtusa, extus albo-virentia, intus alba, pollicaria; ungues crassi, intus albi maculâ cordatâ purpureâ. *Filamenta* tria, filiformia, alba, corollâ breviora. *Antherae* oblongae, sulcatae, erectae, croceae. *Stylus* filiformis, albus, staminibus longior. *Stigma* simplex, truncatum, villosum, violaceum.

3. M. (*africana.*) scapo ancipiti; foliis distichis; floribus capitatis; spathis membranaceo-laceris. MORAEA *africana. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 93. *Thunb.* Dissert. p. 7.

Crescit in collibus prope urbem et in campis extra illam, circum Constantiam et alibi. Floret communiter Augusto, Martio et sequentibus mensibus.

Radix fibrosa. *Scapus* simplex vel saepius ramosus, articulatus, glaber, erectus, digitalis usque spithamaeus. *Folia* radicalia, equitantia, lineari-ensiformia, striata, erecta, scapo breviora; caulina spathaeformia, similia. *Flores* terminales, caerulei. *Spathae* binae, oppositae, concavae, basi et dorso fuscae, apice et margine membranaceae, albae, multipartito-lacerae laciniis setaceis. *Stigma* simplex.

4. M. (*pusilla.*) scapo ancipiti; foliis distichis; flore subsolitario. MORAEA *pusilla. Thunb.* Diss. p. 7.

Radix fibrosa. *Scapus* simplex, erectus, uniflorus vel biflorus, palmaris. *Folia* radicalia, equitantia, lineari-lanceolata, subfalcata, striata, glabra, scapo breviora. *Spathae* naviculares,

integrae, longitudine floris. *Corolla* 6-petala, caerulea, post florescentiam spiraliter convoluta. Petala alterna, angustiora. *Capsula* oblonga, trigona, trivalvis, trilocularis.

5. M. (*dichotoma.*) scapo ancipiti; foliis falcatis; spathis membranaceis integris.

Scapi e radice cespitosa plures, compressi, erecti, glabri, spithamaei. *Rami* alterni, divaricato-erecti, scapo similes. *Folia* inferiora lineari-ensiformia, acuta, integra, glabra, digitalia; superiora, in scapo et rarius breviora. *Flores* terminales, circiter tres, caerulei. *Spathae* scariosae, niveae.

6. M. (*bermudiana.*) scapo ancipiti; foliis distichis; floribus capitato-umbellatis; spathis membranaceis. SISYRINCHIUM *bermudiana. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 820. *Thunb.* Dissert. p. 7.

Crescit in Montibus inter Hottentots Hollands Kloof et Houthoek. Floret Decembri.

Scapus simplex, saepius ramosus, glaber, spithamaeus. *Rami* divaricati, scapo similes, apice geniculati. *Folia* basi et circa genicula plura, amplexicaulia, lineari-ensiformia, striata, glabra, erecta, longitudine ramorum. *Flores* in ramis terminales, umbellati. *Spathae* foliis similes, integrae. *Pedanculi* teretes, uniflori, glabri, unguiculares. *Corolla* 1-petala, ad basin fere 6-partita: laciniae oblongae, obtusae, cuspidatae, basi luteae, apice caeruleae. *Filamenta* tota in cylindrum connata, alba, corollâ dimidio breviora. *Antherae* trigonae, erectae, luteae. *Stylus* filiformis, intra cylindrum staminum. *Stigma* clavatum, apice bifidum: laciniae erectae, subulatae. *Capsula* ovata, glabra, 3-locularis.

Obs. 1. Corollam 4-partitam semel inveni. 2. Stamina omnino monadelpha; ut observavit Dom. Cyrillo.

7. M. (*gladiata.*) scapo foliisque compressis; spicâ laterali solitariâ involucro duplo breviore. MORAEA *gladiata. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 93. *Thunb.* Dissert. p. 8.

Crescit infra latus orientale et occidentale Montis tabularis, rarior. Floret Junio.

Scapus simplex, nudus, enodis, tenuissime striatus, glaber, rigidus, erectus, tripedalis vel ultra. *Florum* capitula terminalia: floribus alternis, pedunculatis. *Pedunculus* hirtus, uniflorus. *Spathae* plures, imbricatae, inaequales, naviculares, striatae, apice compressae, glabrae, extima duplo longior. *Corolla* subhexapetala, patens, flava. *Stigmata* tria, simplicia, patentia. *Capsula* ovata, obtusa, glabra, trigona, trivalvis, trilocularis.

8. M. (*aphylla.*) scapo foliisque compressis, spicâ laterali solitariâ involucro multoties breviore. MORAEA *aphylla Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 93. *Thunb.* Dissert. p. 9. tab. 2.

Scapus aphyllus, enodis, striatus, glaber, erectus, pedalis et ultra. *Florum* capitula medio in scapo lateralia; floribus pe-

dunculatis, luteis. *Involucrum* e scapo continuatum, capitulo florum decies longius, curvatum.

9. M. (*filiformis.*) scapo foliisque compressis subfiliformibus; flore solitario terminali. MORAEA *filiformis. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 93. *Thunb.* Dissert. p. 9. tab. 1.

Scapus subfiliformis, enodis, simplex, erectus, striatus, glaber, pedalis. *Folia* radicalia, filiformia, striata, flexuoso-erecta, duo vel tria, scapo breviora. *Involucrum* seu spatha extima flore duplo brevius; reliquae spathae alternae, glabrae. *Corolla* 6-petala, infimâ basi connata, lutea. Petala patentia, alterna angustiora. *Filamenta* tria, lutea, corollâ breviora. *Stylus* erectus, flavus, filamentis brevior. *Stigmata* tria, filiformia, patentia, lutea. *Capsula* ovata, obtusa, trigona, glabra, trivalvis, trilocularis.

10. M. (*spathacea.*) scapo foliisque teretibus; spicis lateralibus aggregatis. MORAEA *spathacea. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 92. *Thunb.* Dissert. p. 9. tab. 1.

Crescit in collibus infra Taffelberg et Duyvelsberg copiosissime atque alibi, taediosissima ambulantibus, quos folia dependentia illaqueant. Floret Julio communiter et sequentibus mensibus, per totam fere annum florem unum vel alterum aperiens.

Scapus striatus, glaber, enodis, erectus, semiorgyalis. *Folia* radicalia, striata, primum erecta, dein dependentia, scapo longiora. *Florum* capitula subterminalia e spicis aggregatis involucro brevioribus. *Spathae* glumaceae, acutae. *Corolla* 6-petala, vix basi connata; Petala aequalia longitudine, sed alterna duplo angustiora, oblonga, obtusa, medio venâ elevatâ, patentia, flava, unguicularia. *Filamenta* tria, subulata, petalis multo breviora *Antherae* globosae, sulcatae, incurvae, flavae. *Stylus* filiformis, filamentis brevior. *Stigmata* tria, erecto-patentia, obtusa, flava, filamentis longiora. *Capsula* obovata, obtusa, glabra.

11. M. (*flexuosa.*) scapo tereti articulato; folio reflexo subundulato nervoso. MORAEA *flexuosa. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 93. *Thunb.* Dissert. p. 10.

Crescit ubique vulgaris prope Bergrivier, Vieren tuintig rivieren, Olyfantsrivier, et a Roode Sand usque ad Houtniqaas. Floret Octobri, Novembri, Decembri, Januario.

Radix bulbosa. *Scapus* simplex et ramosus, striatus, erectus, glaber, pedalis et ultra. *Folium* radicale unum, raro duo, lineare, striatum, scapo brevius; ramea similia. *Flores* alterni in scapi rhachi flexuosa. *Spathae* oblongae, apice acutae, lacerae. *Corolla* 6-petala. Petala vix basi connata, subaequalia. Ungues brevissimi, vix lineam longi, parum dilatati, erecti. Laminae ovatae, obtusae cum acumine, concavae, linea longitudinali elevatâ, patentes, unguiculares; supra flavae; subtus tres alternae virescentes. *Filamenta* tria, subulata, erecta, flava, unguibus duplo longiora. *Antherae* lineares, incurvae, flavae. *Stylus* simplex, longitudine unguium. *Stigmata*

sex, filiformia, erecto-patentia, obtusa, duo semper approximata; flava, filamentis paulo longiora. *Usus:* Bulbi comeduntur ab incolis cocti.

12. M. (*collina.*) scapo tereti; folio dependente; laciniis corollae subaequalibus. Moraea *collina. Thunb.* Dissert. p. II.

Crescit juxta urbem copiosissime et alibi vulgaris. Floret Junio et sequentibus mensibus.

Radix bulbosa, fibrosa, ovata, striata. *Scapus* ramosus, erectus, multiflorus, glaber, pedalis. *Rami* alterni, compressi, spathis involuti, glabri, uniflori, bipollicares, ex eodem centro circiter tres, inaequales. *Folium* unicum, ensiforme, inferne vaginans, integrum, striatum, glabrum, concavum, scapo duplo longius. *Spatha* bivalvis, pedunculos vaginans, lanceolata, longe acuminata, concava, striata, glabra, viridis, subaequalis, pollicaris. *Corolla* sub-6-petala, erecta. Petala oblonga, obtusa, aequalia, patentia. Laminae carneae vel flavae, extus linea nigra. Ungues crassiores, basi connati, incarnati vel viridi-flavescentes, angustati: tribus exterioribus basi foveâ nectariferâ. *Filamenta* tria, tota connata in cylindrum, corollâ duplo breviora. *Antherae* lineares, emarginatae, intus planae, extus trisulcatae, flavae; dente utrinque unico. *Germen* inferum, ovatum, trisulcatum, glabrum. *Stylus* trigonus, trisulcatus, staminibus paulo longior, superne incrassatus, flavescens. *Stigmata* tria, trigona, subclavata, cucullato-bilabiata: labium exterius truncatum, emarginatum, interius bipartitum; laciniae acutae, breves, inflexae. *Capsula* oblonga, trisulcata, sensim crassior, glabra, pollicaris, trivalvis, trilocularis. *Semina* plurima, globosa, glabra.

Obs. 1. Variat flore flavo et aurantiaco. 2. Differt a reliquis Moraeis corollâ regulari et aequali; convenit autem stigmatibus bilabiatis, petalis exterioribus foveâ nectariferâ et staminum filamentis connatis 3. Convenit cum Iridibus stigmatibus bilabiatis labio interiore bipartito: differt vero corollâ regulari, aequaliter patenti. 4. Scapus uniarticulatus ad medium usque folio vestitus videtur esse simplex, cum plurimi pedunculi cum floribus lateant intra spathas imbricatas sensimque floreant; sed revera est ramosus ramis dichotome alternis, qui apice iterum dividuntur in duos, tres vel quatuor ramulos vel potius pedunculos inaequales, quorum unus vel duo simul florem aperiunt, interdum plures.

13. M. (*polyanthos.*) scapo tereti; foliis flexuoso-erectis; laciniis corollae alternis minoribus. Moraea *polyanthos. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 92. *Thunb.* Diss. p. 12.

Crescit in regione Koré rivier et alibi.

Scapus articulatus, paniculatus, erectus, pedalis. *Rami* et ramuli filiformes, erecti, geniculati. *Folium* radicale lineare, striatum, erectum, curvatum, scapo longius; ramea similia. *Flores* in ultimis ramulis capillaribus solitarii, bini vel tres. *Corolla* 6-petala, regularis, caerulea. Ungues sensim latiores, erecti. Laminae ovatae, obtusae, patentes. Petala tria alterna paulo angustiora et breviora. Ungues interne linea flava, ex-

tus viridi. *Stigmata* tria, vix bilabiata sed bifida. *Antherae* lineares, flavae.

14. M. (*coerulea.*) scapo tereti; foliis distichis; florum capitulis alternis; spathis membranaceis integris. MORAEA *caerulea. Thunb.* Dissert. p. 12. t. 2.

Crescit in montibus quâ itur ab Houtniquas ad Lange Kloof, et in collibus circum urbem. Floret Octobri, Novembri in montibus et prope Cap Septembri, Augusto.

Scapus simplex, striatus, glaber, erectus, bipedalis. *Folia* radicalia plurima, equitantia, linearia, striata, glabra, erecta, scapo breviora. *Flores* laterales, alterni, spicato-capitati, plurimi. *Capitula* pedunculata, pedunculis teretibus unguicularibus. *Spathae* universales naviculares, acuminatae, longitudine spicae; partiales ovatae, margine membranaceae. *Corolla* 6 petala, caerulea. Petala ovata, obtusa, concava, venosa, erecto-patentia, glabra, alterna paulo angustiora. *Filamenta* tria, corollae basi inserta, subulata, caerulea, brevissima. *Antherae* oblongae, obtusae, basi bifidae, extus sulcatae, intus laeves, lateraliter insertae, flavae, longitudine fere corollae. *Germen* inferum, triangulare, glabrum. *Stylus* filiformis, subulatus, caeruleus, longitudine staminum, corollâ brevior. *Stigma* simplex, obtusum, trigonum. *Capsula* oblonga, trigona, sensim inferne attenuata, glabra, trivalvis, trilocularis.

15. M. (*umbellata.*) scapo tereti striato; florum spicis umbellato-paniculatis; involucris diphyllis longissimis. MORAEA *umbellata. Thunb.* Dissert. p. 13.

Crescit juxta Picketberg. Floret Augusto, Septembri.

Scapus glaber, erectus, simplex, pedalis. *Flores* terminales, umbellato-paniculati; in spatharum apicibus solitarii, bini vel tres, pedunculati, caerulei. *Involucra* duo sub umbella linearia, striata; alterum brevius, acuminatum, umbellâ paulo longius; alterum lineare, reflexum, longitudine scapi.

16. M. (*crispa.*) scapo tereti articulato; folio convoluto crispo reflexo. MORAEA *crispa. Thunb.* Diss. p. 13.

Crescit in Roggefeldt.

Scapus simplex, spithamaeus. *Folium* radicale, solitarium, lineare, undulatum, hinc inde margine crispum, longitudine scapi. *Flores* terminales, pedunculati, pauci, caerulei.

17. M. (*ovata.*) scapo tereti simplici; foliis ovatis.

Crescit in Namaquas juxta Koks fontein. Masson.

Caulis simplex, flexuoso-erectus, striatus, glaber, vix spithamaeus. *Folia* alterna, sessilia, concava, acuta, integra, nervosa, glabra, unguicularia. *Flores* terminales, plures.

18. M. (*undulata.*) scapo ramosissimo; foliis vaginantibus carnosis; corollâ crispâ. FERRARIA *undulata. Linn.* Spec. Plant. p. 1353. Syst. Vegetab. XIV. p. 820. *Thunb.* Diss. p. 14.

Crescit in littore ad Leuwestaart prope urbem, extra Groote

Battery, prope Bergrivier, alibi. Floret Augusto, Septembri.

Radix bulbosa. Bulbus solidus, carnosus, orbiculatus, depressus, laevis, fibrillosus, magnitudine rapae minoris. Bulbi saepe tres vel plures moniliformi-articulati, approximati. *Scapus* ramosus, totus foliis spathiformibus tectus, teres, glaber, carnosus, sublignosus, erectus, pedalis vel bipedalis. *Rami* alterni, distichi, inferiores longiores, superiores sensim breviores, virgati, iterum ramulosi. *Folium* radicale unicum, vel pauca, obverso margine vaginans, lineare, utrinque medio lineâ elevatâ carinatum, integrum, striatum, glabrum, erecto-patens, longitudine scapi, duas lineas latum. Ramea inferiora ramorum basin amplexantia, disticha, vaginâ latâ margine obverso vaginantia, tandem compressa, radicali similia, patentia, obtusa, striata, glabra, carnosa, palmaria usque spithamaea. *Ramalorum* et suprema spathacea, convoluto-vaginantia vaginâ latâ, disticha, approximata, imbricata, ultimo apice compressa, striata, glabra, carnosa, inflata, pollicaria vel paulo ultra. Margines vaginarum omnium tenues, membranacei, albi. Vaginae pollicem latae. *Flores* in ultimis ramulis bini, pedunculati, intra folia spathacea reconditi, sensim florentes. *Pedunculi* trigoni, glabri, brevissimi. *Spatha* simplex, foliacea, nec perianthium aliud. *Corolla* 6-petala, inaequalis. Ungues basi connati, dilatati, extus convexi sulco medio, geniculati genu non barbato. Laminae patentes, apice reflexae, ovatae, acuminatae, obtusae, lineâ supra elevatâ, subtus sulco longitudinali, margine omni cartilagineo crispae, unguem latae; tres alternae paulo angustiores. Petala omnia carnoso-fragilia, fatiscentia, pollicaria. Color subtus pallide flavus nigredine pellucente; supra tristis seu ex purpureo fuscus, unguibus purpureis fasciis lineisque transversis. Margo pulcherrime crispus, subolivaceus. *Filamenta* tria, ultra medium in cylindrum purpureo-maculatum connata, apice linearia, marginata, patentia, stigmatibus subjecta, longitudine unguium. *Antherae* ovatae, compressae, incumbentes, subcordatae, subtus fuscae, supra fulvae. *Germen* inferum. *Stylus* filiformis, albus, cylindro staminum inclusus, ejusque longitudine. *Stigmata* tria, bifida fere ad basin: laciniae lineares, patentes, filiformi-multifidae filis apice flavescentibus, purpureae, divaricatae, lineam longae. *Capsula* oblonga, trigona angulis obtusis, glabra, trisulca, trivalvis, trilocularis. *Semina* plurima, ovata, glabra. *Differt* ab IRIDIBUS: stigmatibus neque bilabiatis, neque petaliformibus; petalis omnibus patentibus. *Convenit* cum GALAXIIS: staminibus monadelphis et stigmatibus filiformi-multipartitis.

Variat petalis supra albis, purpureo-variegatis et punctatis. *Corolla* colore et crispaturâ refert araneam majorem. *Facile* decidunt corollae et difficile siccantur. *Petala* margine densissime crispa uti et pulcherrime. *Intima* spatha tenuissima et pellucida est. *Planta* tota carnosa, glabra et subdiaphana. *Odor* parum ingratus, debilis. *Tristis* et cadaverosus corollae color Muscas, ut sibi insideant, allicit instar Stapeliae. *Circa* horam quartam vespertinam, ante occasum solis, flores claudit et iterum horâ nonâ matutinâ aperit.

XXXII. IRIS.

Cor. 6-*petala*, *inaequalis*. *Petala alterna*, *geniculato-patentia*. *Stigmata* 3, *cucullato-bilabiata*.

1. I. (*ciliata.*) barbata; foliis ensiformibus ciliatis. Iris *ciliata*. Diss. nostr. de Iride. p. 8. *Linn.* System. Veget. XIV. p. 88.

Crescit in collibus prope urbem. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Radicis bulbus ovatus, fibrosus, reticulatus, magnitudine avellanae. *Scapi* plures, quorum plurimi vaginis foliorum reconduntur et unicus floret; hic foliis vaginatus totus, simplex, compressus, debilis, albus, glaber, erectus, uniflorus, palmaris. *Folia* radicalia circiter sena, basi convoluta, scapum ad summum apicem alternatim vaginantia, acuminata, erecto patentia vel recurva, nervosa, glabra, integra, scapo subaequalia, interioribus sensim brevioribus magisque convolutis. *Corolla* lutea. Petala minora obovata. *Stigmatis* labium interius bifidum: laciniae setaceae, longitudine stigmatis. *Capsula* trigona, trisulca.

2. I. (*minuta.*) barbata; foliis ensiformibus glabris, scapo unifloro, petalis oblongis acutis. Iris *minuta*. *Thunb.* Diss. de Iride p. 8. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 88.

Crescit in proclivis Leuwestaart prope urbem Cap. Floret Augusto, Septembri.

Bulbus radicis ovatus reticulatus, magnitudine pisi majoris. *Scapus* simplex, foliis vaginatus, erectus, palmaris. *Folia* circiter quatuor, alternatim vaginantia, subfalcato-reflexa, integra, scapum aequantia, superiora sensim breviora. *Corolla* lutea. Petala minora lanceolata.

3. I. (*compressa.*) barbata; foliis ensiformibus glabris; scapo paniculato compresso. Iris *compressa*. *Thunb.* Dissert. de Iride p. 12. *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 89.

Crescit in interioribus regionibus Hottentottorum, in sylva prope Zeekorivier et alibi. Floret Octobri, Novembri.

Scapus frutescens, glaber, dichotomus, articulatus, decumbens, apice erectus, bracteatus, pedalis et ultra. *Rami* alterni, elongati, scapo similes, uniflori. *Bracteae* seu spathae in scapo et ramis alternae, compressae carinâ acutâ, glabrae, apice membranaceae, pollicares, internodiis breviores. *Folia* alterna, acuta, nervosa, scapo breviora, pedalia. *Corolla* alba. Ungues petalorum majorum parum dilatati, intus barbati, flavo-punctati; Genu maculâ flavâ; Laminae obtusae. Petalorum minorum ungues duplo angustiores, immaculati; Laminae oblongae, obtusae, erectae. *Filamenta* basi infimâ connata, subulata, alba. *Stigmata* albido-caerulescentia: labium exterius crenulatum; interius bifidum: laciniae lanceolatae, erectae, petalis breviores.

4. I. (*tripetala.*) barbata; folio lineari longiori; scapo

unifloro; petalis alternis subulatis. Iris *tripetala. Thunb.* Diss. de Iride p. 13. *Linn.* Syst Veg. XIV. p. 89.

Crescit in collibus prope Cap, juxta Picketberg et alibi rarius. Floret Augusto, Septembri.

Bulbus striatus, globosus, fibrillosus. *Folium* unicum, vaginans, canaliculatum, glabrum, nervosum, laxum, dependens, scapo duplo longius. *Scapus* simplex, erectus, teres, geniculatus, subuniflorus, glaber, pedalis. Genicula bracteis spathiformibus amplexata. *Flos* terminalis, solitarius. *Spatha* bivalvis, pedunculum amplexans: inferior brevior, acuta, glabra, unguicularis vel ultra. Intra latet flos inexplicatus cum bracteis duabus tenuissimis, lineari-oblongis. *Corolla* caerulea genu flavescente. Ungues petalorum majorum latiores, lineares, intus caeruleo-punctati, barbati basi foveâ nectareâ; laminae ovatae, acutae, caeruleo-albae, genu barbato. Petalorum minorum ungues angustissimi, extus convexi, infra genu saepe dentibus duobus oppositis: laminae geniculato-patentes, linearisubulatae. Ungues omnes basi connati, germini inserti. *Filamenta* longitudine dimidiâ tubi, basi connata. *Antherae* flavescentes. *Germen* ovatum, sexsulcatum. *Stylus* trigonus, incrassatus, glaber. *Stigmata* linearia; labium exterius obtusum: interius longissimum, acutum, longitudine fere laminarum.

5. I. (*tricuspis.*) barbata; folio lineari; scapo subtrifloro; petalis alternis trifidis. Iris *tricuspis. Thunb.* Diss. de Iride p. 14. *Linn.* Syst Veg. XIV. p. 89. Vieusseuxia *aristata. Houtt.* Nat Hist. 2. Del. t. 80. f. 1.

Crescit in collibus infra Duyvelsberg copiose, in Swartland et prope Bergrivier. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Bulbus magnitudine avellanae. *Scapus* simplex, teres, geniculatus, erectus, uniflorus vel biflorus, sesquipedalis. *Folium* unicum, nervosum, erectum, apice dependens, scapo longius, bipedale. *Laminae* petalorum majorum albae, suborbiculatae cum acumine, pollicares: ungues extus virides, intus flavi, nigro-punctati. Petala minora multoties breviora et minora, ungues extus convexi, virides, intus concavi, fusco punctati, longitudine majorum, sed angustiores: Laminae trifidae; laciniae lanceolatae, divaricatae, lineam longae, intermediâ paulo longiori, albae fusco-punctatae. *Stigmatis* labium interius bifidum: laciniae ovatae, obtusae, laminis petalorum majorum duplo breviores, albae, erectae.

Variat 1. corollâ purpureâ, violaceâ, flavâ et albâ; 2. laminis petalorum majorum subrotundis et ovatis, pollicaribus, flavis; 3. genu maculâ magnâ caeruleâ circulo violaceo et maculâ croceâ, saepe obsoletâ.

6. I. (*plumaria.*) barbata; foliis linearibus; scapo multifloro; stigmatibus setaceo-multifidis. Iris *plumaria. Thunb.* Diss. de Iride p. 15. 28. *Linn.* System. Vegetat. XIV. p. 89.

Crescit infra Duyvelsberg, juxta urbem in collibus. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Scapus geniculatus, flexuosus, erectus, apice ramosus, bracteatus, palmaris usque spithamaeus. *Folium* lineare, reflexopatens, scapo brevius. *Petala* basi connata: ungues majorum obovati, extus virescentes margine tenuiori caeruleo; intus dilute caerulei. Genu maculâ flavâ tridentatâ, lineâ duplici barbatâ. Laminae obtusae, violaceae, unguiculares: alternae paulo angustiores et breviores. *Antherae* antice croceae, apice et dorso nigrae. *Stigmata* dilute caerulea, laminis petalorum breviora, cucullato-bilabiata. Labium exterius lineare, apice setaceo-aristato setis quinque vel sex brevibus, incurvum; interius brevius, setaceo-multifidum instar petalorum *Dianthi plumarii*. *Rarissime* scapus occurrit uniflorus; saepius ramosus est ramis unifloris atque trifloris.

7. I. (*spathacea.*) imberbis; foliis ensiformibus, rigidis; scapo tereti, bifloro; spathis longissimis. Iris *spathacea*. *Thunb.* Diss. de Iride p. 17. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 90.

Crescit in Houtniquas regionibus prope Wolfwekraal, inque Lange Kloof prope Heurbooms-rivier. Hottentottis: Nokha. Floret Novembri, Decembri.

Scapus simplex, multiflorus, pedalis. *Folia* duo vel unicum, a medio ad apicem sensim valde attenuata, marginata, nervosa, striata, glabra. *Spathae* similes foliis, sed latiores, apice membranaceae, spithamaeae. *Flores* lutei.

8. I. (*ramosa.*) imberbis; foliis ensiformibus; scapo paniculato, multifloro. Iris *ramosa*. *Thunb.* Diss. de Iride p. 18. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 90.

Crescit in arenosis Svartlandiae. Floret Augusto, Septembri.

Scapus inferne teres, digitum crassus, superne ramosissimus. *Rami* subtrichotomi, paniculati, compresso-angulati, flexuosi, glabri. *Folia* radicalia ensiformia, longe vaginantia, nervosa, apice attenuata, glabra, longitudine circiter scapi. Ramea sensim breviora et in spathas abeuntia. *Flores* lutei, minuti. *Bracteae* seu spathae ad ramificationes ovatae, acutae, membranaceae, ramis et pedunculis breviores.

9. I. (*angusta.*) imberbis; folio filiformi-lineari, erecto, glabro; scapo glabro subunifloro; spathis obtusis. Iris *angusta*. *Thunb.* Diss. de Iride p. 19. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 91.

Crescit in collibus infra Duyvelsberg et Leuwekop. Floret Augusto, Septembri.

Bulbus ovatus, tunicatus, glaber, fibrosus, magnitudine avellanae. *Scapus* teres, erectus, subsimplex, vaginatus, articulatus, spithamaeus vel paulo ultra. *Folium* scapum inferne longe vaginans, acuminatum, striatum, scapo longius. *Flores* terminales, unicus vel duo, erecti, sensim florentes. *Spatha* exterior glabra, viridis, apice rubro, pollicaris; interiores tenuissimae, albae. *Ungues* petalorum majorum flavi, margine albido, utrinque purpureo-punctati. Genu laeve, croceum, circulo purpureo. Laminae ovatae, obtusae, patentes, polli-

cares, intus flavae, extus purpureo-nervosae. Petala minora lanceolata, obtusa, flava, extus fusco et purpureo striata, sensim in ungues attenuata. Ungues omnes basi connati. *Stigmatum* labium interius bifidum: laciniae oblongae acutae, interiori latere rectae, exteriori productae, erectae, flavae. *Capsula* acute trigona, obtusa.

10. I. (*setacea.*) imberbis; folio filiformi lineari, erecto, glabro; scapo glabro, unifloro; spathis acutis membranaceis. Iris *setacea. Thunb.* Diss. de Iride p. 20. cum figura. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 91.

Crescit in collibus rarior. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Scapus filiformis, saepius simplex, uniflorus: raro divisus, triflorus, erectus palmaris usque spithamaeus. *Folium* saepius unicum, rarius duo, apice cernuum, scapo duplo longius. *Flores* caerulei, minuti.

11. I. (*pavonia.*) imberbis; folio lineari, glabro; scapo subunifloro. Iris *pavonia. Thunb.* Diss. de Iride p. 21. cum figura. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 92.

Crescit in collibus Svartlandiae et alibi inter frutices rarior. Floret Augusto, Septembri.

Scapus teres, articulatus, villosus, simplex, subbiflorus, pedalis. *Folium* unicum, subcanaliculatum, striatum, villosum*), scapi longitudine. *Spathae* acutae, striatae, glabrae, bipollicares. *Pedunculi* subancipites, uniflori, glabri. *Petala* omnia basi coalita; tria exteriora multoties majora, ovata, obtusa, integra; tria interiora multo angustiora et dimidio breviora, lanceolata, acuta. *Nectaria* tria intra petala majora: singulum foliolum ovatum, obtusum, petaliforme ad basin. *Filamenta* ultra medium connata in cylindrum, lineari-subulata, corollâ multoties breviora, purpurascentia. *Antherae* stigmatibus adpressae, aurantiacae lineis duabus fuscis. *Stigmata* longitudine staminum. *Capsula* trigona. *Pulcherrimus* flos corollâ aurantiacâ: basi maculis punctisque nigris et supra basin maculâ cordatâ caeruleâ, cujus basis est tomentoso-nigra.

12. I. (*crispa.*) imberbis; foliis linearibus crispis. Iris *crispa. Thunb.* Diss. de Iride p. 22. cum figura. *Linn.* Syst. Veg. p. 92.

Crescit in collibus prope urbem Cap. Floret Augusto.

Scapus sulcatus, flexuosus, superne divisus, palmaris vel ultra. *Folia* radicalia, alterna, lineari-attenuata, reflexa, scapo aequalia vel longiora. *Flores* terminales, alterni, inferiores pedunculati, tres vel quatuor. *Corolla* 6-petala. Petala alterna majora; laminae ovatae, obtusae, venosae, unguiculares. Genu imberbe, luteum, tenuissime punctatum. Alterna minora, paulo angustiora, majoribus vix breviora, consimilia, patentia. *Antherae* ovatae, nigrae. Pollen a latere exteriore fulvum. *Stigmatis* labium

*) In diagnosi: *glabrum. Editor.*

exterius brevissimum, luteum; interius bifidum, luteum: laciniae lanceolatae, acutae, longitudine petalorum.

Variat: petalis incarnatis, caeruleis et luteis venis sanguineis.

13. I. (*papilionacea.*) imberbis; foliis linearibus, reflexis, hirtis. Iris *papilionacea. Thunb.* Diss. de Iride p. 23. cum figura. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 92.

Crescit in collibus prope Cap, vulgaris. Floret Junio, Julio, Augusto.

Bulbus ovatus, tunicatus, magnitudine pisi majoris. *Scapus* erectus, pilosus, divisus, multiflorus, palmaris. *Folia* alternantia, ensiformia, convoluta, flexuoso-recurvata; extus lineata, pilosa; intus pubescentia, longitudine scapi vel paulo longiora; superiora breviora, suprema spathaeformia. *Spathae* binae, vaginantes, foliis similes, pilosae. *Pedunculi* trigoni, ex eodem centro bini tres vel quinque, incrassati, glabri, inaequales, sensim florentes. *Ungues* petalorum majorum latiores, basi foveâ nectariferâ, viridi-variegati. Laminae ovatae, acutae. Genu imberbe circulo viridi. Minorum petalorum ungues lineares; laminae ovato-oblongae, acutae. Ungues omnes basi connati. *Stigmatum* labium interius bifidum: laciniae oblongae, acutae.

Varietates sunt plures: 1. Corolla tota flava: genu circulo viridi. 2. Petalis et pistillis intus rubris; genu macula flava: circulo fusco. 3. Petalis tribus majoribus totis flavis: genu circulo viridi; petalorum trium minorum laminis pistillorumque labiis internis sanguineis.

Obs. Differt ab Iride *ciliata*: 1. foliis totis hirtis. 2. laminis alternis ovatis.

14. I. (*edulis.*) imberbis; folio lineari, pendulo, glabro; scapo glabro, multifloro. Iris *edulis. Thunb.* Diss. de Iride p. 24. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 92.

Hollandis, Capitis bonae spei incolis: Uijentjes. Crescit in arenosis Groene kloof, Swartland, campis depressis extra urbem Cap, in collibus Dayvelsberg et alibi vulgatissima. Floret a Julio usque in Novembris mensem.

Scapus profunde radicatus, teres, flexuosus, superne divisus, pedalis. *Folium* scapum inferne longe vaginans, erectum, apice dependens, scapo triplo longius. *Flores* solitarii vel plures, alterni, subsecundi. *Petala* basi connata. *Filamenta* subulata, alba, basi, uti corolla, connata. *Antherae* antice sulcatae, flavae vel albae. *Stigmatis* labium exterius obtusum, integrum; interius bifidum: laciniae lanceolatae, acutae, latere altero producto crenulatae, erecto-inflexae, longitudine petalorum minorum.

Variat 1. Corollâ caeruleâ, in qua ungues petalorum majorum intus fusco-striati; genu imberbe, fusco-striatum; laminae crenulatae, pollicares. Petala minora lineari-lanceolata, obtusa, emarginata, unguibus majorum paulo longiora, majoribus duplo angustiora. 2. Corollâ albâ. 3. Corollâ luteâ, in qua ungues petalorum majorum obovati, extus virescentes lateribus

flavis; intus flavi maculis flavo-virentibus, villosi. Laminae oblongae, obtusae, flavae, pollicares. Genu imberbe, croceum maculâ flavâ. Petala minora lutea. *Usus:* Bulbi eduntur tam a Simiis, quam ab Incolis cocti.

15. I. (*tristis.*) imberbis; foliis linearibus, glabris; scapo hirto, ramoso. Iris *tristis. Thunb.* Diss. de Iride p. 25. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 92.

Crescit infra Duyvelsberg prope urbem Cap. Floret Julio, Augusto et sequentibus mensibus.

Scapus divisus, erectiusculus, multiflorus, spithamaeus. *Rami* seu pedunculi flexuosi, patentissimi, hirsuti, uniflori usque triflori. *Folia* alterna, ensiformi linearia, undulata, nervosa, apice dependentia, scapo longiora. *Petala* minora dimidio angustiora, ovato-lanceolata. Tubus virescens, basi connatus. Laminae omnes tristes seu triste rufescentes, carinâ rubrâ. Genu imberbe, laete luteum. *Antherae* caeruleae. *Stigmatis* labium interius bifidum: laciniae lanceolatae, carinâ intus caeruleae, laminis paulo breviores.

16. I. (*polystachya.*) imberbis; foliis linearibus, planis; scapo glabro ramoso. Iris *polystachya. Thunb.* Diss. de Iride p. 25. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 92.

Crescit inter Vischrivier et Söndags rivier. Floret Decembri, Januario.

Scapus teres, superne ramosus, articulatus, multiflorus, pedalis et ultra. *Folia* alternantia, apice setaceo-attenuata, nervosa, erecta, scapum aequantia. *Flores* magni, speciosi, caerulei, genubus luteis. *Spathae* apice scariosae, lacerae. *Differt* ab Iride *ramosa:* scapo ramoso, pedunculis simplicibus.

17. I. (*viscaria.*) imberbis; foliis linearibus, planis, scapo viscoso. Iris *viscaria. Thunb.* Diss. de Iride p. 26. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 92.

Crescit in arenosis Saldanhae bay. Floret Augusto, Septembri.

Folia pauca, alterna, erecta, scapo longiora. *Scapus* teres, glaber, articulatus, flexuoso-erectus, superne ramosus, glutinosus, purpurascens, pedalis. *Pedanculi* alterni, flexuosi, glutinosi, uniflori. *Laminae* petalorum majorum ovatae, obtusae, unguiculares. Genu imberbe, albidum. Petala minora similia, sed paulo angustiora, et breviora. Ungues extus et intus albido-virescentes. *Stigmatis* labium interius bifidum; laciniae lanceolatae, laminis majorum duplo breviores; exterius bifidum, duplo brevius.

18. I. (*bituminosa.*) imberbis; foliis linearibus, spiralibus; scapo viscoso. Iris *bituminosa. Thunb.* Diss. de Iride p. 26. cum figura. *Linn.* Syst. Vegetab. XIV. p. 92.

Crescit prope Bergrivier, Vierentvintig rivieren et alibi. Floret Augusto, Septembri.

Scapus articulatus, flexuoso-erectus, superne ramosus, gluti-

nosus, pedalis et ultra. *Folium* unicum, lineare, apice attenuatum, spirale, striatum, glabrum, scapo brevius. *Spathae* articulos vaginantes, striatae, glabrae. *Flores* in pedunculis solitarii. *Pedunculi* e vaginis cum scapo duo, filiformes, flexuosi, patentes, viscosi, pollicares et ultra. *Corolla* tota unicolor, flava, reflexa. Petala tria majora obtusa. Genu imberbe, rubro-punctatum. *Stigmata* lutea: labium exterius minimum; interius bifidum: laciniae lanceolatae, acutae, longitudine petalorum minorum vel unguiculares.

Obs. Corollae ungues in IRIDIBUS Capensibus parum, quandoque infima basi tantum connati; Filamenta verò plerumque basi plus minus in cylindrum connata inveniuntur. Minime vero ab IRIDE, genere valde naturali, separandae erunt.

XXXIII. WACHENDORFIA.

Cor. 6-petala, inaequalis, infera. Caps. trilocularis.

1. W. (*thyrsiflora.*) scapo subsimplici; paniculâ coarctatâ; foliis ensiformibus, quinquenervibus, plicatis, glabris. WACHENDORFIA *thyrsiflora. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 94. Ejusd Spec. Plantar. p. 59.

Crescit in arenosis et inundatis Groene kloof et Svartland. Floret Septembri, Octobri.

Radix carnosa. *Folia* equitantia, integra, nervosa, nervis quinque majoribus, erecta, scapo breviora, pollicem lata. *Scapus* erectus, nec ramosus nisi in panicula coarctata, superne, uti et pedunculi, tomentosus, bipedalis. *Flores* paniculati, aurantiaci. *Panicula* pedalis et ultra. *Bracteae* sub pedunculis lanceolatae.

2. W. (*paniculata.*) scapo polystachyo; paniculâ patenti; foliis ensiformibus, trinervibus, plicatis, pilosis. WACHENDORFIA *paniculata. Linn.* Syst. Veg. pag. 94. Ejusd. Spec. Plant. p. 59.

Crescit in arenosis Groene kloof et Svartland cum priori, et infra Duyvelsberg rarior. Floret Augusto, Septembri, Octobri.

Folia utrinque attenuata, nervosa nervis tribus vel quatuor majoribus, erecta, pollicem lata, scapo breviora. *Scapus* ramosus ramis patentibus, divaricatis; hirtus, pedalis et ultra.

3. W. (*hirsuta.*) scapo polystachyo; paniculâ patenti; foliis ensiformibus, trinervibus, plicatis, villosis.

Crescit in arenosis campis Svartlandiae et Saldanhae baij. Floret Septembri, Octobri.

Folia pauca, versus apicem attenuata, hirsuta villo albo, erecta, scapum aequantia. *Scapus* erectus, hirsutus, superne paniculatus. *Flores* cernui purpurei.

4. W. (*tenella.*) scapo subpolystachyo; paniculâ patenti; foliis linearibus, trinervibus, glabris.

Crescit inter Lange Valley et Heeren Logement atque alibi in dunis extra Cap. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Scapus herbaceus, erectus, hirsutus, supernè parum ramosus, pedalis. *Folia* lineari-elliptica, utrinque attenuata, erecta, scapum subaequantia, duas lineas lata. *Flores* paniculati, purpurei. *Panicala* parum ramosa.

Obs. Multo minor et tenerior est praecedentibus speciebus, et satis distincta foliis angustioribus.

5. W. (*graminea.*) scapo polystachio; paniculâ patenti; foliis ensiformibus, canaliculatis, glabris. WACHENDORFIA *graminifolia. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 94.

Crescit prope rivos juxta Drakenstein. Floret Junio.

Scapus erectus, subtomentosus, supra paniculatus, crassitie calami. *Folia* integra. *Florum* panicula subfastigiata floribus luteis. *Planta* obscura et dubia, semel tantum inventa.

XXXIV. XYRIS.

Cor. 3-petala, aequalis, crenata. Glumae 3-valves in capitulum. Caps. supera.

1. X. (*capensis.*) capitulo ovato, foliis linearibus brevissimis.

Crescit in montibus prope Verkeerde Valley. Floret Decembri.

Scapus filiformis, simplex, solitarius, erectus, tenuissime striatus, glaber, pedalis et ultra. *Folia* pauca, radicalia, glabra, scapo multoties breviora. *Flores* terminales, capitati. *Capitulum* acutum: *squamae* imbricatae, ovatae, obtusae, glabrae. *Corolla* monopetala, tripartita, lutea. *Tubus* brevis. *Limbi* laciniae ovatae, concavae, lineam longae. *Filamenta* tria, brevia, linearia barbâ interjectâ luteâ. *Antherae* ovatae. *Stylus* filiformis. *Stigmata* tria, incrassata, revoluta, albida.

Obs. Corolla in hac, uti et in MORAEIS, basi coalita. *Differt* a X. *indica*, cui valde similis: 1. quod longe tenerior. 2. foliis linearibus brevissimis nec ensiformibus. 3. scapo unico e radice, nec pluribus. 4. capitulo ovato, acuto, nec globoso.

XXXV. ELEGIA.

♂. *Cal.* 6-*glumis, inaequalis. Cor.* 0.
♀. *Caps.* 3-*locularis.*

1. E. (*juncea.*) *Linn.* Mant. p. 292. RESTIO *elegia. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 882. RESTIO *thyrsifer. Rottb.* Gramin. p. 1. Tab. 3. f. 5.

Crescit in collibus montium prope Cap, in summitate Taffelberg et alibi. Floret Januario et sequentibus aestatis mensibus.

Culmus simplex, rarius ramosus, teres, aphyllus, articulatus, glaber, erectus, pedalis et ultra. *Stipulae* articulos vaginantes, magnae, ovatae, rigidae, erectae, glabrae, flavae margine mem-

branaceo, deciduae, pollicares. *Florum* spicae paniculatae, alternae, bracteatae, erectae, plurimae, a medio saepe culmo ad apicem. *Bracteae communes* sessiles, ovato-oblongae, acutae, concavo-planae, erectae, rigidae, glabrae, flavae, margine membranaceae, spicis longiores, deciduae; inferiores remotiores et majores, superiores approximatae et minores; *partiales* lanceolatae, acutae, minimae. *Spicae* ovatae.

XXXVI. WILLDENOWIA.

Dioica: Cal. multiglumis. Cor. 6-petala. Nux 1-locularis.

1. W. (*striata.*) culmo dichotomo aphyllo striato; ramis teretibus; floribus terminalibus, solitariis.

Culmus fruticescens, ramosus, raro trichotomus, saepissime dichotomus, teres articulatus, glaber, erectus, bipedalis et ultra. *Rami* striati. *Vaginae* articulorum et ramificationum ovatae, glabrae, fuscae. *Folia* nulla. *Flores* erecti, magnitudine pisi, dioici. *Squamae* calycinae circiter decem, raro duodecim vel pauciores, sparsim imbricatae, aequales, oblongae, acuminatae, bruneae margine membranaceo, glabrae, unguiculares. *Corolla* hexapetala, in basi fructus inserta. Petala rotundata, membranacea, alba, drupa multoties breviora eique adpressa. *Styli* duo, brevissimi, lati, basi fissi, flavi. *Stigmata* brevia, obtusa, brunea, tomentosa. *Drupa* ovata, nigra, punctata, 1-locularis vel bilocularis.

2. W. (*teres.*) culmo dichotomo, aphyllo, laevi; ramis teretibus; floribus terminalibus solitariis.

Culmus fruticosus, ramosissimus, articulatus, trichotomus et dichotomus, teres, glaber, erectus, pedalis et ultra. *Rami* culmo similes, subfastigiati. *Vaginae* ramificationum et ramorum ovatae, glabrae, fuscae, unguiculares. *Flores* erecti, dioici. *Squamae* calycinae circiter sex, ovatae, aristatae, griseae, glabrae. *Corolla* 6 petala, basin fructus cingens. Petala aequalia, rotundata, emarginata, membranacea, nitida, brevissima. *Stylus* unicus, brevissimus. *Stigmata* duo, simplicia, attenuata, plumosa, purpurascentia. *Drupa* dura, ovata, atra, glabra, unilocularis. *Differt* a W. *striata:* 1. squamis floris paucioribus. 2. culmo laevi et magis ramoso. 3. stigmatibus longis, attenuatis. 4. drupâ laevi.

3. W. (*compressa.*) culmo dichotomo, folioso, laevi; ramis compressis; floribus terminalibus solitariis.

Culmus frutescens, erectus, glaber, trichotomus et dichotomus, bipedalis et ultra. *Rami* compressi vel semiteretes, virgati. *Vaginae* ramificationum ovatae, acuminatae. *Folia* in ramulis, ramis similia, filiformi-setacea. *Flores* erecti, magnitudine pisi, dioici. *Squamae* calycinae imbricatae, ovatae, acuminato-aristatae, glabrae, margine membranaceae. *Corolla* 6 petala, basin fructus cingens. Petala ovata, acuta, membranacea, longitudine fructus. *Stylus* unicus. *Stigmata*

tria, plumosa. *Drupa* ovata, compresso-anceps, obtusa, cinerea.

XXXVII. RESTIO.

Dioica. Flores intra strobilum collecti ovatum vel oblongum, multiflorum.

1. R. (*imbricatus.*) culmo simplici aphyllo; spicâ oblongâ compressâ. Restio *imbricatus. Thunb.* Dissert. de Restione p. 9. fig. 1.

Culmus teres, articulatus, erectus, bipedalis et ultra. *Stipulae* articulos vaginantes. *Spica* solitaria, terminalis, ovato-oblonga, brunea, glabra, erecta, pollicaris. Squamae imbricatae apice patulo, oblongae, acutae, concavae, glabrae, imprimis versus apicem bruneae. *Calyx* compressus, inaequalis, 6-glumis: glumae duae exteriores naviculares, obversae, majores; quatuor interiores lanceolatae. *Stylus* unicus. *Stigmata* duo, clavata, altero latere plumosa.

2. R. (*vaginatus.*) culmo simplici aphyllo; spicis alternis erectis; squamis acuminatis. Restio *vaginatus. Thunb.* Dissert. p. 10.

Culmus et vaginae ut in antecedente. *Spicae* subsessiles in rhachide flexuosa, oblongae, tres vel quatuor. Squamae imbricatae apice patulo, concavae, ovatae, glabrae, bruneae margine membranaceo pallidiore lacero. *Spicas* ante explicationem florum tantum, nec flores vidi.

Obs. Aliqua hujus similitudo quidem est cum Restione *distachyo* Dn. *Rottbölliі;* at tamen distinctus ob spicas plures et squamas spicarum lato-ovatas, concavas, acuminatas, laeves, laceras.

3. R. (*elongatus.*) culmo simplici, aphyllo; spicis alternis, erectis, ramosis.

Culmus teres, erectus, laevis, quadripedalis. *Spicae* pedunculatae, ovatae, non involucratae. *Squamae* lacerae, obtusiusculae. *Differt* a R. *vaginato:* 1. culmo altiori, laevi nec punctato rugoso. 2. spicis ramosis, pedunculatis.

4. R. (*aristatus.*) culmo simplici, aphyllo; spicis terminalibus, obovatis, erectis; squamis aristatis. Restio *aristatus. Thunb.* Dissert. p. 10. fig. 4.

Culmus ut in prioribus. *Spicae* in Mare solitaria vel duae approximatae, turbinatae; in Femina usque quinque, oblongae. Squamae dense imbricatae, ovatae, concavae, setaceo-aristatae, glabrae, bruneae. ♂. Calyx 6-glumis: glumae aequales, obovatae seu inferne attenuatae, acutae, ferrugineae, unguiculares. *Filamenta* capillaria, alba, longitudine corollae. *Antherae* lineares, fuscae, flavo-striatae. ♀. Stylus unicus, brevis. *Stigmata* duo, patentia, plumosa.

5. R. (*cernuus.*) culmo simplici, aphyllo; spicis turbi-

natis, pendulis; squamis obtusis cum acumine. Restio *cernuus. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 882. *Thunb.* Dissert. p. 10. fig. 2.

Crescit in collibus infra Taffelberg, latere orientali.

Culmus filiformis, articulatus, erectus, glaber, bipedalis et ultra. *Folia* nulla, sed in articulis vaginae oblongae, obtusae. *Spicae* tres, quatuor vel quinque, pedunculatae, obtusae, cernuae, magnitudine pisi. *Pedunculi* capillares. *Squamae* imbricatae, rotundatae, bruneae, glabrae. *Calyx* subaequalis, compressus, 6-glumis: glumae lanceolatae, acutae, glabrae. *Filamenta* tria, brevissima. *Antherae* lineares, flavae. *Flores* femineos non vidi.

6. R. (*umbellatus.*) culmo simplici, aphyllo; spicis umbellatis, ovatis; squamis oblongis, obtusis. Restio *umbellatus. Thunb.* Diss. p. 17. fig. 3.

Calmus ut in R. *cernuo. Spicae* tres vel plures, umbellâ simplici vel compositâ, obovatae, obtusae, patentes, piso majores. *Pedunculi* capillares. *Squamae* sexfariam imbricatae, concavae, bruneae margine pallidiore, glabrae. *Calyx* et stamina omnino ut in R. *cernuo. Differt* a R. cernuo, cui valde similis: 1. spicis pluribus, umbellatis, ovatis. 2. squamis spicarum oblongis, obtusis.

7. R. (*nutans.*) culmo simplici, aphyllo; spicis cylindricis, cernuis; squamis laceris, acuminatis.

Calmus teres, bipedalis et ultra. *Spicae* paniculatae, nutantes, glabrae, oblongae, unguiculares.

8. R. (*spicigerus.*) culmo simplici aphyllo; spicis oblongis, hexagonis; squamis lanceolatis, apice patulis. Restio *spicigerus. Thunb.* Dissert. p. 11. fig. 5. 6.

Culmus teres, fruticescens, articulatus, glaber, erectus; bipedalis et ultra. *Folia* nulla, sed in singulo articulo stipula vaginans, pollicaris. ♂. *Spicae* a medio fere culmo ad apicem, umbellatae, plurimae, subcylindricae, erectae, subpollicares; umbellae subpaniculatae, patenti-cernuae. *Squamae* sexfariam imbricatae concavae, subcarinatae, bruneae, glabrae. *Pedunculi* trigoni, glabri, laxi, flexi. *Calyx* aequalis, 6-glumis: glumae lanceolatae, glabrae. *Filamenta* brevissima. *Antherae* oblongae, longitudine calycis. ♀. *Spicae* a medio culmo ad apicem racemosae, erectae, obtusae, bruneae, glabrae, subhexagonae, crassitie fere digiti, unguiculares usque pollicares. *Squamae* sexfariam imbricatae, lato-lanceolatae apice acuto patulo, concavae, subcarinatae, bruneae, glabrae. *Pedunculi* trigoni, stricti, glabri. *Calyx* inaequalis, compressus, concavus, 6-glumis: glumae duae exteriores majores, naviculares, obversae; interiores quatuor lanceolatae, minores. *Stylus* unicus. *Stigma* simplex, plumosum.

9. R. (*acuminatus.*) culmo simplici, aphyllo; paniculâ

simplici erectâ; squamis aristatis. Chondropetalum *nudum*. *Rottb.* Gram. p. II. t. 3. f. 3. ♀. *Thunb.* Diss. p. 13.

Culmus ut in plurimis praecedentibus. *Spicae* subpaniculatae, erectae, ovatae, bracteatae. *Pedunculi* in articulo singulo tres vel plures inaequales, flore intermedio sessili. *Squamae* sub singulo flore ovatae, acuminato-aristatae, glabrae, bruneae. *Calyx* aequalis, 6-glumis: glumae concavae, ovatae, obtusae, glabrae, minimae. *Filamenta* brevissima. *Antherae* ovatae, fuscae. *Feminam* non vidi.

10. R. (*tectorum.*) culmo simplici, aphyllo; spicis racemosis, subsecundis; glumis fuscis, nitidis. Chondropetalum *denstum*. *Rottb.* Gram. p. 10. t. 3. f. 2. ♂. Restio *tectorum*. *Linn.* Supplem. Syst. p. 425. Ejusd. Syst. Veget. XIV. p. 882. *Thunb.* Diss. p. 13.

Crescit in campis sabulosis extra Cap et alibi vulgaris.

Culmi e radice plures, filiformes, subcompressi, glabri, laeves, erecti, articulati, bipedales et ultra. *Vaginae* articulorum nigrae, acutae, glabrae, deciduae. *Spicae* subpaniculatae, adpressae, plurimae in summitate. *Spiculae* culmi pedicellatae, glomeratae, subsecundae, trigonae, acutae. *Squamae* trifariam imbricatae, concavae, ovato-lanceolatae, acutae, exteriores nigrae, interiores bruneae. *Stigmata* plumosa; marem non vidi.

Usus: Domibus obtegendis communissime in tota colonia Capitis bonae spei. Europaeis inserviunt culmi, tecta a vehementissimis ventibus, ibi vulgaribus et per integrum fere annum saevientibus, sarta efficientes.

11. R. (*parviflorus.*) culmo simplici aphyllo; paniculâ erectâ; squamis rotundatis, membranaceis. Restio *parviflorus*. *Thunb.* Dissert. p. 13.

Culmus ut in praecedentibus plurimis. *Paniculae* terminales, aggregatae. *Spicae* ovatae, obtusae, erectae, strobiliformes. *Squamae* concavae, margine membranaceo-albidae, glabrae. *Calyx* subaequalis, 6-glumis: Glumae oblongae, interiores albidae, exteriores bruneae, minimae. *Filamenta* brevissima. *Antherae* ovatae, exsertae, didymae, ferrugineae, flavo-striatae. *Feminam* non vidi.

12. R. (*erectus.*) culmo simplici aphyllo; paniculâ erectâ involucratâ; spathis imbricatis lanceolatis.

Culmus ut in plurimis antecendentibus. *Paniculae* spicarum alternae, tres vel quatuor, erectae, patentes. *Pedunculi* et pedicelli compressi, bracteati. *Bractea* seu spatha in basi singuli pedunculi, pedicelli et flosculi, acuta, glabra, parva ♂. *Calyx* 6-glumis: glumae aequales, lanceolatae, glabrae. *Filamenta* brevissima. *Antherae* oblongae. *Flores* femineos non vidi.

13. R. (*argenteus.*) culmo simplici, aphyllo; paniculâ erectâ; squamis lanceolatis, scariosis. Restio *argenteus*. *Thunb.* Diss. p. 14.

Culmus ut in praecedentibus. *Spicae* racemosae, alternae,

seu e gemmis racemi plures, inaequales: spiculis sessilibus et pedunculatis, erectis, ovatis. *Squamae* imbricatae, totae scariosae, argenteo-nitentes, acuminatae. ♂. *Calyx* aequalis, 6-glumis: glumae lanceolatae, acuminatae, concavae, glabrae. *Feminam* videre non contigit.

14. R. (*scariosus.*) culmo simplici, folioso; squamis spicarum lanceolatis, scariosis. Thamnochortus *fruticosus. Berg.* Plant. Capens. p. 353. tab. 5. fig. 8. *Thunb.* Diss. p. 15.

Crescit in collibus infra latus orientale Taffelberg.

Culmus teres, fruticescens, tenuissime villosus, erectus, pedalis et ultra. *Folia* e vaginis plura, dichotome ramosa; laciniae paniculatae, filiformi-capillaceae, stipulatae stipulis argenteis laceris. *Florum* spicae in mare paniculato-umbellatae, patentes, oblongae; in femina racemosae et subsessiles, ovatae, crassiores et breviores. *Squamae* imbricatae, totae scariosae carinâ obscuriore, argenteae, unguiculares. *Calyx* compressus, inaequalis, 6-glumis: glumae duae exteriores majores, naviculares, compressae, obversae, acutae, margine membranaceae; interiores quatuor lanceolatae. Calyx feminini floris duplo latior. *Stylus* unicus. *Stigma* simplex, plumosum.

15. R. (*thamnochortus.*) culmo simplici, folioso; paniculâ patenti; squamis lanceolatis, margine scariosis. Restio *dichotomus. Rottb.* Gram. p. 2. t. 1. f. 2. ♂. *Thunb.* Diss. p. 15.

Culmus basi decumbens, radice repente squamosâ, solitarius vel plerumque plures, teretes, erecti, glabri, pedales et ultra. *Folia* per totum culmum sparsa, e vaginis alterna, dichotome ramosa laciniis subulatis, stipulata stipulis argenteis, patentia. *Panicula* terminalis, in mare patens, e spicis ovatis, ferrugineis, nitidis; in femina spicae racemosae. *Squamae* imbricatae, ovatae, acuminatae, ferrugineae, glabrae, margine argenteo-scariosae. ♂. *Calyx* 6-glumis, parum compressus, subaequalis: glumae lanceolatae; exteriores duae paulo longiores, obversae. ♀. *Calyx* compressus, latior quam in mare.

16. R. (*fruticosus.*) culmo simplici, folioso; paniculâ compositâ; squamis scariosis, laceris. Restio *fruticosus. Thunb.* Dissert. p. 16.

Culmus basi squamosus, teres, vaginatus, fruticescens, glaber, erectus, simplex seu superne paniculatus, tripedalis et ultra. *Vaginae* alternae, setaceo-acuminatae, lacerae, fuscae. *Folia* heic ut in R. *thamnochorto*, sed magis protracta et elongata. *Flores* a medio fere culmo ad apicem paniculati. *Pedunculi* communes subcompressi, inaequales, glabri. *Bracteae* singulos flores vestientes, acuminatae, scariosae, lacerae. *Explicatos* flores non vidi, sic ut partes fructificationis examinare non licuerit. Differt a R. *thamnochorto*, quod strobilus heic nullus.

17. R. (*triflorus.*) culmo simplici, folioso; spicis alter-

nis, sessilibus. Restio *triflorus. Rottb.* Gram. p. 3. t. 2. f. 2. ♂. *Thunb.* Dissert. p. 16.

Culmi e radice caespitosa plures, filiformes, laxi, glabri, erecti, pedales vel paulo ultra. *Folia* radicalia plura, pauciora in culmo, filiformia vel capillaria, articulata, vaginata, dichotome sed rarissime divisa, erecta, culmum subaequantia. *Spicae* terminales, plerumque tres, rarius plures, ovatae. *Squamae* imbricatae, ovatae, acutae, bruneae margine membranaceo. *Flores* non vidi. Diversus certe a R. *simplici Forsteri.*

18. R. (*bifidus.*) culmis simplicibus, bifidisque, filiformibus, aphyllis; spicis erectis.

Culmi simplices, raro bifidi, rarius bis bifidi, erecti, pedales et ultra. *Spicae* terminales, unica vel binae, ovatae. *Squamae* ovatae, acuminatae, glabrae.

19. R. (*cuspidatus.*) culmo ramoso, folioso, tereti; stipulis scariosis; squamis aristatis.

Culmus basi decumbens, superne ramosus, flexuoso-erectus, glaber, pedalis. *Folia* in supremo culmo, trigona, unita vaginis stipularibus scariosis. *Spicae* duae vel tres, terminales, ovatae, glabrae.

20. R. (*tetragonus.*) culmo ramisque tetragonis; spicis alternis. Restio *tetragonus. Thunb.* Dissert. p. 17.

Culmus fruticescens, angulis acutis, aphyllus, glaber, erectus, bipedalis et ultra. *Rami* alterni, pauci, aphylli, erecti, floriferi. *Vaginae* articulorum oblongae, acutae, membranaceae. *Spicae* in ramis et ramulis sessiles vel terminales, ovatae, acutae. *Squamae* imbricatae, ovatae, acutae, glabrae, bruneae margine pallidiore. *Calyx* 6-glumis: glumae lanceolatae; exteriores duae obversae, majores, lanceolatae, carinâ ciliatae; interiores tenuissimae minores. *Filamenta* brevissima. *Antherae* oblongae.

21. R. (*squamosus.*) culmo ramoso, tereti; ramis alternis, squamosis; spicis globosis, erectis.

Culmus erectus, pedalis et ultra. *Rami* similes, subfastigiati. *Squamae* loco foliorum in culmo et ramis alternae, ovatae, erecto-patulae, brevissimae. *Spicae* terminales in ramulis, piso minores. *Calycis* squamae trigonae, acutae, glabrae.

22. R. (*triticeus.*) culmo dichotomo, aphyllo, erecto; ramis teretibus; spicis alternis. Restio *triticeus. Rottb.* Gram. p. 7. t. 3. f. 1. ♂. ♀. *Thunb.* Dissert. p. 17.

Crescit in campis sabulosis prope Cap.

Culmus trichotomus et dichotomus, teres, glaber, papillosus punctis albis parum scabris, bipedalis et ultra. *Rami* filiformes, culmo similes. *Vaginae* ramificationum ovatae, obtusae cum acumine, fuscae. *Spicae* circiter quinque, ovatae. *Squamae* imbricatae, ovatae, concavae, acutae, uniflorae, glabrae. *Calyx* subaequalis, 6-glumis: glumae exteriores parum majo-

res, obversae, lanceolatae; interiores paulo angustiores, albidae. *Filamenta* tria, capillaria, albida, longitudine calycis. *Antherae* oblongae, didymae. *Styli* duo, setacei, villosi, longitudine calycis.

23. R. (*glomeratus.*) culmo dichotomo, aphyllo, laevi; paniculâ glomeratâ. Restio *glomeratus*. *Thunb.* Diss. p. 18.

Culmus teres, erectus, pedalis et ultra. *Rami* similes. *Flores* terminales, paniculati, spicis glomeratis. *Squamae* ovatae, acuminatae, flavescentes, fusco-irroratae, glabrae. *Flores* nunquam vidi explicatos.

24. R. (*incurvatus.*) culmo dichotomo, aphyllo, striato; spicis imbricato-aggregatis. Restio *incurvatus*. *Thunb.* Diss. p. 18.

Culmus teres, frutescens, glaber, bipedalis et ultra. *Rami* alterni, similes, recurvi. *Vaginae* ovatae, acuminatae. *Spicae* in ultimis ramis aggregatae, sessiles, imbricatae. *Squamae* ovatae, acuminatae, glabrae. *Flores* non vidi.

25. R. (*digitatus.*) culmo dichotomo, aphyllo; ramis teretibus; spicis ternis, oblongis. Restio *digitatus*. *Thunb.* Diss. p. 18.

Crescit in montibus Hottentots Holland. Floret Julio.

Culmus erectus, glaber, pedalis et ultra. *Rami* compressi, geniculati, dichotomi, glabri, fastigiati. *Vaginae* ramificationum lanceolatae, glabrae. *Spicae* circiter tres, terminales, glabrae, ferrugineae, unguiculares. *Squamae* laxe imbricatae, subinflato-concavae, ovatae, obtusae. ♂. *Calyx:* squamulae minutissimae, tenuissimae, albidae intra singulam spicae squamam. *Filamenta* tria, brevia. *Antherae* ovatae.

26. R. (*verticillaris.*) ramis verticillatis; paniculâ compositâ. Restio *verticillaris*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 881. *Thunb.* Diss. p. 19. fig. 7.

Crescit prope margines rivulorum in Rode Sand infra Winterhoek, in Attaquas kloof alibique. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Culmus frutescens, teres, articulatus, laevis, glaber, erectus, crassitie calami, orgyalis. *Rami* plurimi, filiformes, simplices et dichotomi, articulati, glabri, erecti, internodiis pluries longiores. *Folia* nulla, sed vaginae sub verticillis et in articulis sessiles, ovatae, coriaceae, glabrae, deciduae, sensim minores in ramis. *Panicula* patens; spicis in ultimis ramificationibus flexuosis sessilibus, ovatis, minutis. *Squamae* ovatae, obtusae, margine membranaceae, glabrae, ferrugineae. *Calyx* aequalis, 6-glumis: glumae lanceolatae. ♂. *Filamenta* tria brevissima. *Antherae* ovatae. ♀. *Styli* duo vel tres. *Stigmata* duo vel tria, setacea, villosa.

27. R. (*scopa.*) culmo dichotomo, folioso; ramis compressis; paniculae spicis conglomeratis. Restio *scopa*. *Thunb.* Diss. p. 19.

Culmus ut in R. *paniculato*. *Rami* terminati in folia setacea, fusci. *Folia* in ramis sparsa eosque terminantia, compressa, setacea, erecta, fastigiata, fusca. *Flores* in ramulis paniculatis, glomerati. *Squamae* ovatae, concavae, acuminato-aristatae, flavescentes, fusco-irroratae, imbricatae, interiores sensim minores. *Partes* floris et fructificationis non vidi.

28. R. (*virgatus.*) culmo dichotomo, folioso; ramis compressis; spicis paniculatis, pendulis. Restio *virgatus. Rottb.* Gram. p. 5. t. 1. f. 2. ♂. *Thunb.* Diss. p. 20.

Culmus frutescens, glaber, erectus, trichotomus et dichotomus, bipedalis et ultra. *Rami* compressi vel semiteretes, dichotomi, terminati in folia, erecti, fastigiati. *Vaginae* ramorum et ramulorum oblongae, acuminatae. *Folia* in ultimis ramulis filiformi-setacea. *Florum* spicae paniculâ patenti, ovatae, acutae. *Squamae* imbricatae, ovatae, obtusae, bruneae, glabrae, lacerae. *Calyx* 6-glumis: glumae exteriores obversae, lanceolatae, parum majores; interiores quatuor tenuissimae, pellucidae. *Filamenta* brevissima. *Antherae* ovatae, bruneae, luteo-striatae. *Femineos* flores videre non licuit.

29. R. (*paniculatus.*) culmo dichotomo, folioso; ramis compressis; spicis sessilibus alternis, erectis. Restio *paniculatus. Rottb.* Gram. p. 4. t. 2. f. 3. ♂. *Thunb.* Diss. p. 20. Restio *paniculatus. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 881.

Culmus ut in R. *virgato*. *Rami* dichotomi, compressi seu semiteretes, virgato-paniculati, glabri. *Folia* in ramis dichotome ramosa, setacea, curvata, vaginis membranaceis basi cincta. *Spicae* in ramorum apicibus dichotomis ovatae. *Squamae* imbricatae, ovatae, vix acutae, concavae, ferrugineae margine albo, membranaceo. ♂. *Calyx* 6-glumis: glumae ut in R. *virgato*. Differt a. R. *virgato*: 1. foliis capillaceis curvatis. 2. spicis sessilibus alternis erectis. 3. squamis obtusis.

30. R. (*dichotomus.*) culmo dichotomo, folioso, decumbente; ramis teretibus; spicis solitariis alternisque. Schoenus *capensis. Linn.* Spec. Plant p. 64. Restio *vimineus. Rottb.* Gram. p. t. 2. f. 1. Restio *dichotomus. Linn.* System. Veget. XIV. p. 881. *Thunb.* Diss. p. 21.

Incolis: Beesemriet. Crescit in lateribus et fossis montium prope Cap.

Culmus teres, flexuoso erectus, glaber, papillosus, saepe capillaris, ramosissimus. *Rami* filiformes, dichotomi, subfastigiati, papillosi, culmo similes. *Vaginae* ramificationum ovatae, acutae. *Folia* in ramis sparsa, dichotome ramosa, filiformi-subulata, curvata. *Spicae* in apicibus ramulorum usque quinque, oblongae, erectae, glabrae. *Squamae* imbricatae, oblongae, acutae, concavae. ♂. *Calyx* 6 glumis: glumae subaequales, lanceolatae; exteriores duae obversae, parum majores: interiores tenuiores. *Filamenta* tria, calyce breviora *Antherae* ovatae, fuscae.

Variat: 1. culmo magis vel minus decumbente. 2. ramis

filiformibus vel capillaribus. 3. spicis solitariis vel pluribus alternis.

XXXVIII. CAREX.

♂. *Amentum imbricatum. Cal.* 1-*phyllus. Cor.* 0.
♀. *Amentum, Cal. Cor. ut in* ♂. *Nectarium inflatum,* 3-*dentatum. Stigmata* 3. *Sem. triquetrum, intra nectarium.*

1. C. (*clavata.*) spicis simplicibus obovatis androgynis: supremâ masculâ, inferioribus femineis; culmo trigono.

Culmus erectus, glaber, striatus, pedalis. *Folia* in culmo alternantia, vaginantia, ensiformia, integra, multistriata, convoluta, glabra, unguem lata, culmo breviora. *Spicae* plures, duae vel tres, usque quatuor, pedunculatae, simplices, pollicares: terminalis clavata, aphylla, mascula; inferiores folio multoties longiore instructae. *Squamae* imbricatae, bruneae; dorso virides, striatae.

2. C. (*vesicaria.*) spicis masculis pluribus, femineis pedunculatis; capsulis inflatis, acuminatis, glabris. CAREX *vesicaria. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 845. Spec. Plantar. p. 1388.

Culmus trigonus, erectus, striatus, glaber, bipedalis et ultra. *Folia* ensiformia, vaginantia, integra, multistriata, glabra, subtus pallida. *Spicae* masculae una vel duae, lineari-oblongae, bruneae, terminales, pollicares et ultra; femineae plures, cylindricae, remote pedunculatae, cernuae, bipollicares: squamae ovatae, acuminatae, glabrae, bruneae dorso virescente. *Capsulae* ovatae, bifidae.

3. C. (*spartea.*) spicis androgynis, racemosis; culmo trigono, striato, filiformi, ramoso; foliis brevissimis. CAREX *indica. Schkuhr. Caric.* p. 37. T. Bb. 86.

Radix flexuosa. *Folia* radicalia plurima, linearia, apice attenuato-setacea, nervosa nervo medio crassiori, culmo breviora; in culmo alterna. *Culmus* glaber, debilis, erectiusculus, bipedalis. *Spicae* terminales, aggregatae, apice masculae, basi femineae, unguiculares.

4. C. (*capensis.*) spicâ compositâ, spiculis androgynis: inferioribus bracteâ longiori instructis; culmo compresso. CAREX *capensis. Prodr.* Fl. Gap. p. 14.

Culmus striatus, erectus, glaber, spithamaeus usque pedalis. *Folia* ensiformia, integra, nervosa, glabra, culmo juniore longiora, adultiore breviora. *Spica* oblonga, composita e spiculis pluribus glomeratis distinctis, glabris. *Bracteae* foliaceae, spicis longiores, superioribus sensim minoribus et brevioribus. *Similis* valde C. *arenariae*, sed satis distincta culmo compresso.

5. C. (*glomerata.*) spicâ composita, spiculis androgynis bracteâ longiori horizontali distinctis; culmo trigono.

Culmus erectus, striatus, glaber, pedalis. *Folia* glabra, erecta, breviora. *Spicae* glomeratae in capitulum ovatum, bracteâ distinctae, patentes, glabrae. *Bracteae* foliaceae, reflexae vel horizontales, spicis paulo longiores. *Similis* valde C. *arenariae;* sed distincta videtur: 1. spicis magis conglomeratis. 2. bracteis brevioribus, paucioribus, patentibus.

XXXIX. SCHOENUS.

Gluma e paleaceae, univalves, congestae. Cor. o. *Sem.* 1. *subrotundum inter glumas.*

1. S. (*filiformis.*) culmo tereti capillari; capitulo oblongo; involucro triphyllo.

Culmus solitarius vel plures e radice, laxi, erecti, striati, glabri, pedales vel ultra. *Folia* radicalia, plurima, capillacea, striata, glabra, erecta, culmum aequantia. *Capitulum* solitarium, glabrum, unguiculare. *Involucrum* triphyllum, raro diphyllum vel tetraphyllum, inaequale: folia basi lata, ovata, apice setacea, striata, carinata, glabra: infimum capitulo longius, saepe palmare, patens; reliqua sensim breviora. *Glumae* imbricatae, ovatae, acuminatae, carinatae, integrae, glabrae, bruneae.

2. S. (*striatus.*) culmo tereti; capitulo ovato; involucro triphyllo.

Crescit in collibus prope urbem Cap et alibi. Floret Majo, Junio.

Culmus filiformis, striatus, glaber, erectus, spithamaeus. *Folia* radicalia, filiformia, striata, glabra, brevia. *Capitulum* compositum e pluribus spicis, distinctis foliis bracteatis seu involucris. *Involucra* circiter tria, basi lanceolata, apice setacea, erecta; extimum capitulo multoties longius, intimum capitulo vix longius. *Glumae* lanceolatae, glabrae, striatae, dorso virides, margine integrae, bruneae. *Differt* a S. *nigricante:* glumis striatis et involucris tribus.

3. S. (*capitellum.*) culmo tereti; capitulo ovato; involucro diphyllo.

Culmus striatus, glaber, erectus, basi foliis vaginatus, pedalis. *Folia* basin culmi vaginantia, pauca, convoluto-filiformia, striata, glabra, curva, culmo triplo breviora. *Capitulum* terminale, saepe solitarium, raro tria alterna. *Involucrum* diphyllum, raro triphyllum, glabrum: foliola ovata, concava, apice setaceo-acuminata, erecta, extimum capitulo triplo longius, intimum vix longius. *Glumae* ovatae, acuminatae, concavae, integrae, imbricatae, glabrae, bruneae.

4. S. (*scariosus.*) culmo tereti; capitulo oblongo; involucro monophyllo; glumis margine scariosis. Scirpus *trigynus. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 98.

Culmus filiformis, striatus, erectus, glaber, spithamaeus. *Folia* radicalia plurima, convoluto-teretia, striata, glabra, curva, culmo breviora, basi vaginâ membranaceâ latâ albâ in-

voluta. *Capitulum* glabrum. *Involucrum* solitarium, lanceolatum, concavum, apice cuspidatum, spica vix longius. *Glumae* imbricatae, oblongae, cuspidatae. *Stylus* unicus. *Stigmata* duo vel tria, setacea.

5. S. (*nigricans.*) culmo tereti; capitulo ovato; involucro monophyllo. SCHOENUS *nigricans*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 95. Spec. Plant. p. 64.

Crescit prope Cap, in collibus et ad latera montium. Floret Junio et sequentibus mensibus.

Culmus filiformis, striatus, glaber, erectus, spithamaeus, usque pedalis. *Folia* radicalia filiformia, striata, glabra, erecta, culmo breviora. *Capitulum* terminale. *Involucrum* extimum ovatum, concavum, setaceo-acuminatum, capitulo duplo longius. Intra hoc a latere interiori aliud involucrum ovatum, concavum, acutum, sed absque mucrone. *Glumae* lanceolatae, naviculares carinâ acutâ, glabrae, bruneae margine albido.

6. S. (*aggregatus.*) culmo tereti, striato, aphyllo; spiculis terminali-aggregatis.

Radix fibrosa. *Folia* radicalia plura, culmum inferne vaginantia, filiformia, glabra, erecta, culmo duplo breviora. *Culmus* filiformis, glaber, erectus, bipedalis vel ultra. *Capitulum* terminale, conglomeratum e spiculis pluribus, sessilibus, bruneis, glabris, semiunguicularibus. *Involucrum* subdiphyllum, vix capitulo longius.

7. S. (*tristachyus.*) culmo tereti, articulato, laevi; capitulis tribus terminalibus. SCHOENUS *tristachyus*. Prod. Cap. p. 16.

Culmus filiformis, simplex, erectus, pedalis. *Capitula* ovata, glabra, laevia, magnitudine pisi.

8. S. (*cuspidatus.*) culmo tereti; spicis paniculatis, involucris brevioribus. SCIRPUS *cuspidatus*. *Rottb.* Gram. p. 66. tab. 18. f. 3.

Calmi saepius plures e radice caespitosa, basi vaginis bruneis cincti, filiformes, striati, glabri, erecti, pedales. *Folia* radicalia plura, basin culmi vaginantia, convoluto-filiformia, striata, glabra, curvata, breviora. *Spicae* terminales, plures, oblongae, glabrae, involucratae, bruneae. *Involucra* sub spicis setacea, longiora, erecta. *Glumae* lanceolatae, naviculares, glabrae, bruneae.

9. S. (*aristatus.*) culmo tereti, aphyllo; spicis aggregatis; involucro monophyllo; glumis cuspidatis.

Calmus tenuissime striatus, bipedalis et ultra. *Spicae* plures, terminales, involucratae. *Involucrum* exterius erectum, spicis duplo longius, basi concavo-vaginans, lanceolatum; interius simile, longitudine spicarum. *Glumae* circiter sex, exteriores ovatae, concavae; interiores lanceolatae; omnes integrae, glabrae, ferrugineae.

10. S. (*compar.*) culmo tereti, aphyllo; spicis aggregatis; involucris monophyllis, brevioribus; glumis acutis. Schoenus *compar. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 95. *Rottböll.* Gram. p. 65. tab. 18. fig. 4.

Culmus striatus, glaber, pedalis et bipedalis. *Spicae* plures, subumbellatae, involucratae, glabrae. *Involucrum* singulum sub spicis solitarium, lineare, striatum, glabrum, erectum, longitudine spicarum; infimum palmare, spicis triplo longius, erecto-patens. *Glumae* ovato-lanceolatae, naviculares; subdistichae, integrae, flavescentes apicibus bruneis.

11. S. (*flexuosus.*) culmo tereti, folioso; spicis paniculatis; glumis mucronatis.

Crescit in summitate Taffelberg. Floret Aprili.

Culmus unicus e radice, articulatus, flexuosus, striatus, glaber, erectus, pedalis. *Folia* plurima radicalia, basi lata vaginantia, canaliculato-subteretia, flexuosa, acuta, laevia, glabra, culmo breviora. Ad singulum articulum folium vaginans simile, sed brevius vaginâ nigricante. *Spicae* plurimae, coarctatae, fusco-bruneae, glabrae, involucratae. *Involucra* ad exitum singulum spicarum foliacea, inferiora longiora, spicas aequantia. *Glumae* imbricatae, ovatae, concavae, glabrae, integrae.

12. S. (*capillaceus.*) culmo tereti, folioso; spicis subracemosis; glumis cuspidatis; foliis capillaribus.

Culmi e radice caespitosa plures, filiformi-articulati, striati, erecti, glabri, bipedales. *Folia* radicalia plurima, semiteretia, striata, glabra, laxa, flexuosa, erecta, culmum subaequantia; in culmo similia vaginâ nigrâ. *Spicae* erectae, fusco-ferrugineae, glabrae, involucratae. *Involucrum* singulum sub ramificatione racemorum foliaceum, setaceo-acuminatum, spicis vix longius. *Glumae* imbricatae, lanceolatae, acuminatae, integrae.

13. S. (*ustulatus.*) culmo tereti, folioso; spicis racemosis; glumis aristatis. Schoenus *ustulatus. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 95. *Rottb.* Gram. p. 93. tab. 18. fig. 1.

Crescit prope Cap in collibus alibique. Floret Majo et sequentibus mensibus.

Radix ovata, reticulata, foliis fasciculatim exeuntibus. *Culmus* articulatus, striatus, glaber, erectus, bipedalis et ultra. *Folia* radicalia fasciculata, filiformia, striata, laxa, erecta, culmo breviora; in culmo alterna, basi longe vaginantia, filiformia, striata, glabra, brunea, internodiis longiora, culmo paulo breviora. *Involucra* setaceo-acuminata, ferruginea, spicis paulo longiora. *Flores* spicato-subpaniculati. *Spicae* compositae, oblongae, bracteatae. *Spiculae* lanceolatae, coarctatae. *Pedunculi* e singulis vaginis saepius duo, laxi, submembranacei, longitudine spicae. *Glumae* circiter sex, imbricatae, lanceolatae, setaceo-aristatae, concavae, carinatae, striatae, integrae, glabrae, bruneae. *Aristae* trigonae, rectae, glumâ ipsâ duplo et saepe multoties longiores. *Filamenta* tria, filiformia, pellucida,

tenera, longitudine corollae, receptaculo inserta. *Antherae* lineares, striatae, exsertae, tortae, flavae, deciduae. *Germen* superum, glabrum. *Stylus* filiformis, glaber, longitudine filamentorum. *Stigmata* tria, capillaria, flexuosa, patentia. *Semen* unicum, ovato-oblongum, glabrum.

14. S. (*spicatus.*) culmo tereti, capillari; capitulis spicatis, involucratis.

Culmus laxus, erectus, striatus, glaber, sesquipedalis et ultra. *Folia* radicalia plura aggregata, capillaria, striata, glabra, laxa, culmo breviora. *Florum* capitula glomerata. *Spica* e capitulis constans, subcylindrica, secunda, digitalis, nutans. *Involucrum* singulum sub glomerulis capitulorum solitarium, filiforme, infimum palmare, reliqua sensim breviora, circiter quatuor. *Glumae* ovatae, integrae vel sublacerae, carinatae, concavae, acuminatae, glabrae, bruneae, margine membranaceae.

15. S. (*bulbosus.*) culmo tereti, filiformi; spicis racemosis, secundis; involucris solitariis. SCHOENUS *bulbosus. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 95.

Radix repens. *Culmus* unus vel plures, curvatus, erectus, striatus, glaber, palmaris usque pedalis. *Folia* radicalia plurima, filiformia, striata, erecta, basi vaginâ albâ membranaceâ involutâ, culmum aequantia. *Spicae* versus apicem culmi secundae, cernuae, solitariae, binae, raro plures aggregatae, ovatae, acutae, glabrae. *Involucra* aliquot, solitaria sub spicis, filiformia, inferiora palmaria, superiora sensim breviora. *Glumae* imbricatae, ovatae, acuminatae, integrae, concavae, carinatae, bruneae, glabrae.

16. S. (*inanis.*) culmo tereti, aphyllo; spicis paniculatis; glumis acutis. SCHOENUS *inanis.* Prodrom. Fl. Cap. p. 16. *Willd.* Sp. Pl. p. 265. Soc. phytogr. Gorenkens. V. 1.

Crescit juxta rivulos.

Culmus enodis, inanis, laevis, vix conspicue striatus, erectus, crassitie pennae, bipedalis. *Spicae* plurimae, paniculatae paniculâ patenti. *Involucrum* infimum commune lanceolatum, concavum, acuminatum, laeve, paniculâ multoties brevius, unguiculare; partialia sub ramificationibus sensim breviora. *Spiculae* in ultimis pedunculis sessiles, duae vel tres, oblongae, bruneae. *Glumae* ovatae, concavae, integrae, mucronatae. *Usus:* e culmis flexilibus Hottentotti varia utensilia pro lacte conservando et domibus tegendis contexere sciunt.

17. S. (*glomeratus.*) culmo trigono, folioso; capitulis paniculatis; glumis ciliatis. SCHOENUS *glomeratus. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 96. Ejusd. Sp. Pl. p. 65.

Crescit in fossis prope Cap.

Culmus striatus, glaber, erectus, bipedalis et ultra. *Folia* vaginantia, ensiformia, carinata, integra, laevia, glabra, breviora. *Florum* capitula ovata, glabra, bracteata. *Pedunculi* trigoni, subserrati. *Bracteae* foliaceae, vaginantes, acuminatae, ciliatae, capitulis longiores. *Glumae* lanceolatae, carinatae.

18. S. (*thermalis.*) culmo trigono, folioso; capitulis lateralibus; glumis integris aristatis. Schoenus *thermalis. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 96. *Rottb.* Gram. p. 63. tab. 10. fig. 2.

Crescit in Taffelberg, montibus rode Sand, Swarteberg et alibi, semper in summis montibus. Floret Octobri.

Culmus rigidus, striatus, erectus, foliis vaginatus, bipedalis et ultra. *Folia* vaginantia, ensiformia, acuminata, rigida, integra margine revoluto, carinata, breviora; in culmo angustiora et breviora. *Capitula* seu *spicae* florum plures, subracemosae, glabrae, bruneae, involucratae. *Involucra* universalia foliis similia; partialia lanceolata; omnia integra, cuspidato-aristata, concava, laevia, floribus paulo longiora. *Stigmata* tria, capillaria, plumosa.

19. S. (*laevis.*) culmo trigono, folioso; capitulis lateralibus; glumis mucronatis; spiculis ovatis.

Culmus striatus, bipedalis et ultra. *Folia* vaginantia, convoluta, carinata, integra, laevia, glabra, culmum aequantia. *Capitula* quatuor vel quinque, glomerata, pedunculata, ovata, vix foliosa. *Brateae* seu *glumae* extimae majores et longius cuspidatae; reliquae glumae ovatae, subemarginatae, mucronatae, integrae. *Spiculae* plurimae, glomeratum capitulum constituentes.

20. S. (*lanceus.*) culmo trigono, folioso; spicis paniculatis, lateralibus; glumis spiculisque lanceolatis.

Culmus tenuissime striatus, glaber, erectus, bipedalis. *Folia* vaginantia, linearia, convoluta, carinata, integra, glabra, breviora. *Florum* paniculis alternis, vix foliosis. *Spiculae* acutae, concavae, integrae, flavescenti-bruneae.

XXXX. SCIRPUS.

Glumae paleaceae, undique imbricatae. Cor. 0. *Semen* 1, *imberbe.*

1. S. (*setaceus.*) culmo capillari; capitulo ovato, solitario; involucro monophyllo. Scirpus *setaceus. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 99. Ejusd. Sp. Pl. p. 73. *Rottb.* Gram. p. 47. tab. 15. fig. 4. 5. 6.

Crescit prope urbem Cap, in collibus et alibi.

2. S. (*natans.*) culmo compresso, folioso, flexuoso-erecto; spicis duabus lateralibus.

Crescit in aquis.

Calmi glabri, palmares, usque spithamaei. *Folia* subvaginantia, glabra, flaccida, culmo breviora. *Spicae* sub apice setaceo, ovatae, inaequales, glabrae. *Seta* terminalis, spicis duplo longior, erecta.

3. S. (*hystrix.*) culmo capillari; capitulo subdistachyo; glumis acuminatis, squarrosis; involucro monophyllo.

Crescit circa rivulos infra Taffelberg latere occidentali, in Langekloof et alibi. Floret Junio et sequentibus mensibus.

Calmi e radice fibrosa plures, sulcati, glabri, pollicares usque digitales. *Folia* radicalia plura, capillaria, striata, culmo breviora. *Capitulum* solitarium rarius, tristachyum raro, saepius distachyum, terminale, globosum. *Involucrum* lanceolatum, acuminatum, patens, capitulo duplo longius. *Glumae* imbricatae, basi ovatae, apice acuminatae, striatae, glabrae apicibus reflexis.

4. S. (*marginatus.*) culmo capillari; capitulo tristachyo; glumis integris, glabris; involucro monophyllo.

Culmus teres, striatus, erectus, glaber, palmaris. *Folia* radicalia pauca, culmum inferne vaginantia, capillaria, glabra, culmo breviora. *Capitulum* terminale, raro monostachyum vel distachyum, saepius tristachyum, glabrum, horizontale, involucratum. *Spiculae* ovatae, acuminatae. *Involucrum* setaceum, erectum, capitulo duplo longius. *Glumae* imbricatae, ovatae, naviculares, parum acutae, striatae, integrae, bruneae margine albo.

5. S. (*trispicatus.*) culmo angulato, aphyllo; spicis tribus, terminalibus. Scirpus *trispicatus. Linn.* Syst. p. 19. Suppl. p. 103.

Folia nulla, sed vaginae imbricatae, ferrugineae, striatae, rugosae, glabrae, palmares. *Culmus* subtetragonus, sulcatus angulis marginatis, erectus, glaber, pedalis vel ultra. *Spicae* subternae, aggregatae, teretes, oblongae, obtusae, unguiculares; glumis ovatis, glabris.

6. S. (*antarcticus.*) culmo capillari; capitulo fasciculato, rotundato; glumis glabris; involucro monophyllo. Scirpus *antarcticus. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 101. Scirpus *barbatus. Rottb.* Gram. p. 52. t. 17. f. 4.

Culmus teres, aphyllus, striatus, glaber, palmaris. *Folia* radicalia, plura, capillaria, culmo breviora. *Capitulum* terminale, compressum, glabrum, conglomeratum e spicis pluribus lanceolatis, fastigiatis. *Involucrum* setaceum, longitudine capituli. *Glumae* lanceolatae, acutae, carinatae.

7. S. (*vaginatus.*) culmo filiformi; capitulis lateralibus, alternis, involucro brevioribus.

Culmus striatus, curvus, palmaris. *Folia* radicalia plurimâ, vaginâ membranaceâ albâ involuta, capillaria, culmo duplo breviora. *Capitula* circiter tria, ovata. *Involucrum* sub singulo capitulo solitarium, filiforme, erectum, capitulis duplo longius. *Glumae* ovatae, carinatae, integrae, glabrae, ferrugineae.

8. S. (*lacustris.*) culmo tereti; spicis subumbellatis, oblongis; involucro monophyllo; glumis acutis. Scirpus *lacu-*

stris. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 99. Ejusd. Spec. Plant. p. 72.

Culmus aphyllus, inanis, laevis, erectus, pedalis usque orgyalis. *Spicae* umbellatae. Umbella simplex vel composita. *Spiculae* glabrae. *Involucrum* umbellà brevius. *Glumae* ovatae, concavae, integrae, ferrugineae.

Obs. In Capite bonae spei longe tenerior est, quam in Europa, umbellaque magis simplex.

9. S. (*truncatus.*) culmo tereti; capitulo glomerato, globoso; involucro diphyllo; foliis linearibus.

Crescit prope van Stades rivier. Floret Decembri.

Culmus filiformis, aphyllus, striatus, glaber, erectus, spithamaeus. *Folia* radicalia, fasciculata, plurima, truncata, supra concava, subtus convexa, margine membranacea, utrinque striata, glabra, patentia, culmo triplo breviora. *Capitulum* terminale, e spicis pluribus arcte connexis glomeratum, involucratum. *Involucrum* subdiphyllum: foliolum exterius capitulo vix longius. *Glumae* ovatae, concavae, integrae.

10. S. (*laciniatus.*) culmo tereti; capitulo triangulari; glumis ovatis, ciliatis; involucro diphyllo.

Culmus filiformis, profunde striatus, glaber, laxus, erectus, pedalis. *Folia* radicalia plura, filiformia, obtusa, striata, erecta, culmo triplo breviora. *Capitulum* terminale, glomeratum, subtriangulare, cernuum. *Involucra* foliacea duo, alterum longitudine capituli, alterum duplo longius, filiforme. *Glumae* concavae, obtusae, striatae, lacero-ciliatae, bruneae ciliis albis.

11. S. (*tristachyos.*) culmo capillari; capitulo tristachyo; glumis integris; involucro diphyllo. Scirpus *tristachyos.* *Linn.* Syst. Veg. p. 99. *Rottb.* Gram. p. 48. tab. 13. f. 4.

Crescit in collibus circa Cap.

Culmus teres, striatus, erectus, glaber, palmaris et ultra. *Folia* radicalia plurima, capillaria, striata, erecta, culmo duplo breviora. *Capitulum* glabrum, involucratum. *Spiculae* ovatae, obtusae. *Involucrum* dorsale erectum, filiforme, capitulo longius; anterius simile, vix capitulo longius, horizontale vel parum reflexum. *Glumae* ovato-lanceolatae, glabrae, substriatae.

12. S. (*holoschoenus.*) culmo tereti; capitulis globosis, pedunculatis, sessilibusque; glumis acutis; involucro diphyllo. Scirpus *holoschoenus.* *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 99 Spec. Plant. p. 72.

Culmus aphyllus, inanis, laevis, glaber, erectus, pedalis et ultra. *Capitula* glomerata, plurima. *Involucrum* umbellae longitudine; alterum erectum, alterum reflexum. *Glumae* ovatae, integrae, glabrae, ferrugineae, margine albo.

13. S. (*maritimus.*) culmo trigono; spicis subumbellatis;

glumis lacero-trifidis; involucro diphyllo. Scirpus *maritimus*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 100. Spec. Plant. p. 74.

Crescit in fossis in ipsa urbe et alibi rarius.

Culmus inferne foliis vaginatus, striatus, glaber, erectus, pedalis et ultra. *Folia* ensiformia, convoluta, carinata, integra, culmum aequantia. *Spicae* terminales, aggregatae, 2, 4, 5, 6; spiculae oblongae, ferrugineae. *Involucrum* exterius palmare, interius capitulo paullo longius. *Glumae* ovatae, concavae, membranaceae, integrae, trifidae, cuspide intermediâ et carinâ virescentibus.

14. S. (*membranaceus.*) culmo tereti; capitulo angulato; glumis ovatis, membranaceis; involucro diphyllo.

Culmus aphyllus, striatus, glaber, pedalis. *Folia* nulla vidi. *Capitulum* terminale, ovatum, 3-vel 5-angulatum, e totidem spiculis glomeratum, glabrum. *Involucrum* triphyllum: foliola lanceolata, cuspidata, capitulo longiora, extima duplo longiora, vel ultra. *Glumae* latae, obtusae, concavae, striatae, margine seariosae, albidae, vix lacerae.

15. S. (*hottentottus.*) culmo trigono, folioso; capitulo globoso; glumis hirtis; involucro triphyllo. Scirpus *hottentottus*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 101.

Culmus foliorum vaginis tectus, striatus, inferne glaber superne pilosus, erectus, pedalis. *Folia* vaginantia, ensiformia, convoluta, pilosa, erecta, culmo breviora. *Capitulum* terminale, totum hirtum. *Involucrum* foliis simile, pilosum, capituli longitudine, foliis interioribus minimis. *Glumae* imbricatae, ovatae, cuspidatae.

16. S. (*intricatus.*) culmo trigono; umbellâ simplici; spicis oblongis, squarrosis; involucro triphyllo. Scirpus *intricatus*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 101.

Culmus erectus, basi foliis vaginatus, pollicaris. *Folia* circiter tria, radicalia, basi vaginantia, ensiformia, integra, glabra, longitudine culmi. *Florum* capitula umbellata, circiter tria vel quatuor, oblonga, squarrosa; intermedium sessile. *Involucrum* patens: foliola ensiformia, umbella longiora; tertio breviore. *Glumae* lanceolatae, acutae, carinatae, reflexae, integrae.

17. S. (*pilosus.*) culmo compresso; capitulo ovato; glumis lanceolatis, ciliatis; involucro tetraphyllo.

Culmus striatus, glaber, erectus, spithamaeus vel palmaris. *Folia* radicalia, glomerata, plurima, vaginantia, convoluta, carinata, margine et carinâ ciliata, culmo breviora. *Capitulum* terminale, involucratum, erectum. *Involucri* foliola circiter quatuor, foliis similia, reflexa, extimum bi- vel tripollicare, reliqua sensim breviora. *Glumae* acuminatae, tenuissime striatae, flavae margine virescente.

18. S. (*radiatus.*) culmo tereti; capitulo hemisphaerico; involucro polyphyllo. Schoenus *radiatus*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 95.

Crescit in summitate montium inter Nordhoek et Bayfals, in Hottentotshollandskloof et alibi. Floret Augusto.

Radix repens, fibrosa. *Culmus* solitarius, striatus, erectus, glaber, palmaris. *Folia* radicalia, plurima, linearia, canaliculata, subfiliformia, curvata, laevia, culmo longiora. *Florum* capitulum compositum e capitulis vel spiculis plurimis, involucris distinctis. *Involucrum* circiter octophyllum, e foliis inter capitula sparsis, lanceolatis, concavo-canaliculatis, integris, glabris, obtusiusculis, exterioribus sensim majoribus et longioribus.

19. S. (*fastigiatus.*) culmo filiformi; capitulo convexo, compresso; glumis extimis mucronatis; involucro nullo.

Culmus basi vaginatus, striatus, erectus, digitalis. *Folia* radicalia, plurima, vaginata vaginâ ferrugineâ, filiformi-capillaria, culmum subaequantia. *Capitulum* terminale, compositum e spicis circiter septem sessilibus, unguiculare. *Involucrum* nullum, nisi glumae exteriores. *Spiculae* ovatae, compressae, glabrae. *Glumae* naviculares, ovatae, glabrae, margine subciliatae; exteriores cuspidatae mucrone et carinâ viridibus; interiores obtusae.

XXXXI. CYPERUS.

Glumae paleaceae, distiche imbricatae. Cor. 0. *Semen* 1, *nudum.*

1. C. (*prolifer.*) culmo tereti; capitulo globoso, prolifero. Scirpus *prolifer. Rottb.* Gram. p. 55. tab. 17. fig. 2.

Crescit in fossis prope Cap.

Culmus striatus, erectus, glaber, spithamaeus. *Folia* nulla, sed vaginae baseos culmum cingunt. *Capitulum* terminale, e fasciculo spicularum glomeratum, proliferum seu umbelliferum. *Umbellae* pedunculi duo, tres vel quatuor, basi vaginis vestiti, culmo similes, curvati, pollicares usque digitales. *Capitula* globosa. *Spiculae* lanceolatae, laeves. *Glumae* lanceolatae, integrae, bruneae.

2. C. (*minimus.*) culmo capillari; spicâ solitariâ geminâque; involucro monophyllo. *Gramen* parvum aethiopicum, tenuissimis foliis, spica simplici et gemella. *Plukenet.* fol. 176. tab. 300. fig. 4. Cyperus *minimus. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 96. Ejusd. Spec. Plant. p. 66. Cyperus *tenellus. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 96. Suppl. p. 103.

Crescit prope Cap, in Svartland, Langekloof et alibi, locis aquosis. Floret Octobri et sequentibus mensibus.

Culmi plurimi, aggregati, striati, glabri, laxi, pollicares usque digitales. *Folia* radicalia, capillaria, culmo breviora. *Spicae* terminales, interdum tres, ovatae, compressae, serratae, nutantes, glabrae, lineam longae. *Involucrum* culmum terminans, setaceum, spicâ brevius, deciduum. *Glumae* distichae, imbricatae, naviculares, acutae, striatae, glabrae.

3. C. (*marginatus.*) culmo tereti, aphyllo; umbellâ compositâ; spiculis oblongis, bruneis.

Culmus glaber, erectus, pedalis et ultra. *Umbellae* pedunculatae et subsessiles, plures. *Involucrum* diphyllum: folia lanceolata, brevissima, vix lineam longa. *Pedunculi* unguiculares. *Spiculae* aggregatae, subsessili-capitatae, plurimae, lanceolatae, serratae, compressae, glabrae, marginibus glumarum albis, unguiculares.

4. C. (*textilis.*) culmo tereti; umbellâ decompositâ involucro dodecaphyllo laevi breviore; spiculis oblongis.

Incolis: *Mattjes Goed. Crescit in rivulis hinc inde, interioribus regionibus satis vulgaris.*

Culmus aphyllus, inanis, laevis, erectus, bipedalis et ultra. *Umbella* composita, involucrata; Umbellae omnes iterum umbellatae: intermediae brevius pedunculatae, laterales magis patentes, pedunculis digitalibus. *Spiculae* parvae, acutae, serratae, lineam longae. *Glumae* naviculares apice acuto patulo, ferrugineae margine albo. *Involucrum* circiter dodecaphyllum, erectum, umbella triplo vel quadruplo longius, subaequale: foliola ensiformia, concava, laevia, margine tenuissime subserrata. *Usus:* e culmis hujus Hottentotti storeas pertexere sciunt, quibus domunculas suas obtegunt. Differt a C. *flabelliformi Rottb.* culmo tereti, laevi, alias simillimus.

5. C. (*hirtus.*) culmo trigono aphyllo; umbellâ simplici; involucro triphyllo; foliis filiformibus hirtis.

Radices setaceae, fasciculatae, plurimae. *Folia* radicalia, plurima, lineari filiformia, pilosa, pollicaria. *Culmi* plures, capillares, erecti, inaequales, longitudine foliorum vel paullo breviores. *Umbellae* circiter 6-florae cum flore centrali sessili. *Involucrum* 3- vel 4-phyllum. *Spiculae* ovatae glumis acuminatis.

6. C. (*pulcher.*) culmo trigono; umbellâ decompositâ, involucro subhexaphyllo breviore; spiculis ovatis.

Crescit juxta rivulos.

Culmus basi foliosus, striatus, erectus, glaber, supra tenuissime subserratus, laxus, bipedalis. *Folia* basin culmi vaginantia, circiter quatuor, linearia, attenuata, integra, convoluta, carinata, striata, glabra, laxa, culmo longiora. *Pedunculi* trigoni, inaequales, unguiculares usque digitales. Pedicelli ex umbellis quasi proliferi, inaequales, capillares, trigoni, lineam longi usque unguiculares. *Spiculae* plures, aggregatae, sessiles, serratae, glabrae, vix lineam longae. *Glumae* naviculares, ovatae, acutae, carinâ viridi, margine tenuissimo, membranaceo, albo. *Involucrum* 5-phyllum vel 7-phyllum, inaequale, umbellâ triplo usque sextuplo longius, erectum vel reflexum. Foliola ensiformia, carinata, tenuissime subserrata, interioribus brevioribus et angustioribus.

7. C. (*ligularis.*) culmo trigono; umbellâ compositâ involucro polyphyllo serrato breviore; spiculis cylindricis. Cype-

rus *ligularis*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 97. Ejusd. Spec. Plant. p. 70. *Rottb.* Gram. p. 35. t. 11. f. 2.

Culmus basi foliosus, striatus, glaber, erectus, pedalis et ultra. *Folia* radicalia, tria seu quatuor, basin culmi vaginantia, convoluta, integra, striata, muricata, longitudine culmi. *Umbella* patens. *Spicae* umbellae cylindricae et triangulares, oblongae, obtusae, crassitie digiti, compositae e spiculis plurimis lanceolatis, imbricatis: intermediae brevius pedunculatae, pedunculis unguicularibus vel pollicaribus; laterales iterum umbellatae pedunculis palmaribus et ultra, umbellulis breviter pedicellatis. *Glumae* naviculares, acutae, glabrae, ferrugineae, carinâ margineque albidis. *Involucrum* universale foliola circiter sex vel octo, alterna, sessilia, ensiformi-linearia, attenuata, carinata, muricata, margine carinâque serrata, patentia vel reflexa; exteriora umbellâ triplo longiora, interioribus sensim brevioribus et angustioribus.

Obs. Potius forsan ad Scirpum referendus erit.

8. C. (*alopecuroides.*) culmo trigono; umbellâ decomposita; involucro polyphyllo, serrato, breviore; spiculis cylindricis. Cyperus *alopecuroides*. *Rottb.* Gram. p. 38. fig. 2.

Culmus, *Folia et Glumae* omnino, ut in C. *ligulari*. *Pedunculi* intermedii breves, laterales sensim longiores, usque spithamaei, glabri. *Pedicelli* sparsi, patentes; inferiores longiores, unguiculares; superiores sensim breviores. *Spicae* subcylindricae, obtusae, bruneae, terminales, sessiles, pollicares; laterales spiculae horizontales, minores. *Involucrum* universale ut in C. *ligulari*; partiales pauciores, lanceolatae, setaceae, erectae, serratae, longitudine umbellulae. Summa hujus cum priore affinitas et similitudo, ut vix quid, praeter umbellam ampliorem et magis compositam, differat.

9. C. (*corymbosus.*) culmo trigono, aphyllo; umbellâ decompositâ involucro breviore; spicis linearibus. Cyperus *corymbosus*. *Rottb.* Gram. p. 42. tab. 7. fig. 4.

Crescit in fossis juxta urbem.

Culmus striatus, glaber, erectus, pedalis et ultra. *Folia* nulla vidi. *Umbella* patens. *Pedunculi* intermedii breviores, unguiculares; laterales laxi, palmares. *Spiculae* breviter pedicellatae, alternae, acutae, glabrae, bruneae, unguiculares. *Glumae* naviculares, obtusae, dorso et margine albidae. *Involucrum* triphyllum, erectum vel reflexum, umbellâ paulo longius; foliolis sensim brevioribus, linearibus, integris, carinatis, glabris.

10. C. (*lanceus.*) culmo trigono, folioso; umbellâ compositâ involucro duplo breviore; spiculis oblongis. Cyperus *lanceus*. *Prod.* Flor. Capens. 1. p. 18.

Crescit prope urbem Cap, in fossis.

Culmus inferne foliis tectus, striatus, glaber, erectus, spithamaeus usque pedalis *Folia* radicalia tria vel quatuor, lineari-ensiformia, convoluta, integra, glabra, culmo breviora. *Um-*

bellae pedunculi medii breves; laterales longiores, patentes, pollicares. *Spiculae* glabrae, serratae, unguiculares. *Glumae* naviculares, compressae, bruneae, carinâ viridi. *Involucrum* triphyllum: foliola ensiformia, erecto-patentia; infimum umbellâ duplo longius; reliqua breviora.

11. C. (*polystachyos.*) culmo trigono; umbellâ compositâ convexâ; involucris quinis; spiculis lanceolatis. CYPERUS *polystachyos. Rottb.* Gram. p. 39. tab. 11. fig. 1. *Pluknet.* Phythogr. tab. 416. fig. 6.

Crescit in fossis juxta Cap.

Culmus basi foliosus, striatus, erectus, spithamaeus usque pedalis. *Folia* radicalia, circiter quatuor, culmum basi vaginantia, ensiformia, integra, glabra, culmo triplo breviora. *Umbella* coarctata. *Umbellulae* mediae breviter pedunculatae, erectae; laterales longius pedunculatae, patentes, pedunculis umbellâ brevioribus. *Spiculae* subserratae, sesquilineam longae. *Glumae* naviculares, carinatae. *Involucrum* 4- vel 6-phyllum: foliola ensiformia, integra, glabra: extimum umbellâ duplo longius, reliqua sensim breviora, summa vix umbellis longiora.

12. C. (*laevigatus.*) culmo trigono; capitulo glomerato, globoso; involucro diphyllo; glumis obtusis. CYPERUS *laevigatus. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 96. CYPERUS *laevigatus. Rottb.* Gram. p. 19. t. 16. f. 1.

Crescit in fossis aquarum, in ipsa urbe Capensi. Floret Junio, Julio.

Calmus aphyllus, inanis, laevis, glaber, erectus, pedalis. *Folia* nulla observavi. *Capitulum* terminale vel sublaterale, e plurimis spiculis sessilibus, involucratum. *Spiculae* ovatae, laevigatae, albidae. *Glumae* ovatae, concavae, integrae, laeves. *Involucri* foliolum alterum e culmo continuatum, trigonum, erectum, capitulo triplo longius, alterum reflexum, capitulo vix longius vel saepe brevius.

DIGYNIA.

XXXXII. PANICUM.

Cal. 3-*valvis: valvulâ tertiâ minimâ.*

1. P (*Alopecuroides.*) spicâ cylindricâ; involucro polyphyllo villoso. PANICUM *alopecuroideum. Linn.* Spec. Plant. p. 92. CENCHRUS *alopecuroides.* Prodr. p. 24. ALOPECURUS *indicus. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 108.

Calmus striatus, erectus, superne villosus uti et rhachis, crassitie calami, bipedalis. *Folia* vaginantia, ensiformia, glabra, ore vaginarum ciliata, culmo longiora. *Spica* crassitie digiti,

spithamaea. *Flores* sessiles, solitarii vel bini, cincti fasciculo setarum polyphyllo, hirto, longiori.

2. P. (*geniculatum.*) racemo spicato simplici; florum involucro polyphyllo scabro; culmo geniculato. PANICUM *hordeiforme. Thunb.* Flor. Japon. p. 46. CENCHRUS *geniculatus.* Prodr. p. 24.

Crescit in collibus et fossis circum Cap et alibi.

Culmus subpedalis. *Folia* ensiformia, subulato-acuminata, striata, glabra, ore margineque vaginarum villoso-ciliata, culmo paulo breviora. *Racemus* cylindricus, digitalis. *Flores* brevissime pedunculati. *Involucrum* fasciculatum, setaceum: setae flexuosae, scabrae, flore triplo vel quadruplo longiores, purpurascentes.

3. P. (*hordeiforme.*) racemo spicato simplici; florum involucro polyphyllo scabro; culmo erecto. PANICUM *hordeiforme. Thunb.* Flor. Jap. p. 46. CENCHRUS *hordeiformis.* Prodr. p. 24.

Culmus tripedalis. *Folia* ensiformia, convoluta, attenuata, ore sed vix vaginis ciliata, striata, glabra. *Racemus* cylindricus, spithamaeus. *Flores* brevissime pedunculati, solitarii. *Involucrum* setaceum, *setae* flexuosae, scabrae, flavescentes, flore triplo longiores vel ultra.

4. P. (*galli.*) spicis alternis; floribus secundis; glumis hispidis aristatis; rhachi pentagonâ. PANICUM *crus galli Linn.* Spec. Pl. p. 83. System. Veget. XIV. p. 105. *Willd.* Spec. 1: 1. p. 337.

Culmus striatus, glaber, erectus, pedalis et ultra. *Folia* pilis raris sparsis villosa, neque ore neque vaginis ciliata. *Spicae* sessiles, simplices, distichae, compressae, unguiculares usque pollicares. *Flores* sessiles, vix pedunculati. *Glumae* ciliato-scabrae, *aristis* scabris, triplo longioribus. *Diversum* quidem videtur a P. *galli* europaeo, spicis compressis et floribus secundis; sed merito ab illo separari non debet.

5. P. (*filiforme.*) racemis spicatis digitatis linearibus, floribus binis, altero subsessili. PANICUM *filiforme. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 106. Spec. Plant. p. 85. *Willd.* Spec. 1: 1. p. 343.

6. P. (*dactylon.*) spicis digitatis subquaternis secundis; culmo sarmentoso. PANICUM *dactylon. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 106. Spec. Plant. p. 85. *Willd.* Sp. 1: 1. p. 342. Gramen geniculatum foliis brevibus, aculeos mentientibus, maderaspatanum, forte arundo graminea, aculeata (Prosp. Alp. exot.) *Plukenet.* Phyt. tab. 189. f. 3.

Crescit prope Cap, in omnibus collibus et in ipsis fere plateis, vulgatissimum.

Radices fibrosae. *Culmus* radicans, ramosus, teres, fruticans. *Rami* alterni, simplicissimi; raro ad folia seu in axillis ramuli

duo, parvi, foliosi, internodiis paulo longiores. *Folia* vaginantia, approximata, disticha, supra canaliculata, infra carinata, maculâ ad basin utrinque oblongâ, alba, glabra, vaginis pilosis, margine tenuissime ciliata; basi membranaceâ, supra pilosa. *Pedanculi* axillares, solitarii vel bini, alterni, inferne foliosi, supra aphylli, erecti, geniculati, glabri, palmares. *Spicae* saepissime tres, interdum quatuor, rarius duae, patenti-erectae, pollicares. *Flores* secundi, inferiori rhachis lateri insidentes, sessiles, alterni, imbricati. *Glumae* tres, dorsali minori, ovatae, acutae, concavae, virides, margine tenuiore albescente. *Filamenta* tria, hyalina, calyce longiora. *Antherae* didymae, virescentes vel rubrae. *Styli* duo, calyce duplo breviores. *Stigmata* conica, penicilliformia, purpurea.

7. P. (*deustum.*) paniculâ patenti; floribus solitariis; glumis glabris apice purpureis. PANICUM *deustum. Willd.* Spec. 1: 1. p. 347.

Culmus simplex, teres, striatus, erectus, bipedalis vel paulo ultra, superne et juxta articulos villosus. *Folia* alternatim vaginantia, ensiformia, seu inferne subcordata, superne valde attenuata, integra, tenuissime punctata et pilosa: *vaginae* margine longe ciliatae. *Panicula* florum erecto-patens, virgata, glabra. *Pedunculi* angulati, striati, flexuosi, tenuissime villosi et rarius serrulati, uniflori pedicellis subunguicularibus. *Flores* magnitudine seminis secalis, ovati, acuti. *Glumae* lineis tribus viridibus, omnes sub apice purpureo-maculatae.

8. P. (*caudatum.*) paniculâ subspicatâ coarctatâ: floribus solitariis; glumis glabris acutis.

Crescit in collibus juxta urbem Cap, inque insulis Java et Ceilona.

Culmus simplex, teres, striatus, glaber, erectus, pedalis usque tripedalis. *Folia* longe vaginantia, lineari-ensiformia, attenuata, striata, glabra. *Panicula* cylindrica, erecta, longissima, spithamaea usque pedalis. *Racemi* breves pedunculis capillaribus, unifloris. *Glumae:* extima brevissima, reliquae acutae.

XXXXIII. ARISTIDA.

Cal. bivalvis. Cor. univalvis: aristis 3, *terminalibus.*

1. A. (*hystrix.*) paniculâ trichotomâ patenti; aristis aequalibus glabris; calyce aequali. ARISTIDA *hystrix. Linn.* Syst. Veg XIV. p. 124. *Willd.* Spec. 1: 1. p. 459. *Pluk.* Phytog. tab. 193. f. 3. bona.

Culmi aggregati e radice caespitosa, teretes, glabri, erecti, simplices, pedales. *Folia* radicalia longiora et culmi breviora, convoluto teretia, striata, curvata, glabra, breviora. *Pedunculi* capillares, glabri. *Calycis* glumae aequales, lanceolatae, glabrae, corollâ breviores. *Corolla* glabra, triaristata: *Aristae* basi tortae, subaequales, divaricatae, pollicares.

2. A. (*vestita.*) paniculâ trichotomâ patenti; aristis

aequalibus, glabris; calyce inaequali. *Prodrom. capensis.* p. 19.

Culmus simplex, totus imprimis inferne lanatus lanâ albidâ, erectus, pedalis et ultra. *Folia* alternatim vaginantia vaginis lanatis, convoluta, subulata, striata, glabra, subreflexa, breviora. *Panicula* ampla pedunculis capillaribus, subreflexis. *Calyx* biglumis, glaber, uniflorus: *glumae* inaequales: alterâ duplo longiore, corollam aequante; lanceolato-subulatae, concavae. *Arista* triseta, subaequalis, intermediâ parum longiori, divaricata, glabra, purpurascens. *Differt* a priori: 1. culmo lanato. 2. calyce inaequali. 3. paniculâ ampliori.

3. A. (*capensis.*) paniculâ trichotomâ patenti; aristis omnibus villosis. Avena *capensis. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 122. *Willd.* Spec. 1: 1. p. 460.

Culmus simplex, vel basi interdum ramosus, striatus, glaber, erectus, pedalis et ultra. *Folia* longe vaginantia, convoluto-filiformia, striata, glabra, culmo breviora. *Panicula* ampla. *Pedunculi* et pedicelli capillares, glabri. *Pedicelli* uniflori, longitudine calycis. *Calyx* biglumis, aequalis: *glumae* lanceolato-subulatae, concavae, uniflorae, glabrae, longitudine corollae, fuscescentes, basi purpurascentes, unguiculares. *Corolla* univalvis, longitudinaliter connivens, basi extus hirsuta, albida, terminata apice aristis tribus. *Aristae* divaricatae, setaceae, enodes, corollâ longiores, apice glabrae, subpollicares, intermediâ paulo longiori. *Villus* albus, patens. *Filamenta* tria, brevissima, fundo corollae affixa. *Antherae* lineares, utrinque sulcatae, bifidae, rufescentes, longitudine dimidiâ corollae. *Differt* ab A. *adscensionis:* aristis hirsutis. *americana:* floribus pedunculatis. *plumosa:* aristis omnibus villosis et culmo nudo.

XXXXIV. ALOPECURUS.

Cal. 2-*valvis. Cor.* 1-*valvis.*

1. A. (*capensis.*) spicâ cylindricâ; glumis glabris muticis. *Prodrom. Cap.* p. 19.

Crescit in collibus circum urbem Cap.

Culmus vaginatus, teres, glaber, erectus, palmaris. *Folia* radicalia plurima, lineari-filiformia, glabra, culmo duplo breviora. *Spica* utrinque parum attenuata, pollicaris. *Glumae* lanceolatae, acutae, integrae.

2. A. (*echinatus.*) paniculâ spicatâ, ovatâ; glumis punctatis, ciliatis; culmo geniculato. Alopecurus *echinatus. Prodr.* p. 19.

Crescit in collibus rarius.

Radix fibrosa. *Culmus* filiformis, glaber, palmaris. *Folia* lineari-filiformia, setaceo-acuminata, punctato-scabra, pilosa, erecta, culmo longiora. *Panicula* coarctato-spicata, unguicularis. *Calyx* biglumis, uniflorus: *glumae* concavae, lamellatae,

setaceo-aristatae: aristae purpureae, punctato-scabrae et ciliatae. *Corolla* calyce brevior.

XXXXV. PHALARIS.

Cal. 2-*valvis, carinatus, longitudine aequalis, corollam includens.*

1. P. (*capensis.*) paniculâ spicatâ, ovatâ; glumis integris; culmo geniculato, decumbente. *Prodrom. Cap.* p. 327.

Crescit in hortis Europaeorum in urbe Cap.

Culmus teres, glaber, basi decumbens, ramosus, articulatus, articulis omnibus geniculatis, inflexus, apice capillaris, pedalis et ultra. *Folia* patentia, brevissima. *Panicula* glabra, unguicularis. *Glumae* ovatae, acutae, tricarinatae. *Differt* a. P. *canariensi*, cui valde similis: 1. culmo ramoso, decumbente, geniculato. 2. spicis minoribus.

2. P. (*dentata.*) spicâ subpaniculatâ, cylindricâ; glumis serratis; culmo geniculato. *Willd.* Spec. 1: 1. p. 327.

Crescit in Bocckland.

Radix fibrosa. *Culmi* e radice plures, aggregati, inflexi, erecti, filiformes, laeves, glabri, palmares et paulo ultra. *Folia* vaginantia, tenuissime villosa, breviora. *Spica* pollicaris usque digitalis. *Glumae* ovatae, concavae, glabrae, bimarginatae vel cinctae, intra marginem lineâ duplici aut triplici elevatâ, viridi, sinuato-serratae.

XXXXVI. AGROSTIS.

Cal. 2-*valvis, uniflorus, corollâ paulo minor. Stigmata longitudinaliter hispida.*

1. A. (*spicata.*) paniculâ spicatâ, cylindricâ, mutica; culmo nutante. *Willd.* Spec. 1: 1. p. 373.

Crescit in collibus argillaceis circum urbem.

Radix fibrosa. *Culmus* simplex, filiformis, striatus, glaber, curvatus, spithamaeus. *Folia* radicalia plura, convoluta, ensiformia, acuminato-setacea, nervosa, glabra, breviora. *Panicula* obtusa, glabra, digitalis. *Spiculae* inferne remotae, apice glomeratae, oblongae, adpressae, unguiculares. *Pedicelli* flexuosi, uti et rhachis, glabri. *Calyx* biglumis: *glumae* concavae, ovatae, obtusae, albidae, tenuissimae, glabrae, corollâ duplo breviores, *Corollinae* valvulae lanceolatae, glabrae, muticae.

XXXXVII. STIPA.

Cal. 2-*valvis, uniflorus. Cor. valvulâ exteriore aristâ terminali, basi articulatâ.*

1. S. (*capensis.*) aristis basi pilosis; paniculâ spicatâ; foliis ensiformibus. *Prodrom. cap.* p. 19.

Culmus simplex, articulatus, glaber, erectus, bipedalis.

Folia nervosa, glabra. *Panicula* palmaris et ultra. *Aristae* valde tortiles, inferne hirsutae pilis albis, geniculatae, apice setaceae, glabrae, tripollicares. *Differt* a S. *tenaci*, cui similis: 1. foliis planis. 2. aristis basi pilosis, nec lanatis.

2. S. (*spicata.*) aristis basi pilosis; racemo spicato, secundo. STIPA *spicata. Linn.* Syst Veget. XIV. p. 121. *Willd.* Spec. 1: 1. p. 442.

Culmi e radice repente plures, filiformes, glabri, articulati articulis barbatis, bipedales et ultra. *Folia* ensiformi-linearia, glabra, breviora. *Racemus* digitalis. *Flores* secundi, basi barbati fasciculo pilorum albidorum. *Glumae* ciliatae, subpilosae. *Aristae* basi villosae, apice glabrae, geniculatae, pollicares.

XXXXVIII. ANTHISTIRIA.

Cal. 1-3-4-*valvis*, 3-7-*florus*, *flore hermaphrodito solitario centrali sessili*, *masculis* 2 *pedicellatis*, *reliquis si adsint sessilibus.*

☿. *Cal.* 0. *Cor. bivalvis. Arista e basi germinis. Stam.* 3. *Styl.* 2. *Sem.* 1.

♂. *Cal.* 0. *Cor. bivalvis*, *mutica. Stam.* 3.

1. A. (*imberbis.*) aristis basi pilosis; paniculâ fastigiatâ bracteis basi barbatis. STIPA *arguens.* Prod. Cap. p 20. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 121. *Hout.* Nat. Hist. P. 2. tab. 92. ANTHISTIRIA *imberbis. Willd.* Sp. Pl. 4: 2. p. 900.

Crescit in interioribus regionibus graminosis.

Culmus articulatus, glaber, erectus, bipedalis. *Folia* ensiformia, integra, carinata, glabra, breviora. *Paniculae* coarctatae, fasciculato-subcapitatae. *Pedunculi* capillares, flexuosi. *Bracteae* sub singula panicula et singulo flosculo solitariae, lanceolatae, naviculares, acuminatae, glabrae, floribus duplo longiores. *Aristae* inferne tenuissime pilosae, apice glabrae, setaceae, geniculatae, pollicares et ultra.

2. A. (*hispida.*) racemosa, calycibus trifloris pilosis. AVENA *hispida. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 122. *Willd.* Spec. Plantar. 1: 1. p. 451.

Crescit in Krum-rivier, *Langekloof*, *trans Swellendam*, *et alibi locis graminosis. Floret Novembri*, *Decembri.*

Culmus simplex, vaginatus, striatus, glaber, erectus, pedalis. *Folia* longe vaginantia, ensiformia, villosa, culmo duplo breviora. *Flores* terminales, vel in capitulo solitario rarius, vel pluribus racemosis. *Racemus* triflorus, usque quadriflorus. *Pedunculi* capillares, geniculato-inflexi, inferne glabri, superne incrassati, pilosi, pollicares. *Calyx* quadriglumis: *glumae* lanceolatae, setaceo acuminatae, pilosohispidae, villo albo, punctis nigris scabrae, unguiculares. *Arista* tortilis, glabra, floribus quadruplo longior.

XXXXIX. ANDROPOGON.

HERMAPHROD. Cal. gluma uniflora. Cor. gluma basi aristata. Stam. 3. Styl. 2. Sem. 1.

1. A. (*hirtum.*) paniculae spicis conjugatis; calycibus hirsutis. ANDROPOGON *hirtum. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 904. Spec. Plant. p. 1482.

Crescit in collibus prope et extra urbem.

Culmus erectus, pedalis usque tripedalis. *Panicula* coarctata, spicata *spicis* geminis, hirsutis. *Aristae* geniculatae, spicis duplo longiores.

Obs. Hirsuties in Capensi specimine minor, quam in speciminibus Indiae orientalis.

2. A. (*ischaemum.*) paniculae spicis digitatis: flore sessili, aristato, pedunculatis muticis; pedunculis pilosis. ANDROPOGON *ischaemum. Linn.* Syst Veg. XIV. p. 904. Spec. Plantar. p. 1482. *Willd.* Sp. 4: 2. p. 921.

Crescit in interioribus regionibus. Floret Decembri.

Culmus simplex, erectus, glaber, pedalis usque tripedalis. *Folia* glabra, brevia. *Panicula* solitaria, terminalis, vel plures digitatae; racemi lineares, inaequales, pollicares et ultra. *Flores* bini vel tres e singulis dentibus racemorum; altero sessili, saepe intermedio, aristato; altero solitario vel binis pedunculatis, muticis. *Pedunculi* et pedicelli hirsuti pilis longis, albis. *Calycis* glumae acutae, glabrae, purpurascentes.

3. A. (*villosum.*) spicis digitatis; floribus aristatis sessili pedunculatoque; calyce culmoque villoso. *Prodrom. Cap.* p. 2[illegible].

Crescit in interioribus regionibus graminosis.

Culmus simplex, articulatus, geniculato-inflexus; inferne foliis vaginatus, glaber, superne hirsutus, pedalis et ultra. *Folia* vaginantia, ensiformia, villosa, breviora. *Spicae* terminales, tres, quatuor vel quinque, lineares, digitales. *Flores* in singulo spicae dente duo, altero sessili, altero breviter pedunculato, adpressi. *Calycis* glumae et pedunculi hirsuti. *Aristae* tortiles, geniculatae, flore multo longiores. *Differt* ab A. *ischaemo*, cui similis: calyce, culmo et foliis hirsutis.

4. A. (*schoenanthus.*) paniculae spicis conjugatis, oblongis; rhachi pubescente; flosculis sessilibus, aristatis. ANDROPOGON *schoenanthus. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 904. *Willd.* Spec. 4: 2. p. 9[illegible]5.

Crescit in Langekloof, Krumrivier et alibi. Floret Novembri, Decembri.

5. A. (*insulare.*) paniculâ laxâ; floribus geminis, muticis; calycibus lanatis. ANDROPOGON *insulare. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 90[illegible]. Spec. Plant. p. 1480.

Crescit in interioribus regionibus graminosis.

L. CHLORIS.

Flores unilaterales. Cal. bivalvis, 2-6-florus, flore altero sessili hermaphrodito, altero pedicellato masculo.
☿. *Cal.* o. *Cor. bivalvis. Arista terminalis. Stam.* 3. *Styl.* 2. *Sem.* 1.
♂. *Cal.* o. *Cor.* 1-2-*valvis aristata. Stam.* 3.

1. C. (*falcata.*) spicâ secundâ falcatâ; calyce lanceolato integro; corollâ ciliatâ. Melica *falx. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 113. Supplem. p. 109.

Crescit in Houtniquas collibus, in Langekloof et alibi. Floret Novembri, Decembri.

Radix perennis. *Culmus* simplex, erectus, glaber, pedalis usque bipedalis. *Folia* convoluto-filiformia, glabra, spiralia, erecta, culmo breviora; in culmo vaginantia, brevia. *Spica* vel solitaria, vel binata floribus unilateralibus, compressa, pollicaris usque digitalis. *Calyx* biglumis, subtriflorus, inaequalis: *gluma* exterior longior, navicularis: lanceolata, integra, glabra, bracteiformis, cinerea margine tenuiore albido; interior duplo minor, similis. *Corolla* inferioris floris major, bivalvis: *valvula* exterior maxima, obovata, excisa, concava, dorso carinata, margine et carinâ albo-ciliata, caerulescens, interiorem valvulam includens et obumbrans; interior angustissima, lanceolata, carinata, paulo brevior; reliqui flores sensim minores absque ciliis; ultimo sterili seu rudimento.

Obs. Ad Melicam referri non potest ob flores spicatos in receptaculo unilaterali. Praeterea totus habitus est Cynosuri.

2. C. (*petraea.*) spicis digitatis, senis, secundis; calycis glumâ alterâ aristatâ; corollâ ciliatâ. Chloris *petraea. Willd.* Spec. Plant. 4: 8. p. 924.

Crescit in collibus Houtniquas. Floret Novembri.

Radix perennis, cespitosa. *Culmi* saepius plures e radice, simplices, inferne subcompressi, superne filiformes, striati, glabri, erecti, pedales. *Folia* prope radicem aggregata, disticha, linearia, patentia, digitalia, in culmo vaginantia, adpressa, brevia. *Spicae* terminales, plerumque sex, raro septem vel quinque, lineares, compressae floribus unilateralibus, falcatae, sesquipollicares. *Calyx* bracteiformis, biglumis, subtriflorus; *gluma* exterior ovata, obtusa, bifida, carinata, aristata, integra, glabra, brunea, flore brevior: *arista* setacea, recta, longitudine floris; interior concava, obtusa, mutica, ceterum similis. *Corolla* floris inferioris et majoris major, ovata, obtusa, concava, margine membranaceo-albida, tenuissime ciliata, brunea.

LI. HOLCUS.

Hermaphrod. Cal. gluma 1-2-*flora. Cor. gluma aristata. Stam.* 3. *Styli* 2. *Sem.* 1.
Masc. Cal. gluma 2-*valvis. Cor.* o. *Stam.* 3.

1. H. (*caffrorum.*) glumis villosis; seminibus compressis, inermibus. *Prodrom. Cap.* p. 20.

Africanis incolis: Caffers korn, Maquas korn. Crescit cultus apud Caffros et rarius ab incolis europaeis. Floret Aprili, Maja.

Culmus teres, striatus, glaber erectus, orgyalis. *Folia* vaginantia, lata, ensiformia, acuminata, integra, glabra, culmum aequantia *Panicula* amplissima, patens, *Rhachis* angulata, subviliosa. *Pedanculi* subverticillati, angulati, flexuosi, villosi. *Pedicelli* alterni, pedunculis similes. *Glumae* ovatae, obtusae, inermes, totae flavescentes. *Styli* penicilliformes. *Aristas* nunquam observavi. *Usus:* pro pane inservit Caffris et aliis nonnullis Hottentottis.

2. H. (*capillaris.*) glumis bifloris, glabris; flosculo hermaphrodito, mutico; masculo aristato. *Prodrom. Capens.* p. 20.

Culmi e radice plurimi, inaequales, basi decumbentes, geniculati, erecti, glabri, digitales, usque pedales. *Folia* vaginantia, pilosa, brevissima. *Vaginae* inflatae, longae, striatae, villosae, ciliatae. *Panicula* trichotoma, amplissima, patentissima. *Pedunculi* et pedicelli capillares, flexuosi, glabri. *Glumae* lanceolatae, naviculares; carina subvillosa. *Differt* eo ab HOLCO *molli* europaeo, quod pedunculi et pedicelli glabri, nec villosi.

3. H. (*avenaceus.*) glumis glabris; seminibus hirsutis, aristatis; paniculâ spicatâ. *Prodrom. Cap.* p. 29.

Crescit in Bockeveld.

Culmus teres, striatus, glaber, erectus, pedalis et utra. *Folia* vaginantia, convoluto-filiformia, glabra, patentia, culmo vix breviora; *vaginae* longae, striatae, glabrae, ore lanatae. *Panicula* palmaris. *Calyx* biglumis, biflorus: *Glumae* naviculares, lanceolatae, acuminatae, unguiculares. *Corolla* utraque tota albo-villosa, calyce brevior, aristata: *arista* inferne tortilis, geniculata, apice setacea, tota glabra, calyce paulo longior.

4. H. (*setifolius.*) glumis bifloris, muticis, acutis; foliis filiformi-setaceis.

Culmus filiformis, erectus, glaber, simplex, pedalis et ultra. *Folia* alterna, vaginantia, glabra, inferne filiformia, superne setacea, flexuosa, erecta, culmo breviora. *Panicula* patens, glabra. *Florescentia* fere exacta mihi visa.

5. H. (*serratus.*) glumis pubescentibus; spicis, alternis; foliis serratis. HOLCUS *serratus. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 931. *Thunb.* Prodrom. Capens. p. 931.

Crescit in interioribus campis graminosis. Floret Novembri.

Culmus basi decumbens, mox inferne ramosus, tandem erectus, filiformis, striatus, glaber, pedalis. *Folia* inferne approximata, superne nulla, alternatim vaginantia, disticha, lanceolata, striata, glabra, pollicaria. *Flores* spicati: *spicae* parvae. *Calyx* biflorus, subtriglumis: *gluma* extima minima ut in PANICO, reliquae ovatae; omnes concavae, obtusae. *Corolla* subbivalvis, valvulis glabris. *Arista* nulla, nec in flosculo hermaphrodito, neque in masculo.

Obs. Singularis est flos hujus calyce triplici, uti etiam in HOLCO *spicato*, forsan potius ad PANICUM reducendus imprimis ob fasciculum floris setaceum.

6. H. (*asper.*) glumis glabris; paniculâ coarctatâ; foliis serratis. *Prodrom. Cap.* p. 20.

Crescit in summis lateribus montium urbis.

Florentem nunquam inveni, sed semper post florescentiam. *Culmus* basi vel simplex, vel parum ramosus, erectus, glaber, pedalis. *Folia* vaginantia, ensiformia, attenuato-acuminata, striata, pilosa, muricata, globulis marginalibus serrata, flexuosa, culmo breviora. *Panicula* ovata. *Pedunculi* et pedicelli dichotomi, capillares, glabri. *Calyx* biglumis: *glumae* naviculares, lanceolatae, subaristatae.

LII. PEROTIS.

Cal. 0. *Cor.* 2-*valvis: valvulae aequales aristatae, lanugine involucratâ.*

1. P. (*latifolia.*) paniculâ spicatâ; foliis laevibus. SACCHARUM *spicatum. Linn.* Syst. Veget. XIV. pag. 103. Spec. Plant. p. 79.

Crescit inter frutices in collibus infra Taffelberg, latere orientali, et in regionibus Constantiae. Floret Majo.

LIII. MELICA.

Cal. 2-*valvis,* 2-*florus. Rudimentum floris inter flosculos.*

1. M. (*decumbens.*) corollis hirsutis; floribus racemosis, nutantibus; culmo decumbente. *Prodrom. Capens.* p. 21.

Culmus filiformis, basi decumbens, curvato-erectus, glaber, spithamaeus. *Folia* in medio culmo aggregata, alternatim vaginantia, convoluto-teretia, apice setacea, disticha, glabra, culmo breviora. *Racemus* flexuoso-erectus, digitalis. *Flores* circiter sex vel septem, secundi, cernui. *Pedunculi* capillares, incrassati, geniculati, pilosi, flore breviores. *Calyx* lanceolatus, concavus, muticus, glaber. *Corolla* tota villosa, mutica, calyce paulo longior.

2. M. (*racemosa.*) corollis hirtis; racemis cernuis; culmo erecto. *Prodrom. Capens.* p. 21.

Culmus simplex, filiformis, striatus, glaber, bipedalis. *Folia* filiformi-setacea, glabra, brevia. *Racemi* circiter quatuor, vix paniculati, remoti. *Pedunculi* et pedicelli capillares, flexuosi, glabri. *Flores* circiter septem, inferiores pedunculati, superiores sessiles, secundi, cernui. *Calyx* biglumis, glaber: *Glumae* inaequales, oblongae, acutae, corollâ paulo breviores. *Corollae* hirsutae, acutae.

LIV. ISCHAEMUM.

HERMAPHROD. *Cal. gluma* 2-*flora. Cor.* 2-*valvis. Stam.* 3. *Styl.* 2. *Sem.* 1.

MASC. *Cal. et Cor. ut in priore. Stam.* 3.

1. I. (*aristatum.*) seminibus aristatis. ISCHAEMUM *aristatum. Linn.* Syst. Vegetab. XIV. p. 906. Spec. Plant. p. 1487.

LV. APLUDA.

Cal. gluma communis bivalvis: flosculo femineo sessili, masculisque pedunculatis.

♀. *Cal.* o. *Cor. bivalvis. Styl.* 1. *Sem.* 1, *tectum.*

♂. *Cal.* o. *Cor. bivalvis. Stam.* 3.

1. A. (*aristata.*) foliis lanceolatis; floribus masculis muticis; sessili aristato. APLUDA *aristata. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 906. Plant. p. 1487.

Crescit in campis interioris Africae graminosis.

LVI. BRIZA.

Cal. 2-valvis, multiflorus. Spica disticha, valvulis cordatis, obtusis: interiore minutâ.

1. B. (*geniculata.*) spiculis ovatis; calyce floribus breviore; culmo geniculato. *Prodrom. Capens.* p. 21.

Crescit in interioribus regionibus.

Culmi e radice plures, teretes, articulati, geniculato-inflexi, glabri, palmares usque spithamaei. *Folia* alternatim vaginantia, subulata, patentia, glabra, sesquipollicaria. *Panicula* patens, multiflora. *Pedunculi* et pedicelli bini et alterni, capillares, flexuosi, glabri. *Spiculae* compressae, glabrae floribus circiter quatuordecim. *Calyx* spiculis brevior, longitudine coroliae.

2. B. (*capensis.*) spiculis ovatis decemfloris; paniculâ coarctatâ. POA *brizoides. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 115. Prod. Cap. p. 21.

Crescit in montibus.

Radix fibrosa. *Culmus* inferne geniculatus, striatus, glaber, erectus, pedalis. *Folia* radicalia aggregata et caulina vaginantia, ensiformia, attenuata, striata, glabra, culmo triplo breviora. *Rhachis* flexuosa, glabra. *Pedunculi* capillares, glabri. *Spiculae* compressae, obtusae, inaequales. *Calyx* biglumis, multiflorus, floribus 7, 11, 13 vel 15; Glumae muticae, concavae, carinatae, glabrae. *Corolla* bivalvis: *valvulae* ovatae, muticae, trinerves, glabrae.

LVII. POA.

Cal. 2-valvis, multiflorus. Spicula ovata: valvulis margine scariosis, acutiusculis.

1. P (*filiformis.*) paniculâ patenti; spiculis acutis quadrifloris; foliis filiformibus. *Prod. Cap.* p. 21.

Culmus filiformis, geniculatus, erectus, striatus, glaber, pe-

dalis et ultra. *Folia* radicalia plurima, convoluto-filiformia, apice setacea, curvata, glabra, breviora. *Panicula* ante florescentiam subcontracta, oblonga; sub-florescentia patens, trichotoma, palmaris *Pedunculi* et pedicelli capillares, flexuosi, inaequales, glabri. *Spiculae* triflorae et glabrae.

2 P. (*striata.*) paniculâ patenti; spiculis ovatis subdecemfloris; culmo repente. *Prodrom. Cap.* p. 22.

Crescit ad margines Goudsrivier et in Cannaland. Floret Septembri, Octobri.

Radicis fibrae plures in culmo, capillares, pollicares usque spithamaeae. *Culmus* omnino decumbens, squamis imbricatus, radicans, ramosus. *Rami* e culmi pagina superiori alterni, frequentissimi, imbricati foliis, curvati, erecti, semipollicares. *Folia* in ramis imbricata, vaginantia, oblonga, obtusa, supra concava, subtus convexa, utrinque striata, glabra, patentia, recurva, semiunguicularia. *Culmus* florifer ex apice ramorum, geniculato-inflexus, erectus, filiformis, striatus, glaber, palmaris. *Panicula* pedunculis alternis: pedicellis brevissimis, glabris. *Spiculae* compressae, glabrae.

3. P. (*sarmentosa.*) paniculâ coarctatâ; spiculis lanceolatis, decemfloris; culmo sarmentoso. *Prodrom. Cap.* p. 21.

Crescit in collibus sparsim.

Culmus basi decumbens, radicans, articulatus, geniculatus, erectiusculus, glaber, palmaris usque pedalis vel ultra *Folia* sessilia in articulis, sursum vaginantia, dein geniculata, patentia, lineari-subulata, glabra; vaginae orè ciliatae. *Panicula* contracta, digitalis, spicis inferioribus remotis, superioribus densioribus. *Spiculae* compressae, acutae, serratae, glabrae, unguiculares.

4. P. (*racemosa.*) paniculâ coarctatâ; spiculis ovatis 9-floris; pedunculis brevissimis. *Prodrom. Capens.* p. 21.

Culmus basi geniculato-inflexus, dein erectus, filiformis, glaber, spithamaeus. *Folia* radicalia, plura, ensiformia, plana; in culmo subulata, brevissima; omnia glabra. *Panicula* oblonga, contracta. *Pedunculi* et pedicelli flexuosi, glabri: brevissimi. *Spiculae* obtusae, subinflatae fere ut in BRIZA, circiter 9- vel 10 florae, glabrae, pedicellis longiores, lineam longae.

5. P. (*glomerata.*) paniculâ spicatâ glomeratâ; spiculis quadrifloris; corollis ciliatis. *Prodrom. Capens.* p. 22.

Culmus filiformis, geniculatus, erectus, glaber, pedalis. *Folia* radicalia plura, filiformia, glabra, palmaria; in culmo alterna, similia, breviora. *Panicula* cylindrica, composita e glomerulis pluribus subinterruptis, pollicaris. *Calyx* glaber, quadriflorus spiculis ovatis. *Corollinae* valvulae ovatae, naviculares, basi dorsi ciliatae.

6. P. (*cyperoides.*) paniculis spicato-glomeratis; spiculis 11-floris; culmo ramoso; foliis subulatis. *Prodrom. Cap.* p. 22.

Crescit extra Cap in dunis et alibi rarius.

Culmus inferne ramosus, decumbens, curvatus, erectus, teres, laevis, glaber; superne aphyllus, pedalis. *Folia* culmum inferne vaginantia, vaginis inflatis, convoluto subulata, rigidiuscula uti et culmus, erecto patula, glabra, pollicaria vel paulo ultra. *Vaginae* ore villosae. *Paniculae* alternae, tres vel quatuor, spicato glomeratae vel subcapitatae, glabrae. *Pedunculi* et pedicelli glabri, brevissimi. *Spiculae* oblongae, acutae, serratae, unguiculares.

7. P. (*spinosa.*) spicis pedunculatis sparsis; ramis spinescentibus; culmo ramoso. Festuca *spinosa. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 119. *Willd.* Sp. 307. Prodr Cap. p. 22.

Crescit in Carro pone Bockeveld, et in Hantum. Floret Octobri.

Culmus ramosissimus, paniculatus, fruticescens, rigidus, inferne teres, superne compressus, glaber, pedalis et ultra. *Rami* alterni, subangulati, ramulosi. *Ramuli* alterni, depressi, subulati, spinescentes, horizontaliter patentes, glabri, pollicares. *Folia* in culmo et ramis vaginantia vaginis inflatis, glabra. *Spiculae* in ramulis pedunculatae, trium parium, suboppositae, pendulae, lanceolatae, acutae, serratae, compressae, glabrae, circiter decemflorae, unguiculares.

LVIII. FESTUCA.

Cal. bivalvis. Spicula oblonga, teretiuscula, glumis acuminatis.

1. F. (*bromoides.*) paniculâ secundâ; spiculis erectis; calycis valvulâ alterâ acuminatâ. Festuca *bromoides. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 118. Spec. Plant. p. 110.

Crescit in arenosis Swartlandiae. Floret Octobri.

Culmus capillaris, palmaris. *Folia* capillaria, brevia. *Calycis* glumae inaequales: altera brevior, subfiliformis; altera longior, aristatâ acuminata. *Corollinae* valvulae subscabridae, aristatae. Aristae setaceae, subscabridae, longitudine spicularum.

LIX. DACTYLIS.

Cal. bivalvis, compressus; alterâ valvulâ majore carinatâ.

1. D. (*laevis.*) paniculâ coarctatâ; glumis laevibus. Dactylis *laevis. Willd.* Spec. Pl. 1: 1. p. 408.

Crescit in Swartland. Floret Septembri, Octobri.

Culmus erectus, striatus, bipedalis. *Folia* vaginantia, ensiformia, plana, striata, patentia, breviora. *Panicula* contracta, subspicata, palmaris, constans e spiculis ovatis, compressis, laevibus, plurimis. *Spiculae* oblongae, circiter sexflorae. *Glumae* lanceolatae, acutae, tenuissime vixque manifeste villosae; calycinis paulo brevioribus, laevibus. Dactylis *glomerata* ab hac distinguitur glumis ciliatis.

2. D. (*villosa.*) paniculâ spicatâ; glumis villosis. *Prodrom. Cap.* p 22.

Culmus teres, glaber, striatus, erectus, pedalis vel ultra. *Folia* radicalia et in culmo alterna, vaginantia, lineari filiformia, glabra, brevia. *Florum* panicula coarctata, digitalis. *Rhachis* et pedunculi villosi. *Spiculae* quadri- vel quinqueflorae, ovatae. *Calyx* et corollae tenuissimae, totae extus pubescentes. *Differt* a DACTYL. *glomerata*, glumis pubescentibus nec ciliatis.

3. D. (*serrata*) paniculâ coarctatâ; glumis carinâ serrulatis. *Prodrom. Cap.* p. 22.

Culmus erectus, glaber, striatus, bipedâlis. *Folia* longe vaginantia, vaginis striatis, attenuata, breviora. *Flores* paniculati: panicula palmaris. *Spiculae* ovatae, compressae, laeves. *Calyx* 5 florus, subaequalis, biglumis: *glumae* naviculares, carinatae, lanceolatae; glabrae, carinâ glumae alterius tenuissimae et vix manifeste serrulata. *Corolla* bivalvis: *valvulâ* exterior paulo major; ambae naviculares, lanceolatae, carinâ serrulatae.

4. D (*ciliaris.*) paniculâ spicatâ, involucratâ ovatâ; glumis ciliatis. DACTYLIS *ciliaris. Linn.* Syst. Veg XIV. p. 116.

Radix fibrosa. *Culmi* e radice plures, usque septem, capillares, simplices, inferne geniculato-inflexi, striati, pubescentes, erecti, inaequales, pollicares usque palmares. *Folia* vaginantia, filiformia, tenuissime villosa, erecta, culmo longiora; florale simile, setaceum vaginâ ventricosa, spicâ duplo longius. *Panicula* arcte glomerata, oblonga, obtusa, constans e pluribus spiculis compressis, erecta, unguicularis. *Calyx* biglumis, circiter quadriflorus: *glumae* naviculares, albae margine purpureo, dorso punctis elevatis, ciliis albis. *Corolla* lutea margine purpureo, concava, ovata, acuta, imprimis inferne ciliata barbâ albâ.

5. D. (*hispida.*) paniculâ spicatâ, ovatâ, nudâ; calyce hispido; geniculis barbatis. *Prodrom. Cap.* p. 22.

Crescit in Swartland. Floret Septembri, Octobri.

Radix fibrosa. *Culmus* e radice solitarius, duo vel tres filiformes, geniculato inflexus, erectus, purpurascens, glaber, sub pedalis. *Folia* radicalia plura, filiformia, glabra, digitalia, in culmo subulata, patentia, vaginarum ore pilis albis barbata, pollicaria. *Panicula* absque involucro, ovato-subrotunda, e pluribus spiculis glomerata, semipollicaris. *Pedunculi* et pedicelli glabri, brevissimi. *Calyx* biglumis, biflorus: *Glumae lanceolatae*, naviculares, extus purpurascentes, pilis albis undique hispidae; altera glumâ longior, carinata, longius acuminata. *Corolla* tota glabra.

LX. BROMUS.

Cal. bivalvis. Spicula oblonga, teres, disticha: arista infra apicem.

1. B. (*mollis.*) paniculâ erecto-patenti; spicis ovatis, foliisque villosis; aristis rectis. BROMUS *mollis. Linn.* Syst. Veg. XIV. p 119. Spec. Plant. p. 112.

Crescit in arenosis Saldanhabay et *Groene kloof. Floret Septembri, Octobri.*

Radix fibrosa. *Culmus* simplex, teres, striatus, erectus, palmaris usque pedalis *Folia* longe vaginantia, ensiformia, plana, nervosa, utrinque villosa, imprimis vaginis hirsuta, longitudine fere culmi. *Panicula* patens floribus erectis; pedunculis primum verticillatis, dein superius trichotomis, ultimo binis, capillaribus, glabris, inaequalibus. *Spiculae* oblongo-ovatae, compressae, sexflorae, unguiculares. *Calyx* biglumis, naviculari, lanceolatus, acuminatus, non aristatus, corolla brevior, villosus. *Corollinae* valvulae naviculares, lanceolato-acuminatae, sub apice aristatae, totae villosae; arista setacea, corolla paulo longior.

2. B. (*pectinatus.*) paniculâ patenti; spicis ovatis, glabris; corollae valvulâ interiori ciliatâ muticâ. *Prodrom. Capens.* p. 22.

Crescit et floret cum priori.

Culmus simplex, erectus, glaber, bipedalis *Folia* pauca, plana, nervosa, utrinque villosa. *Panicula* spiculis erectis, primum pedunculis umbellatis, dein trichotomis capillaribus, flexuosis, scabris, inaequalibus. *Spiculae* oblongae, compressae, glabrae, circiter 9-florae, unguiculares. *Calyx* biglumis, naviculari, subulatus, tenuissime scaberulus: *glama* exterior paulo longior, valvulis corollinis brevior. *Corollinae* valvulae exteriores lanceolatae, acuminatae, sub apice aristatae, naviculares, lineis elevatis nervosae, tenuissime scabrae: *arista* recta, longitudine corollae. *Valvula* interior concava, lanceolata, mutica, obtusa, diaphana, alba, marginibus lateralibus viridibus, brevior, glabra marginibus ciliatis; ciliis albis remotis, patentibus.

LXI. AVENA.

Cal. 2-*valvis*, *multiflorus: aristâ dorsali contortâ.*

1. A. (*aristidoides.*) paniculâ trichotomâ; calycibus biforis; corollis bifidis aristatis. *Prodrom. Capens.* p. 22.

Crescit in interioribus regionibus. Floret Novembri.

Culmus simplex, erectus, glaber, pedalis vel ultra. *Folia* radicalia plura, basi villosa, attenuato-setacea, striata, glabra, vaginis ciliatis, breviora. *Florum* panicula erecto-patens. *Pedanculi* capillares, glabri. *Calyx* biglumis, subaequalis, *glumae* naviculares, lanceolatae, setacco-acuminatae, glabrae, unguiculares. *Corolla* bivalvis, pilosa; *valvula* interior tenuior, mutica; exterior bifida, setaceo-acuminata, dorso aristata: arista tortilis, glabra, flore quadruplo longior.

Obs. Corolla quasi triaristata ARISTIDAM refert, in hac et sequenti specie.

2. A. (*triseta.*) paniculâ trichotomâ; calycibus biforis;

corollis triaristatis : aristis lateralibus basi villosis brevioribus. *Prodrom. Capens.* p. 22.

Culmi solitarii, duo vel tres e radice, filiformes, striati, glabri, geniculato-erecti, vix pedales. *Folia* convoluto-subulata, pilosa, brevissima *Florum* panicula parum ampla. *Pedunculi* capillares, e globulo exeuntes. *Calyx* biglumis aequalis: glumae lanceolatae, aristato acuminatae, concavae, pilosae, unguiculares, corolla duplo longiores. *Corolla* glabra, apice pilosa, *Aristae* calyce longiores; intermedia triplo longior, geniculata, glabra.

Obs. Nonnullae AVENAE capenses corollam habent bifidam laciniis setaceis, adeoque triaristatam, unde valde ARISTIDIS similes; distinguuntur vero calyce bifloro vel multifloro.

3. A. (*pallida.*) paniculâ trichotomâ; calycibus bifloris; corollis triaristatis; aristis nudis, intermediâ longiori. *Prodrom. Capens.* p. 22.

Crescit prope Verkeerde Valley. Floret Novembri, Decembri.

Radix fibrosa. *Culmus* teres, articulatus, erectus, glaber, pedalis. *Folia* radicalia plurima et in culmo vaginantia, lineari-subulata, seu e basi ad medium linearia, inde attenuata, integra, villosa, articulis longiora, culmo breviora. *Flores* paniculati. *Panicula* patens. *Pedunculi* et pedicelli capillares, purpurascentes, glabri: basi pilosâ, globosâ. *Calyx* biglumis, glaber; *Glumae* aequales; lanceolatae, acutae, subaristatae, concavae, extus carinatae, glabrae, albidae carinâ viridi, corollâ longiores *Corolla* calyce minor, *aristae* glabrae, laterales capillares, tenuissimae, brevissimae, erectae, albae; intermedia setaceo-subulata, geniculato-reflexa, duas lineas longa seu corollâ triplo longior, purpurea. *Filamenta* tria, capillaria, alba, brevissima. *Antherae* cruciatae, flavae. *Styli* duo, brevissimi. *Stigmata* patentia, villosa, purpurea, longitudine filamentorum.

Varietas β. foliorum vaginis hirsutis, major, panicula ampliori.

4. A. (*antarctica.*) paniculâ coarctatâ; calycibus quadrifloris; corollis bifidis, aristatis. *Prodrom. Capens.* p. 22.

Culmus erectus, glaber, pedalis et ultra. *Folia* convoluto-subfiliformia, glabra, breviora. *Florum* panicula subspicata, palmaris. *Calyx* biglumis, inaequalis: *glumae* naviculares, lanceolatae, acuminatae, glabrae, alterâ longiore. *Corolla* bivalvis, basi pilosa: *valvula* altera minor, mutica; altera longior, bifida, setaceo acuminata; arista floribus longior.

5. A. (*elephantina*) paniculâ compositâ; calycibus quadrifloris; corollis pilosis, bifidis, aristatis. *Prodrom. Cap.* p. 23.

Incolis Europaeis: Olyfants-Gras. Crescit in arenosis Swartlandiae et alibi. Floret Septembri, Octobri.

Culmus erectus, glaber, orgyalis. *Folia* longe vaginantia,

ensiformia, setaceo-acuminata, striata, glabra: vaginae striatae, glabrae. *Panicula* supradecomposita, palmaris. *Calyx* biglumis, aequalis, *glumae* lanceolatae, acutae, glabrae. *Corolla* tota pilosa: *valvula* altera bifida, setaceo-acuminata, aristata. *Arista* valde tortilis spiraliter, glabra, geniculata, flore triplo longior.

6. A. (*lupulina.*) paniculâ coarctatâ; calycibus quadrifloris; corollis villosis aristatis; culmo erecto. AVENA *lupulina*. *Linn.* Syst. Veget XIV. p. 122.

Culmus simplex, striatus, glaber, pedalis. *Folia* radicalia plura, convoluto-subfiliformia, basi lanata, supra striata, glabra, breviora; in culmo brevissima vaginis inflatis. *Florum* panicula ovata, pollicaris. *Pedunculi* brevissimi, subnulli. *Calyx* biglumis, lanceolatus, glaber. *Corollae arista* calyce longior.

7. A. (*purpurea.*) paniculâ coarctatâ; calycibus quadrifloris; corollis villosis aristatis; culmo decumbente. AVENA *purpurea*. *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 122.

Crescit in Roggeveld.

Culmi plures e radice, capillares, purpurei, glabri, basi decumbentes, curvato-erecti, palmares. *Folia* radicalia aggregata, filiformia, glabra, culmo multoties breviora; in culmo vaginantia, brevissima. *Florum* panicula ovata, unguicularis. *Calyx* biglumis, glaber; *glumae* lanceolatae, acutae, concavae, purpurascentes. *Corolla* bivalvis, pellucida, alba, brevior; *valvula* altera excisa, aristata: *arista* supra basin inserta, tortilis, geniculata, calyce longior.

LXII. ROTTBOELLIA.

Rhachis articulata, teretiuscula, in pluribus filiformis. Cal. ovato-lanceolatus, planus, simplex s. bipartitus. Flosculi alterni in rhachi flexuosa.

1. R. (*dimidiata.*) spicâ dimidiatâ, compressâ, lineari; latere exteriori, flosculoso. ROTTBOELLIA *dimidiata*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 124.

Crescit hinc inde in collibus prope Cap et juxta Swartkopsrivier. Floret Augusto, Decembri.

Culmus brevissimus, decumbens.

LXIII. SECALE.

Cal. oppositus, bivalvis, biflorus, solitarius.

1. S. (*cereale*) glumis lanceolatis, ciliatis subscabris. SECALE *cereale*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 124. Spec. Plant. p. 124.

Crescit sponte in Roggeveld, regione montosa, ab hoc gramine nomen suum adepta. Incolis Wilde Rogg.

LXIV. TRITICUM.

Cal. bivalvis, solitarius, subtriflorus. Flos obtusiusculus, acutus.

1. T. (*distichum.*) calycibus quadrifloris, glabris, muticis; floribus distichis; foliis filiformibus. *Thunb. Prodrom. Capens.* p. 23.

Crescit in littore extra Cap.

Radix perennis, repens. *Culmi* e radice plures, assurgentes, striati, glabri, pedales. *Folia* vaginantia vaginis striatis, convoluto filiformia, incurva, glabra, culmi fere longitudine. *Flores* spicati. Spiculae distichae, patulae, glabrae, unguiculares. *Calyx* biglumis, navicularis, laevis, quadriflorus vel subquinqueflorus. *Corollae* laeves, muticae valvulâ exteriori majori.

LXV. HORDEUM.

Cal. lateralis, bivalvis, uniflorus, ternus.

1. H. (*capense.*) floseulis lateralibus masculis; involucris scabris.

Incolis europaeis: wilde Garst. Crescit in arenosis Swartland, et Saldanhabay, inque Roggeveld. Floret Septembri et sequentibus mensibus.

Culmi e radice plures, erecti, pedales. *Folia* lanceolato-ensiformia, glabra, brevissima. *Flores* in singulo pedicello terni, involucrati, laterales abortientes. Involucra setacea. *Differt* ab H. *murino* involucris scabris, nec ciliatis.

LXVI. CYNOSURUS.

Cal. 2-valvis, multiflorus: receptaculum proprium unilaterale, foliaceum.

1. C. (*uniolae.*) spicâ solitariâ, disticho-secundâ; calyce multifloro, mucronato; corollis basi villosis. Cynosurus *Uniolae. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 117.

Crescit in graminosis campis.

Radix fibrosa, cespitosa. *Calmi* simplices, e radice plures, filiformes, erecti, spithamaei usque sesquipedales. *Folia* filiformia, glabra, curva, breviora; in culmo plura, vaginantia. *Spica* disticha, oblonga, erecta, floribus secundis bifariis, vix pollicaris. *Rhachis* flexuosa. *Calyx* biglumis, aequalis, quadriflorus usque novem florus: *glumae* ovatae, valde concavae, acuminato-subaristatae, glabrae. *Corolla* bivalvis, inaequalis: *valvula* exterior ovata, obtusa, concava: basi extus pilosa, integra, interiorem angustiorem includens.

2. C. (*paniculatus.*) spicâ compositâ, ovatâ; calyce multifloro: glumâ alterâ mucronatâ; corollis basi pilosis. *Prodrom. Capens.* p. 23.

Calmus simplex, glaber, erectus, pedalis. *Folia* vaginantia, glabra, breviora. *Spica* ovato-oblonga, e spiculis lateralibus coarctatis *Calyx* biglumis, subaequalis, circiter sexflorus: *glumae* ovatae, concavae, glabrae: exterior mucronata. *Corollae* valvulae exteriores ovatae, concavae, interiorem angustiorem includentes, acutae, basi extus hirsutae.

TRIGYNIA.

LXVII. HOLOSTEUM.

Cal. 5-*phyllus.* *Pet.* 5. *Caps.* 1-*locularis, subcylindracea, apice dehiscens.*

1. H. (*tetraphyllum.*) caule ramoso, decumbente; foliis quaternis. Polycarpon *tetraphyllum.* *Linn* Syst. Veg. XIV. p. 119. Spec. Plant. p. 131.

Crescit prope Cap, ad latera fossarum. *Floret Majo et sequentibus mensibus.*

Similis omnino europaeo.

LXVIII. MOLLUGO.

Cal. 5-*phyllus.* *Cor.* 0. *Caps.* 3-*locularis*, 3-*valvis.*

1. M. (*hirta.*) decumbens, villosa; foliis obovatis.

Radix filiformis, annua *Caulis* nullus, sed rami decumbentes, diffusi, filiformes, uti tota planta villosi. *Folia* verticillata, quaterna vel plura, inaequalia, petiolata, obtusa, integra, semiunguicularia. *Flores* verticillati, brevissime pedunculati.

Classis IV.

TETRANDRIA.

MONOGYNIA.

LXIX. PROTEA.

Cor. 4-petala, petalis subinde vel basi vel apice cohaerentibus. Antherae lineares v. oblongae, insertae petalis infra apicem. Cal. proprius o. *Sem.* 1 *superum, nudum.*

1. P. (*plumigera.*) foliis trifidis filiformibus; caule erecto; capitulis plumosis.

Caulis frutescens, erectus, glaber, ramosus. *Folia* simplicia, bifida vel trifida, patentia, glabra, pollicaria. *Capitula* globosa, terminalia, nuce avellanâ majora. Differt a *decumbente* caule erectiusculo, capitulis hirsutissimis.

2. P. (*decumbens.*) foliis trifidis, filiformibus; caule decumbente. PROTEA *decumbens. Thunb.* Dissert. de Protea. p. 14. tab. 1. *Linn.* Syst. Veget. XIV p. 39.

Crescit in campis sabulosis.

Fruticulis filiformis, angulatus, parum ramosus, glaber, sanguineus, decumbens, pedalis. *Rami* in apice caulis, circiter quatuor, alterni, cauli similes. *Folia* simpliciter trifida, secunda, erecta, glabra, remota, digitalia, internodiis longiora. *Pinnae* in medio folio oppositae, folio similes, lobo medio paulo breviores. *Florum* capitula in apicibus caulis et ramorum terminalia, magnitudine pisi majoris. *Perianthium* commune imbricatum, glabrum, squamis ovatis, acutis. *Corolla* sericea.

3. P. (*florida.*) foliis trifidis, filiformibus; caule erecto; capitulis solitariis, bracteis obvallatis. PROTEA *florida. Thunb.* Dissert. p. 15. tab. . *Linn.* Syst. Veg. XIV p. 136.

Crescit in montibus Fransche hoek. Floret Januario et sequentibus mensibus.

Fratex teres, erectus, purpureus, totus excepto calyce glaber, pedalis et ultra. *Folia* sparsa, apice glandulosa, inferiora, pinnata, superiora trifida, erecta, palmaria. *Pinnae* oppositae, subtrijugae, pollicares, sensim breviores. *Florum* capitula terminalia, pedunculata. *Pedunculi* plures, alterni, erecto patuli, bracteati, uniflori, inaequales, pollicares usque palmares.

Bracteae in pedunculis inferne sparsae, lanceolatae; superne aggregatae, flores obvallantes; majores oblongae: omnes acutae, integrae, membranaceae, purpurascentes, pollicares. *Perianthium* imbricatum; *squamae* lanceolatae, membranaceae, glabrae, ciliatae ciliis flavescentibus longis imprimis versus apices.

4 P. (*cyanoides.*) foliis trifido-pinnatis, filiformibus; caule erecto; capitulis solitariis, nudis. PROTEA *cyanoides*. *Thunb.* Dissert. p. 15. 45. *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 136.

Frutex teres, erectus, simplex vel ramosus, glaber. *Rami* subverti illati, caulibus similes, inaequales. *Folia* simpliciter trifida, rarius bis trifida, acuta, glabra, frequentia, erecta, pollicaria et ultra. *Pinnae* oppositae, consimiles. *Florum* capitula in apicibus caulis et ramorum terminalia, magnitudine circiter nucis avellanae. *Perianthium* commune imbricatum, ferrugineum, glabrum: *squamis* lanceolatis, superioribus ciliatis ciliis albis. *Corollae* intus purpurascens, extus tota lanata pilis longis densisque albis.

5. P. (*patula.*) foliis trifido-pinnatis, filiformibus; caule erecto; capitulis aggregatis. PROTEA *patula*. *Thunb.* Dissert. p. 16. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 136.

Frutex filiformis, erectus, glaber, ramosus, pedalis. *Rami* umbellati, glabri vel pubescentes, inaequales, patentes, ramulosi ramulis filiformibus. *Folia* rarissime bipinnata, callosoacuta, frequentia, glabra, patula, pollicaria. *Florum* capitula in ramis et ramulis terminalia, subsessilia, sensim florentia, magnitudine pisi. *Perianthium* commune imbricatum: *squamae* ovatae, acuminatae, glabrae. *Corollae* niveo-tomentosa.

6. P. (*coarctata.*) foliis filiformibus trifernatis; caule ramisque erectis; calycibus brevissimis, obtusis.

PR *patula* differt ramis divaricato-patulis, calycinis squamis acuminatis. *Caulis* frutescens, glaber, ramosus. *Rami* pauci versus summitatem, erecto-coarctati, glabri. *Folia* trifida, glabra. *Capitula* terminalia, hirsuta, alba. *Calycinae squamae* brevissimae.

7. P. (*sphaerocephala*) foliis bipinnatis filiformibus; pedunculis capitulis brevioribus; squamis calycinis ovatis basi villosis. PROTEA *sphaerocephala*. *Thunb.* Dissert. p. 16. 47. *Linn.* Syst. Veg. XIV p. 136.

Frutex teres, flexuosus, erectus, rigidus, fusco-purpureus, simplex, superne totus tectus foliis, inferne aphyllus, pedalis, crassitie calami anserini. *Folia* flexuosa, erecta, glabra, frequentia, pollicaria. *Pinnae* circiter quatuor, oppositae. *Pinnulae* alternae, subfastigiatae, apice acutae, rufescenti-glandulosae. *Florum* capitula in apice caulis terminalia, pedunculata, aggregata, magnitudine fere nucis avellanae. *Pedunculi* rufescentes, hirti, uniflori, inferiores horizontales, superiores erecti, capitulis duplo breviores. *Perianthium* commune imbricatum: *squamis* latis, acuminatis, rufescentibus. *Corollae* argentea, pilis longis imbricatis.

8. P. (*serraria.*) foliis bipinnatis, filiformibus, hirtis; pedunculis capitulis longioribus; squamis calycinis, ovato-lanceolatis, hirtis. PROTEA *serraria. Thunb.* Dissert. p. 17. 46. *Linn* Syst. Veg. XIV. p 136.

Crescit in collibus infra latus orientale Taffelberg, inque summis montium cacuminibus inter Cap et Bayfalso, aliorumque Floret Aprili et sequentibus mensibus.

Frutex teretiusculus, flexuosus, erectus, ramosus, purpureus, glaber, bipedalis et ultra, crassitie vix calami columbini. *Rami* alterni, flexuosi, filiformes, subfastigiati, ceterum caulis similes, rarius ramulosi, erecti, patuli. *Folia* erecto patula, frequentia, internodiis longiora, pollicaria. *Pinnae* circiter tres, oppositae *Pinnulae* alternae, glanduloso acutae. *Florum* capitula in ramis terminalia, pedunculata, fastigiata, aggregata, magnitudine pisi *Pedunculi* filiformes, alterni, laxi, villosi, superiores sensim breviores *Perianthium* commune polyphyllum, hirsutum, brevissimum: *squamis* lanceolatis. *Corolla* extus hirta

Variat: α. foliis omnibus glabris. β. foliis inferioribus glabris, superioribus hirtis. γ. foliis inferioribus hirtis, superioribus hirsutissimis.

9. P. (*candicans.*) foliis trifido bipinnatis, filiformibus, sericeis; capitulis subspicatis; bracteis ovatis, acuminatis.

Crescit in interioribus provinciis.

Frutex erectus, superne ramosus, totus sericeo-tomentosus, bipedalis et ultra. *Rami* subverticillati, parum ramulosi. *Folia* trifido-subbipinnata, argentea. *Capitula* subsessilia, spicata, vix pisi magnitudine. *Bracteae* subquaternae. *Corolla* apice valde hirsuta.

10. P. (*triternata.*) foliis bipinnatis, filiformibus, glabris; pedunculis capitulis longioribus; squamis calycinis, lanceolatis, hirtis. PROTEA *triternata. Thunb.* Diss. p. 18. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p 136.

Fraticulus subangulatus, superne flexuosus, simplex, glaber, sesquipedalis et ultra. *Folia* triternata, versus apicem caulis frequentia, erecta, spithamaea. *Pinnae* oppositae, acutae, apice glandulosae. *Pinnulae* alternae *Florum* capitula terminalia, pedunculata, aggregata, magnitudine pisi majoris. *Pedunculi* alterni, flexuosi, cernui, uniflori et biflori, tomentosi, pollicares. *Bractea* ad basin pedunculi subulata, glabra. *Perianthium* commune polyphyllum. *Squamae* uti et paleae flores distinguentes. *Corolla* lanata pilis argenteis.

11. P. (*glomerata.*) foliis bipinnatis, filiformibus, pedunculo communi elongato; pedicellis capitulis longioribus. PROTEA *glomerata. Thunb.* Dissert. p. 13. 45. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 136.

Fraticulus teres, erectus, purpureus, glaber. *Folia* in apice caulis aggregata, glabra, sesquidigitalia *Pinnae* circiter quatuor, alternae, consimiles, apicibus calloso-rufescentibus.

Pinnulae circiter binae, alternae, pinnis similes. *Pedunculus* communis ex apice caulis continuatus, aphyllus, teres, purpurascens, glaber, spithamaeus; interdum pedunculi plures ex apice caulis. *Pedunculi* proprii versus apicem pedunculi communis aterni, uniflori vel biflori. *Bracteae* sub pedunculis subulatae, glabrae. *Florum* capitula magnitudine pisi majoris. *Perianthium* commune polyphyllum, glabrum: *squamis* ovatis, acuminatis. *Paleae* flores distinguentes squamis calycinis similes. *Corolla* extus hirsuta.

12. P (*erecta.*) foliis bipinnatis, filiformibus, glabris; capitulo terminali, sessili, globoso.

Frutex totus, excepto capitulo, glaber. *Caulis* teres erectus, virescenti bruneus, spithamaeus et ultra *Folia* sparsa, pinnata et bipinnata, tri- et quadrijuga, pinnulis sensim brevioribus, erecta, palmaria. *Capitulum* foliis cinctum, solitarium, sericeo-tomentosum, magnitudine Cerasi majoris. *Differt* a P. *phylicoide*: 1. capitulo solitario, minori, tomentoso nec lanato. 2. caule simplici, nec ramoso.

13. P (*phylicoides.*) foliis bipinnatis, filiformibus, capitulis terminalibus solitariis, lanati. Protea *phylicoides*. *Thunb.* Diss p 19. 47. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 137.

Fruticulus teres, erectus, fuscus, glaber, inferne a casu foliorum tuberculatus, superne ramosus, pedalis et ultra, crassitie calami scriptorii. *Rami* subumbellati, subfastigiati, hirti. *Folia* inferiora glabra, superiora hirta, frequentia, erecta, pollicaria. *Pinnae* circiter tres, oppositae. *Pinnulae* alternae, subulatae, apice rufescentes. *Florum* capitulum in ramis ovatum, nuce avellanâ majus. *Perianthium* commune polyphyllum: *squamis* lanceolatis, extus hirtis, intus glabris. *Corolla* lanata pilis densis, griseis.

14. P. (*lagopus.*) foliis bipinnatis, filiformibus; capitulis spicatis, aggregatis. Protea *lagopus*. *Thunb.* Dissert. p. 19. 47. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 137.

Frutex teres, erectus, inaequalis, cinereus, inferne aphyllus, glaber, superne ramosus. *Rami* subverticillati, erecti, hirti. *Folia* inferiora glabra, superiora villosa, pollicaria. *Pinnae* tres, oppositae *Pinnulae* alternae, acutae, apice glandulosae, rufescentes, fastigiatae. *Florum* capitula in ramis terminalia. *Spicae* solitariae, sessiles, oblongae, acutae, villosae villo densissimo albo, erectae, digitales: *capitulis* aggregatis, quadrifloris. *Diversa* omnino est a P. *spicata* capitulis suis aggregatis et spicâ conicâ, sessili, hirsutissimâ.

15. P. (*spicata.*) foliis bipinnatis filiformibus; capitulis spicatis distinctis. Protea *spicata*. *Thunb.* Diss. p. 20. 47. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 137.

Fruticulus teres, erectus, ramosus, purpureus, tenuissime tomentosus, bipedalis et ultra, crassitie calami scriptorii *Rami* verticillati, quaterni, cauli similes. *Folia* glabra, suprema sericea, frequentia, pollicaria. *Pinnae* tres, oppositae. *Pinnu-*

lae alternae, acutae, apicis glandulâ oblongâ flavescente. *Florum Spicae* versus apicem caulis et ramorum plures, pedunculatae, virgatae, erectae, digitales: *Capitulis* sparsis, remotis, quadrifloris. *Pedanculi* spicae sparsi, tomentosi, multiflori, pollicares et ultra. *Perianthium* commune tetraphyllum, tomentosum, erectum, absolutâ florescentiâ patentissimum: *squamis* ovatis, acutis, concavis, corollâ brevioribus. *Corollae* quatuor, extus tenuissime tomentosae, sub apice barbatae.

16. P. (*villosa.*) foliis trifido-pinnatis, filiformibus, pilosis; capitulis terminalibus; caule prolifero erecto.

Crescit in montibus.

Frutex erectus, totus pilosus, proliferus, rufescens, bipedalis et ultra, ramosus. *Rami* terni, quaterni, verticillato-proliferi, ramulis simplicibus. *Folia* acuta, imbricata, pollicaria. *Capitula* in ramulis solitaria, globosa, hirsuta nuce avellanâ majora. *Squamae* calycinae extus hirsutae.

17. P. (*spathulata.*) foliis inferioribus pinnatis, filiformibus; superioribus spathulatis. PROTEA *spathulata. Thunb.* Dissert. p. 44. t. 5. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 142.

Frutex erectus, glaber, ramosus, bipedalis et ultra. *Rami* bini vel terni, flexuoso-erecti, glabri, purpurascentes. *Folia* superiora obtusa, vaginantia, integra, obsolete striata, subcuculiata, glabra, imbricata, unguicularia. *Petioli* teretes, foliis breviores. *Florum* capitula in apicibus ramorum aggregata. *Perianthium* commune subtetraphyllum, quadriflorum, tomentosum. *Corollae* lanatae, vix unguiculares.

18. P. (*sceptrum.*) foliis inferioribus bipinnatis; superioribus trifidis, integri que. PROTEA *sceptrum. Thunb.* Dissert. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 137.

Crescit in summis montibus Hottentots Holland et alibi. Floret Januario et sequentibus mensibus.

Frutex teres, erectus, glaber, ramosus, bipedalis et ultra, crassitie calami anserini. *Rami* subverticillati, erecti, glabri. *Folia* inferiora filiformia, pinnis et pinnulis alternis, fastigiatis, sulcatis, apice glandulosis, tripollicaria. *Intermedia* inferne attenuata, obovato-oblonga, trifida, apice glandulosa, pollicaria. *Superna* petiolata, obovato oblonga, apice glandulosa, pollicaria. *Omnia* frequentia, imbricata, avenia, glabra. *Florum* capitula in ramorum apicibus spicata; *spicae* sessiles, oblongae, argenteo-albae, tripollicares, capitulis aggregatis. *Perianthium* commune quadriflorum, tomentosum: *squamis* ovatis. *Corolla* argentea, fere pollicaris.

19. P. (*crinita.*) foliis quinquedentatis, glabris; caule erecto; capitulis subternis, terminalibus. PROTEA *crinita. Thunb.* Dissert p. 21. 47. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 127.

Frutex teres, erectus, villosus, bipedalis et ultra. *Folia* sessilia, ovata, obtusissima, integra, apice 5-dentata, rarius indivisa et 3-dentata dentibus callosis, glabra, basi villosa, venosa, erecto-patentia, pollicaria vel paulo ultra. *Florum*

capitula brevissime pedunculata, duo vel tria, aggregata, magnitudine fere juglandis. *Perianthium* commune imbricatum: *squamis* lanceolatis, intus glabris, extus tenuissime villosis, apice barbatis. *Corolla* cylindrica, villosa, purpurascens, unguicularis. *Differt* a P. *conocarpa:* florum capitulis pluribus et minoribus; squamis calyciuis lanceolatis, longis; corollis brevioribus pilis brevibus.

2. P. (*conocarpa.*) foliis quinque-dentatis glabris; caule erecto; capitulo terminali. PROTEA *conocarpa. Thunb.* Dissert p. 23. 47. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p 137.

Africanis incolis: Kreupelboom, Goudboom, Brandhoutboom.

Fratex teres, erectus, ramosus, tripedalis et ultra, crassitie calami. *Rami* parci, alterni. *Folia* sessilia, oblonga, obtusa, integra, apice dentata dentibus callosis quinque, rarius septem, tribus vel nullis, erecto patentia, glabra, basi villosa, bipollicaria. *Florum* capitulum solitarium, magnitudine pyri. *Perianthium* commune imbricatum; *squamae* ovatae, acuminatae, glabrae, ciliatae. *Corolla* filiformis, hirsuta pilis longis flavis, pollicaris. *Variat:* 1. caule glabro et villoso. 2. foliis 7 dentatis, 5 dentatis, 3 dentatis et indivisis in diversis arboribus, saepe in eodem ramo. *Usus:* Lignum et radix pro foco usitata.

21. P. (*elliptica*) foliis ellipticis, tridentatis, glabris; caule erecto; capitulo terminali. PROTEA *elliptica. Thunb.* Dissert. p 22.

Frutex flexuosus, erectus, villosus. *Folia* elliptica, 3-dentata, raro 4-dentata, erecto patula, digitalia. *Florum* capitulum solitarium, magnitudine pyri. *Perianthium* commune imbricatum, tomentosum. *Corollae* longae, hirsutae.

22. P. (*hypophylla.*) foliis tridentatis, glabris, secundis; caule decumbente, capitulo terminali. PROTEA *hypophylla. Thunb.* Dissert. p. 23. 48. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 137.

Crescit in campis arenosis extra Cap. Floret Junio et sequentibus mensibus.

Fratex teretiusculus, purpurascens, glaber, simplex, decumbens, pedalis et ultra, crassitie calami columbini. *Folia* elliptico-lanceolata, obtusa cum acumine, indivisa, apice tridentata, dentibus callosis, inferne integra, erecta, avenia, palmaria. *Floram* capitulum solitarium, magnitudine juglandis. *Perianthium* commune imbricatum, tomentosum; squamis ovatis, acutis. *Corolla* filiformis, villosa, pollicaris. *Differt* facile ab aliis caule decumbente foliisque secundis erectis.

23. P. (*cucullata.*) foliis tridentatis glabris; capitulis lateralibus. PROTEA *cucullata. Thunb.* Dissert. p. 23. 49. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 137.

Crescit juxta rivos in vasto illo campo arenoso inter urbem et seriem proximam montium. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Frutex teretiusculus, nodulosus, simplex, tomentosus, erectus, crassitie calami anserini, quadripedalis. *Folia* sessilia; infra medium latiora, ovata, integra; supra angustiora, linearia, dentibus callosis, avenia, frequentia, imbricata, sesquipollicaria. *Florum* capitula in axillis foliorum superiorum sessilia, 5 flora. *Perianthium* commune imbricatum, parum villosum; *squamae* inferiores ovatae, acutae, duplo breviores; superiores oblongae, acuminatae, corollâ duplo breviores. *Corollae* filiformes, inferne pubescentes, superne dense villosae, pollicares. *Dignoscitur* facile capitulis lateralibus, angustis.

24. P. (*tomentosa.*) foliis tridentatis tomentosis. PROTEA *tomentosa. Thunb.* Dissert. p. 24. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 138.

Totus frutex incano-tomentosus, caule tereti, simplici, erecto, bipedali et ultra. *Folia* linearia, integra, apice tridentata, rarissime 5-dentata, dentibus callosis, frequentia, erecta, pollicaria et sesquipollicaria. *Florum* capitulum solitarium, terminale, vel duo, magnitudine fere juglandis. *Perianthium* commune imbricatum; *squamis* ovatis, acutis. *Corollae* tenuissime pubescentes, unguiculares. *Dignoscitur* facile eo, quod tota tomentosa.

Variat foliis angustioribus et latioribus.

25. P. (*heterophylla.*) foliis tridentatis integrisque; caule decumbente. PROTEA *heterophylla. Thunb.* Dissert. p. 24. *Linn.* Syst. Veg XIV. p 138.

Frutex teretiusculus, inaequalis, fuscus, glaber, decumbens, apice ramosus, pedalis. *Rami* alterni, pubescentes, divaricati. *Folia* oblonga, inferne attenuata, acuta, integra, bidentata et tridentata dentibus callosis, glabra, frequentia, incumbentia, unguiculata. *Florum* capitulum in ramis terminale, solitarium, magnitudine nucis avellanae majoris. *Perianthium* commune imbricatum, tomentosum; *squamis* lanceolatis, intus glabris. *Corolla* villosa, unguicularis.

26. P. (*pinifolia.*) foliis filiformibus; floribus racemosis, ecalyculatis, glabris PROTEA *pinifolia. Thunb.* Dissert. p. 25. 5o. *Linn.* Syst Veg XIV. p 138.

Crescit in montibus prope Plattekloof, Hottentots Hollandsberg, alibi. Floret mediâ aestate Decembri et sequentibus mensibus.

Frutex totus glaber, teres, erectus, ramosus, bipedalis et ultra. *Rami* verticillati, cauli similes. *Folia* subcanaliculata, acuta, apice glandulosa, frequentia, erecto incurva, bipollicaria. *Florum* racemi fasciculati, terminales, fastigiati. *Bracteae* subulatae. *Pedunculi* angulati, brevissimi. *Corolla* exacte 4-petala. *Petala* linearia. *Antherae* corollae medio insertae, lineares, circumflexae.

27. P. (*racemosa.*) foliis filiformibus; floribus racemosis, calyculatis, tomentosis. PROTEA *racemosa. Thunb.* Dissert. p. 25. *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 138.

Frutex teres, erectus, ferrugineus, glaber, ramosus, tripedalis, crassitie vix calami columbini *Rami* bini, terni, quaterni, filiformes, erecti, cauli similes. *Folia* acuta, frequentia, erecta, inferiora glabra, suprema sericea, pollicaria. *Flores* in ramis terminales. *Racemi* digitales. *Pedunculi* capillares, breves, glabri, uniflori. *Calyx* uniflorus, triphyllus; foliis ovatis, acutis, villosis. *Corolla* tota hirsuta lanâ densa, lineam longa

Obs. *Haec* unica est species omnium notarum Protearum, quae unico tantum flore gaudet intra calycem, dum reliquis duo, quatuor vel plures sunt flores intra calycem communem. Hac nota characteristica optime distinguitur a P. *caudata* et *incurva*, quibus alias primo intuitu similis.

28. P. (*incurva.*) foliis filiformibus, incurvis glabris; capitellis racemoso-spicatis, tomentosis. Protea *incurva*. *Thunb.* Dissert. p. 26. tab. 3. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 138.

Frutex teres, erectus, rufescens, glaber, superne ramosus, bipedalis et ultra. *Rami* verticillati, inaequales, cauli similes. *Folia* sparsa, pollicaria. *Florum* capitula subsessilia, tomentoso-incana. *Perianthium* commune 4-phyllum, 3-florum vel 4-florum.

29. P. (*caudata.*) foliis filiformibus, hirtis; capitulis subsessilibus, spicatis. Protea *caudata*. *Thunb.* Dissert. p. 26. tab. 2.

Frutex teres, erectus, rufescens, glaber, superne ramosus, circiter tripedalis *Rami* erecti, cauli similes. *Folia* erecta, inferiora apice glandulosa; superiora hirsuta; imbricata, unguicularia *Florum* capitula in spicâ cylindricâ, erectâ, digitali. *Perianthium* commune 4-phyllum, rarius 1-florum, raro triflorum, saepius biflorum: foliola ovata, acuminata, villosa, inaequalia. *Corolla* hirsuta. *Valde* simules et affines sunt hae tres species, *racemosa*, *incurva* et *caudata*, ut obiter intuenti varietates tantum videantur. Differunt vero *incurva* 1. a *racemosa*: *α.* calycibus quadrifloris. *β.* foliis magis incurvis. 2. a *caudata*: a. foliis longioribus, incurvis. b. capitulis racemosis, remotis. *caudata* a *racemosa*: *α.* capitulis sessilibus. *β.* calycibus 4-phyllis, 2-floris et 3 floris. *γ.* spica strobiliformi, longa. *δ* foliis brevioribus, secundis, patulis.

30. P. (*bracteata.*) foliis filiformi canaliculatis; capitulo terminali; bracteis multifidis. Protea *bracteata*. *Thunb.* p. 27. 30. tab. 1. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 138.

Radix filiformis, descendens, radiculis fibrosis. *Frutex* totus glaber, teres, rugosus, simplex, rarius bifidus, erectus, fuscus, pedalis. *Folia* filiformia, subcanaliculata, secunda, frequentia, tripollicaria. *Florum* capitulum solitarium, magnitudine juglandis. *Perianthium* nullum, sed receptaculum commune obvallatum foliis trigonis et bracteis alternis integris, pinnatifidis. *Corolla* cohaerens inferne, subtetragona, apice 4-fida; limbo patenti, glabro, intus farcto pappo denso albo, corollâ breviore. *Haec* convenit cum P *pinifolia* et *aulacea* calyce nullo; cum *umbellata* bracteis multifidis.

31. P. (*comosa.*) foliis inferioribus filiformibus, superioribus lanceolatis; capitulo terminali. Protea *comosa. Thunb.* Diss. p. 28. *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 138.

Frutex teres, a casu foliorum nodulosus, erectus, fuscus, totus glaber, ramosus, pedalis et ultra, crassitie pennae anserinae. *Rami* verticillato-quaterni, fastigiati, erecti, cauli similes. *Folia* inferiora obtusa, incurvato-erecta; superiora elliptico-lanceolata, obtusa cum acumine, avenia, comosa, omnia frequentia, sesquipollicaria. *Flores in* cono terminali, solitario, magnitudine juglandis.

32. P. (*purpurea.*) foliis linearibus, recurvis; capitulis terminalibus, cernuis; caule decumbente. Protea *purpurea. Thunb.* Diss p. 28. 51. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 138.

Crescit in campis arenosis extra urbem.

Frutex teres, subfiliformis, rugosus, bruneus, ramosissimus, decumbens, totus glaber, bipedalis. *Rami* sparsi, subumbellati, pubescentes, ramulosi, cauli similes. *Ramuli* supremi fastigiati. *Folia* lineari-subulata, supra sulcata, subtus convexa, mutica, integra, frequentia, imbricata, patenti recurva, semiunguicularia. *Florum* capitula in ramis et ramulis solitaria, magnitudine pisi. *Perianthium* commune polyphyllum, imbricatum, tomentosum; *squamae* exteriores minutae, ovatae, brevissimae, inferiores lanceolatae, capitulo longiores. *Corollae* ferrugineae, minutae.

33. P. (*prolifera.*) foliis subulatis, adpressis; caule prolifero. Protea *prolifera. Thunb.* Dissert. p. 29. tab. 4. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 138.

Crescit in summis montibus Hottentots Holland. Floret a Januario usque ad Junii mensem.

Frutex erectus, tenuis, glaber, proliferus, bipedalis. *Rami* erecti, foliis tecti, cauli similes. *Folia* frequentia, subimbricata, glabra, unguicularia. *Florum* capitula in divaricatione et apicibus ramorum terminalia, magnitudine pisi.

34. P. (*corymbosa.*) foliis lineari-subulatis, adpressis; ramulis verticillatis, subfastigiatis. Protea *corymbosa. Thunb.* Diss. p. 29 51. tab. 2. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 139 Protea *bruniades. Linn.* Suppl. p. 117. Syst. Veg. XIV. p. 142.

Crescit in campis sabulosis prope Breede Rivier. Floret Septembri et insequentibus mensibus vernalibus.

Frutex teres, erectus, ramosus, totus glaber, quadripedalis et ultra. *Rami* aggregato-subverticillati, plurimi, breves, subfastigiati, erecto-patuli, digitales, internodiis breviores. *Folia* linearia, supra plana, subtus convexa, acutiuscula, frequentia, imbricata, unguicularia. *Florum* capitula in ramis et ramulis terminalia, solitaria, magnitudine pisi minoris. *Perianthium* commune polyphyllum, corolla brevius. *Corollae* luteae, minutae. *Semen* obovatum, compressum margine acuto, infra attenuatum, apice obtusum, villosum, cavum nucleo albo, non dehiscens.

Variat perianthio tomentoso.

35. P. (*nana.*) foliis lineari-subulatis; capitulo terminali; calyce colorato. PROTEA *nana*. *Thunb.* Dissert. p. 30. 51. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 139.

Crescit in montibus Roode Sand. Floret vere, a mense Augusto usque ad Decembris mensem.

Frutex teres, erectus, ramosus, totus, exceptâ corollâ, glaber, bipedalis, crassitie pennae. *Rami* subterni, erecto-patentes, apice filiformes, cernui. *Folia* lineari-trigona, acuta, frequentia, subimbricata, semipollicaria. *Floram* capitulum in ramis solitarium, cernuum, magnitudine pruni. *Perianthium* commune imbricatum; *squamae* exteriores ovatae, virescentes, unguiculares; interiores oblongae, acutae, purpureae, patentes, pollicares. *Corollae* lanâ aureâ extus tectae, unguiculares. *Floribus* Rosam referentibus statim noscitur species haec rara et elegans.

36. P. (*odorata.*) foliis lineari-subulatis, mucronatis; capitulis terminalibus; calyce glabro.

Caulis fruticosus, fuscus, glaber, flexuoso-erectus, ramulosus. *Rami* et Ramuli trichotomi, similes. *Folia* inferne attenuata, glabra, integra, erecta, falcato-incurva, pollicaria et ultra. *Capitula* in ramis et ramulis solitaria, glabra, nucis avellanae magnitudine. *Calycis* foliola lanceolata, cinerea, glabra. *Corollae* villosae.

37. P. (*lanata.*) foliis trigonis, adpressis; capitulo terminali, lanato PROTEA *lanata*. *Thunb.* Diss. p. 30. tab. 3. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 139.

Frutex filiformis, erectus, debilis, glaber, foliis tectus, ramosus, bipedalis. *Rami* bini, inaequales, cauli similes. *Folia* linearia, supra plana, subtus convexa, acutiuscula, imbricata, glabra, unguicularia. *Florum* capitulum in ramis sericeum, magnitudine fere juglandis. *Perianthium* commune polyphyllum; squamis lanceolatis. *Corollae* extus pilis argenteis totae lanatae et barbatae, unguiculares.

38. P. (*torta.*) foliis linearibus, obliquis, callosis. PROTEA *torta*. *Thunb.* Dissert. p. 31. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 139.

Frutex teres, suberectus, laevis, ramosus, totus glaber, bipedalis et ultra. *Rami* verticillato-quaterni, incurvati, inaequales, cauli similes. *Ramuli* in apicibus verticillati, brevissimi. *Folia* obtusiuscula, integra, erecto patula, frequentia, semipollicaria. *Florum* capitula in ramulis terminalia, magnitudine pisi. *Perianthium* commune imbricatum, tomentosum, brevissimum. *Corollae* argenteae.

39. P. (*alba.*) foliis linearibus, sericeo-tomentosis. PROTEA *alba*. *Thunb.* Dissert. p. 31. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 139.

Frutex teres, erectus, ramosus, totus argenteo-tomentosus. *Rami* umbellati, circiter sex, filiformes, inaequales, erecti. *Folia* obtusa, sericea, erecto-imbricata, pollicaria. *Florum* capitula in divaricatione ramorum et apicibus terminalia, tota argenteo-lanata, foliis obvallata, magnitudine pisi.

40. P. (*aulacea.*) foliis ellipticis; floribus racemosis, ecalyculatis. PROTEA *aulacea. Thunb.* Dissert. p. 31. tab. 2. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 139.

Crescit in montibus Platte kloof. Floret media aestate, Decembri et sequentibus mensibus.

Frutex teres, erectus, parum ramosus, prolifer, totus glaber, 3-vel 4-pedalis, crassitie calami. *Rami* subverticillati, striati, erecto-patentes. *Folia* sessilia, obtusa cum acumine, integra, avenia nervo medio solitario, erecta, caulem tegentia, approximata, internodiis multo longiora, digitalia. *Florum* racemi terminales, subumbellati, fastigiati, oblongi, cernui, sensim florentes, pollicares. *Pedunculi* rugosi, vix lineam longi. *Bracteae* sub singulo pedunculo lanceolatae, canaliculatae, albae, erectae, longitudine pedunculi et dimidii floris. *Perianthium* nullum omnino. *Corolla* 4-petala. *Petala* linearia, acuta, canaliculata, aequalia, erecta, glabra, alba, unguicularia. *Antherae* medio petali insertae, lineares, spirales, albae.

41. P. (*umbellata.*) foliis ellipticis; capitulis terminalibus; bracteis multifidis. PROTEA *umbellata. Thunb.* Diss. p. 52. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 139.

Crescit in summo Taffelberg. Floret Decembri et sequentibus mensibus.

Frutex teres, erectus, ramosus, totus glaber, bipedalis et ultra. *Rami* inferius in caule rariores, versus apicem frequentes, umbellati, fastigiati. *Folia* ut in P. *aulacea. Florum* capitula in ramis solitaria, obvallata foliis et bracteis, magnitudine nucis avellanae majoris. *Perianthium* nullum, sed bracteae in receptaculo communi alternae, pinnatifidae. *Corolla* ut in P. *bracteata.*

42. P. (*linearis.*) foliis ellipticis; capitulo terminali tomentoso. PROTEA *linearis. Thunb.* Dissert. p. 33. tab. 4. *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 139.

Crescit in regionibus Parl et Drakenstein, locis arenosis. Floret Junio et subsequentibus mensibus.

Frutex teres, erectus, ramosus, purpureus, quadripedalis. *Rami* teretes, longi, simplices, striati, foliosi, glabri. *Folia* sessilia, linearia, inferne sensim attenuata, basi subtus callosa, obtusa apice callo rufescente, integra margine parum reflexo, supra convexiuscula, subrugosa, subtus concava, frequentia, erecta, digitalia et ultra. *Florum* capitulum subsolitarium, conicum, magnitudine pomi mediocris. *Perianthium* commune polyphyllum, imbricatum: squamae latae, ovatae, acutae, intus totae glabrae, extus pubescentes, basi tomento denso albo. *Receptaculum* villosum villo albo denso. *Corollae* tubus compressus; Limbus 2-partitus, laciniis linearibus; altera latior, apice 3-fida, cujus apicibus stamina inseruntur et stigma reflexum ante explicationem; altera triplo angustior, integra: utraque villosa, stylo dimidio brevior. *Haec* convenit cum P. *connocarpa*, *totta* et aliis calyce imbricato et pistillis longissimis.

43. P. (*hirsuta.*) foliis ellipticis hirsutis; capitulo terminali tomentoso.

Totus frutex hirsuto-subtomentosus. Caulis teres, erectus, ramo-

sus, bipedalis et ultra. *Rami* filiformes, simplices, spithamaei. *Folia* sparsa, mucronata, integra, nervosa, erecta, unguicularia. *Capitulum* in singulo ramo solitarium, globosum, ferrugineo-tomentosum, Ceraso paulo majus.

44. P. (*scolymus.*) foliis lanceolatis acutis capituloque terminali rotundo glabris. Protea *scolymus. Thunb.* Diss. p. 33. 51. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 139.

Frutex erectus, rugosus, ramosus, totus glaber, tripedalis. *Rami* subverticillati, erecti, cauli similes. *Folia* inferne attenuata, glandula terminali, integra, erecto-patula, frequentia, digitalia. *Florum* capitula in ramis solitaria, ovata, foliis obvallata, magnitudine pruni. *Perianthium* commune imbricatum; squamae exteriores ovatae, interiores oblongae, concavae, obtusae. *Corolla* purpurascens. *Receptaculum* ferrugineo tomentosum.

45. P. (*mellifera.*) foliis lanceolato-ellipticis capituloque terminali oblongo glabris; caule erecto. Protea *mellifera. Thunb.* Dissert. p. 34. 52. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 139.

Africanis incolis: Zuykerbosches, Zuykerboom et Tulpboom. Crescit in collibus et campis infra Taffelberg, extra urbem et infra Constantiam, saepe copiosissime. Floret imprimis autumno, Martio et sequentibus mensibus.

Arbuscula erecta, ramosa, tota glabra, orgyalis vel paulo ultra. *Rami* sparsi, erecti, ramulosi. *Folia* inferne attenuata, lanceolata, obtusiuscula, integra, avenia, frequentia, patula, digitalia. *Florum* capitulum ovato-oblongum, ferrugineum, bituminosum, magnitudine ovi anserini. *Perianthium* commune imbricatum; squamae infimae minutae, ovatae; superiores oblongae; supremae lanceolatae, erectae, concavae, digitales.

Obs. Cum sequenti specie haec confusa fuit, licet distinctissima caule arboreo, ramoso, multifloro; foliis planis; cono oblongo, bituminoso, glabro, nitido *Usus:* Florum capitula, tempore florescentiae, saepe dimidia replentur succo aquoso melleo, qui ab insectis et impuritatibus filtratione purificatus et leni igne inspissatus syrupum praebet eximium, propinandum in Tussi et morbis aliis pectoris.

46. P. (*repens.*) foliis lanceolato-ellipticis capituloque ovato glabris; caule decumbente. Protea *repens. Thunb.* Dissert. p. 34. 52. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 139.

Crescit in campis arenosis extra Cap, inter frutices. Floret Aprili et sequentibus mensibus.

Frutex totus glaber, flexuosus, decumbens, vix palmaris, subramosus ramis binis vel tribus. *Folia* in apice caulis et ramorum aggregata, sessilia, saepe convoluta, integra, margine cartilaginea, scabra, erecta, spithamaea. *Florum* capitulum terminale, solitarium, rotundum, foliis obvallatum, magnitudine Pruni. *Perianthium* commune imbricatum; squamae exteriores minutae, ovatae, obtusae; interiores lanceolatae. *Corolla* villosa villo albo.

Obs. Haec longe a priori diversissima radice repente; caule brevissimo, subsimplici, unifloro; foliis linearibus, marginatis; capitulo ovato, minuto, minime viscoso.

47. P. (*prostrata.*) foliis ellipticis callosis capitulisque villosis; caule decumbente.

Frutex teres, decumbens, uti totus frutex villosus. *Rami* versus apicem caulis sparsi, valde villosi, erecti, uniflori, pollicares. *Folia* sparsa, approximata, apice callosa, integra, substriata, patentia, pollicaria *Florum* capitula in ramis terminalia, subrotunda, tomentosa, Juglande dimidio minora. *Styli* exserti, clavati, corollâ duplo longiores.

48. P. (*laevis.*) foliis lanceolatis, glabris, laevibus, imbricatis; capitulis terminalibus; involucro brevi.

Folia in hac laevia, imbricata; in *conifera* rugosa. *Rami* in hac pauci, subdichotomi, elongati; in *conifera* sparsi, flexuosi. *Caulis* fruticosus, totus glaber, subdichotomus. *Rami* subfastigiati, elongati, tecti. *Folia* sessilia, oblonga, obtusiuscula, unguicularia. *Capitula* glabra. *Involucra* laevia.

49. P. (*obtusata.*) foliis lineari-oblongis obtusis glabris, caule decumbente.

Caulis fruticosus, teres, pulverulentus, rufescens, parum ramosus. *Folia* sparsa, sessilia, inferne linearia, superne obovata, obtusissima, integra, rugosa, secunda, pollicaria. *Florum* capitulum in ramis et apice caulis terminale, tomentosum, magnitudine Avellanae.

50. P. (*obliqua.*) foliis ellipticis glabris callosis obliquis; capitulo caulino terminali. Protea *obliqua. Thunb.* Dissert. p. 35. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 140.

Frutex teres, erectus, glaber, bipedalis et ultra. *Rami* filiformes, erecti, sparsi, inaequales, pubescentes. *Folia* sessilia, lanceolata, acuta glandulâ terminali, integra, erecto-patula, frequentia, glabra vel tenuissime tomentosa, semipollicaria. *Florum* capitulum solitarium, magnitudine Pruni. *Perianthium* commune imbricatum; squamae exteriores ovatae, acutae, glabrae; interiores oblongae, pilosae.

51. P. (*parviflora.*) foliis ellipticis, callosis, obliquis; capitulis terminalibus ramulorum glabris. Protea *parviflora. Thunb.* Diss. de Protea 35. 53. tab. 4. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 140.

Frutex teres, erectus, ramosissimus, tripedalis. *Rami* sparsi, filiformes, flexuosi, virgati, ramulosi. *Ramuli* versus summitates ramorum alterni, frequentes. *Folia* lanceolata, inferne angustata, glandulâ obtusâ terminata, integra, erecta, unguicularia. *Florum* capitula in apicibus ramulorum subtetragona, magnitudine Piperis. *Pedunculi* nulli, nisi ramuli apice floriferi. *Perianthium* commune imbricatum; squamae quadrifariam positae, ovatae, obtusae, concavae, glabrae.

Variat caule et foliis glabris et incano-subtomentosis.

52. P. (*virgata.*) foliis ellipticis, acutis, callosis, obliquis; capitulis terminalibus glabris, subrotundis.

Caulis fruticosus, erectus, glaber, ramosissimus. *Rami* verticil-

lati, elongati. *Ramuli* superne alterni, virgati. *Folia* sessilia, sparsa, approximata, integra, glabra, erecta, pollicaria. *Capitula* in ramulis solitaria, ovata, obtusa, Piso majora. *Calyx* glaber, corolla hirsuta. *Differt* a *parvifolia*: foliis acutis, capitulisque non oblongis sed globosis et majoribus.

53. P. (*daphnoides.*) foliis ellipticis, callosis, inferioribus sericeo-villosis; capitulo globoso calyceque glabris.

Frutex erectus, albo-hirsutus, subsimplex, pedalis et ultra. *Folia* sparsa, sessilia, apice calloso-integra, imbricata, pallida, sesquipollicaria; superiora glabra; inferiora mollissimis pilis hirsuta. *Bracteae* foliis latiores, glabrae, pallidae. *Capitulum* solitarium, terminale, nucis moschatae magnitudine.

54. P. (*pallens.*) foliis ellipticis, glabris, acutis, callosis; capitulo terminali involucrato, involucro longo, acuto, pallido. Protea *pallens*. *Thunb.* Dissert. p. 36. 53. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 140.

Crescit in collibus infra montes prope urbem et alibi vulgaris. Floret Junio et sequentibus mensibus.

Frutex erectiusculus, subangulatus, glaber, ramosus, pedalis vel paulo ultra. *Rami* sparsi, divaricati, simplices, aequales, erecti, cauli similes. *Folia* caulina et ramea sparsa, sessilia, lanceolata, inflexa, subdecurrentia, inferne parum attenuata, integra, obtusiuscula, apice callosa, pollicaria vel ultra. *Bracteae* conum obvallantes foliis subsimiles, concavae, erectae apice patulo et calloso, albidae, conotriplo longiores. *Florum* conus in ramis terminalis, ovatus, glaber, sessilis. *Perianthii* communis squamae imbricatae, ovatae, acutiusculae, concavae; inferiores majores, glabrae, superiores sericeo-tomentosae. *Receptaculum* nudum. *Corolla* tetrapetala. Petala linearia, obtusa, lineam longa; unguibus albis, villosis; laminis patentibus, flavescentibus. *Filamenta* nulla. *Antherae* 4, infra apicem petalorum sessiles, ovatae, didymae, flavae. *Germen* superum, bilobum, glabrum. *Stylus* filiformis, incrassatus, flavescens, longitudine corollae. *Stigma* clavatum, obtusum, flavicans.

55. P. (*venosa.*) foliis ellipticis, glabris, venosis, obtusis, glandulâ mucronatis; capitulo terminali, oblongo; bracteis lanceolatis, coloratis.

Frutex simplex, erectus, villoso-tomentosus, pedalis et ultra. *Folia* alterna, sessilia, glandulâ terminali mucronata, integra, basi subtus et margine inferne villosa, imbricata, bipollicaria et ultra. *Bracteae* pallidae, glabrae, capitulo longiores, foliis breviores. *Capitulum* solitarium, cylindricum, bracteis et foliis obvallatum.

56. P. (*truncata.*) foliis obovatis, acuminatis, glabris, capitulis terminalibus truncatis, hirsutis; bracteis brevioribus.

Frutex totus exceptis capitulis glaber, filiformis, flexuoso-erectus, ultimo apice ramosus pedalis, et ultra. *Folia* sparsa, sessilia, inferne attenuata, integra, erecto-patula, unguicularia. *Capitula* in apice ramorum solitaria, globosa, tomentosa, magnitudine Pisi, bracteis obvallata. *Bracteae* foliaceae foliis similes, capitulo dimidio longiores.

57. P. (*rugosa.*) foliis ellipticis, acutis, callosis, glabris; capitulo terminali foliis obvallato; caule calycibusque hirsutis.

Folia sessilia, alterna, integra, rugosa, imbricata, pollicaria. *Capitulum* foliis longioribus vix coloratis obvallatum, solitarium, globosum, nucis avellanae magnitudine. *Calycis* squamae imprimis apice hirsutae.

58. P. *tennifolia.*) foliis lineari-ellipticis, callosis, glabris; capitulis terminalibus globosis, glabris.

Frutex glaber, purpurascens, erectiusculus, apice ramulosus, pedalis et ultra. *Rami* in summitate alterni, simplices, rarius ramulosi. *Folia* linearia, vix apice latiora, integra, acuta cum callo, curva, unguicularia. *Capitula* solitaria, foliis non obvallata, Pisi magnitudine. *Corollae* hirsutae.

59. P. (*pyramidalis.*) foliis ellipico-oblongis, obtusis, callosis; ramis subfastigiatis; capitulis terminalibus, globosis, glabris.

Frutex erectus, glaber, summo apice ramosus, pedalis et ultra. *Rami* alterni, simplices. *Folia* inferne valde attenuata, obovato-oblonga, obtusa cum callo, integra, glabra, laevia, imbricata, pollicaria. *Capitula* solitaria, obtusa, nucis avellanae magnitudine. *Bracteae* rameae et capitulum obvallantes, pallidiores. *Calycis* squamae ciliatae.

Protea *palllens.* γ.

60. P. (*conifera.*) foliis ellipticis, glabris, acutis, callosis; capitulo terminali involucrato; involuco longo, acuto, concolore. Protea *conifera. Thunb.* Dissert p. 37. 53. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 140.

Frutex erectus, ramosus, tripedalis et ultra. *Rami* verticillati, flexuoso-erecti, foliosi, ramulosi. *Folia* elliptico-lanceolata, acuta glandulâ terminali, integra, concava, subrugosa, frequentia, erecta, pollicaria. *Florum* conus in ramis terminalis, ovatus, solitarius, tomentosus, magnitudine pisi. *Valde* affinis P. *pallenti*, a qua difficile distinguitur; diversae vero videntur hae species: 1. quia in P. *pallenti* rami sparsi et simplices, folia magis lanceolata, conus florum glaber et bracteae coloratae. 2. quia in P. *conifera* rami verticillati iterumque ramulosi, folia elliptica, conus florum tomentosus et folia floralia concolora.

61. P. (*levisanus.*) foliis ellipticis, glabris, obtusis; capitulo terminali, involucrato; involucro brevi, obtuso. Protea *levisanus. Thunb.* Dissert. p. 37. 54. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 140.

Crescit in campis arenosis extra urbem. Floret Septembri, usque in Decembris mensem.

Frutex totus glaber, erectiusculus, ramosus, pedalis. *Rami* verticillato-proliferi, sex circiter vel pauciores, inaequales, erecti, apice nutantes, iterum ramulosi. *Folia* spathulata seu inferne attenuata, superne latiora, obtusa cum acumine, integra, avenia, erecto-patula, unguicularia. *Florum* capitula in ramulis solitaria, lanata, fo

liis obvallata, magnitudine Pisi. *Perianthium* commune tomentosum.

62. P. (*strobilina.*) foliis elliptico-oblongis capituloque terminali glabris. PROTEA *strobilina. Thunb.* Dissert. p. 38. 54. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 140.

Frutex erectus, ferrugineus, pubescens. *Folia* sessilia, ovata, subretusa, glandulâ terminatâ, concaviuscula, integra, patentia, reflexa, sesquipollicaria. *Florum* conus solitarius, magnitudine Pruni.

63. P. (*imbricata.*) foliis lanceolatis, glabris, striatis, imbricatis; capitulo terminali. PROTEA *imbricata. Thunb.* Dissert p. 38. tab. 5. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 149.

Frutex totus, exceptis ramis et corollis, glaber, erectus, ramosus, tripedalis et ultra. *Rami* bini vel terni, filiformes, erecti, inaequales, pubescentes. *Folia* sessilia, lanceolata, vel oblonga, glandulâ terminata, integra, rugosa, basi adpressa, apice patula, ramos tegentia, semiunguicularia. *Florum* capitula in ramis solitaria, rarius bina, oblonga, magnitudine juglandis minoris. *Perianthium* commune imbricatum; squamae lanceolatae, acutae, glandulosae, unguiculares. *Corolla* extus lanâ flavescente tota tecta.

64. P. (*verticillata.*) foliis ellipticis, sericeis; ramis verticillatis; caule erecto.

Totus frutex argenteo-sericeus. *Caulis* inferne aphyllus, fuscus, ramosus, bipedalis et ultra. *Rami* et ramuli erecti. *Folia* sparsa, sessilia, integra, erecto-subimbricata, argentea, unguicularia. *Capitula* in apicibus ramulorum solitaria, sessilia, foliis cincta, globosa, argentea, Piso paulo majora.

65. P. (*sericea.*) foliis lanceolatis, sericeis; ramis filiformibus; caule decumbente. PROTEA *sericea. Thunb.* Diss. p. 39. *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 140.

Fruticulus teres, decumbens, ramosus, caule glabro. *Rami* curvati, erectiusculi, sparsi, inaequales, glabri. *Folia* integra, erecta, tota sericeo-tomentosa, unguicularia. *Florum* capitula in ramis terminalia, solitaria, rarius aggregata, subcernua, magnitudine Pisi minoris. *Perianthium* commune imbricatum, glabrum: squamis lanceolatis. *Corolla* luteo-tomentosa, vix unguicularis.

66. P. (*saligna.*) foliis lanceolatis, sericeis; caule fruticoso; capitulis oblongis, involucratis. PROTEA *saligna. Thunb.* Dissert. p. 39. 55. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 140.

Frutex teres, erectus, striatus, purpurascens, inferne simplex, glaber, ramosus, quadripedalis. *Rami* alterni, aggregati, breves, virgati, cauli similes. *Folia* acuta, apice glandulosa, integra, tenuissime argenteo-tomentosa, erecta, vix pollicaria. *Florum* capitula in ramis terminalia, foliis obvallata, solitaria, magnitudine Pisi.

Obs. Folia argentea quidem sunt huic speciei, sed longe tamen distincta est a P. *argentea*; haec enim frutex, illa arbor; haec minor omnibus partibus, minus quoque nitida est.

67. P. (*argentea.*) foliis lanceolatis, argenteo-tomento-

sis, ciliatis; caule arboreo; capitulis globosis. PROTEA *argentea*. *Thunb.* Diss. p. 40. 55. *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 141.

Africanis incolis: *Silfverboom*, *Witteboom*. *Crescit ad latera Taffelberg*, *Constantiam*, *Witteboom*, *Paradys*, *Kerstenbosches*, *alibique; etiam in hisce locis saepius plantatur et elegantes sylvas format. Floret Septembri et pluribus aliis mensibus.*

Arbor tota tomentosa, ramosissima, crassitie femoris, orgyalis et ultra. *Rami* et ramuli teretes, rugosi, a casu foliorum tuberculati, flexuosi, erecto-patentes. *Folia* sessilia, acuta, apice glandulosa, integra, nitentia, patentia, frequentia, digitalia. *Florum* conus terminalis, rotundus, magnitudine Pruni, sensim increscens in magnitudinem Pomi majoris. *Perianthii* communis et coni squamae ovatae, obtusae, tomentosae. *Corollae* argenteo-tomentosae, vix unguiculares. *Usus:* 1. arbor plantata pro ornamento. 2. lignum pro igne alendo, uti et strobili.

68. P. (*acaulis.*) foliis oblongis capituloque globoso glabris; caule decumbente, brevissimo. PROTEA *acaulis*. *Thunb.* Dissert. p. 40. 56. Prod. p. 27. *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 141.

Crescit in collibus planis infra Taffelberg et alibi. Floret Septembri et sequentibus mensibus.

Fruticulus totus glaber caule rarius ramoso, fusco, bipollicari. *Rami* subverticillati, nodulosi, rugosi, inaequales, diffusi, palmares. *Folia* sparsa, inferne attenuata, venosa, integra, marginata, inaequalia, inferiora decidua, terminalia persistentia, pollicaria usque palmaria. *Florum* capitulum terminale, solitarium, magnitudine Juglandis. *Perianthium* commune imbricatum; squamae exteriores ovatae; interiores oblongae, obtusae.

69. P. (*myrtifolia.*) foliis oblongis, glabris; capitulis terminalibus aggregatis. PROTEA *myrtifolia*. *Thunb.* Diss. p. 41. Prod. p. 27. *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 41.

Frutex totus glaber caule tereti, erecto, purpureo, ramoso, tripedali. *Rami* alterni vel terni, filiformes, laxi, flexuosi, patentes, alternatim ramosi, inaequales, purpurascentes apicibus parum villosis. *Folia* sessilia, obtusa, apice glandulosa, basi obliqua, integra, patentia, unguicularia. *Florum* capitula in ramis et ramulis solitaria, magnitudine Pisi. *Perianthium* commune imbricatum; squamae exteriores minores, lanceolatae, apice nigrae; interiores majores, ovatae, obtusae, subciliatae. *Corollae* extus albo-hirsutae.

70. P. (*grandiflora.*) foliis oblongis, venosis, capituloque hemisphaerico glabris; caule arboreo. PROTEA *grandiflora*. *Thunb.* Dissert. p. 41. 56. Prod. p. 27. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 141.

Africanis incolis: Waageboom, *Waagenboom*. *Crescit in Duyvelsberg*, *infra Taffelberg et Steenberg*, *prope viam ad Houtbay*, *in montibus Koude Bockeveld*, *alibique communis. Floret Aprili et sequentibus mensibus.*

Arbor tota glabra, erecta, ramosa, orgyalis vel ultra. *Folia* sessilia, obtusa, integra, patentia, digitalia. *Florum* capitulum terminale, solitarium, fastigiatum, magnitudine pugni. *Perianthium* commune imbricatum; squamae exteriores ovatae, sensim majores; interiores oblongae, obtusae. *Corollae* tomentoso-albae.

Obs. Haec et P. *cynaro des* speciosae sunt capitulis maximis; distinguuntur invicem: 1. *grandiflora:* foliis lanceolatis, sessilibus; caule arboreo, ramoso, albo. 2. *cynaroides:* foliis subrotundis petiolatis; caule frutescente, vix ramoso, humili. *Usus:* 1. Cortex adstringens sistendae Diarrhoeae inservit. 2. Lignum pro igne foci alendo adhibetur.

71. P. (*glabra.*) foliis oblongis, aveniis, capituloque hemisphaerico glabris; caule fruticoso. PRO. *glabra. Thunb.* Dissert. p. 42. Prod. p. 27. *Linn.* Syst. Vegetab. XIV. p. 141.

Frutex totus glaber. *Folia* sessilia, apice glandulosa, integra, crassa, erecta, pollicaria. *Florum* capitulum terminale, solitarium, magnitudine Pomi.

72. P. (*macrocephala.*) foliis lanceolatis, villosis; caule hirsuto; calycis squamis spathulatis, ciliatis.

Frutex simplex, curvato-erectus, totus valde hirsutus, pedalis et ultra. *Folia* alterna, sessilia, apice glabriuscula, integra, imbricata, digitalia. *Capitulum* terminale, maximum, oblongum, totum hirsutum. *Calycis* squamae interiores oblongae, obtusae, margine ciliatae ciliis ferrugineis.

73. P. (*reticulata.*) foliis lanceolatis, glabris venosis; caule glabro; calycis squamis glabris.

Frutex simplex, erectus, pedalis et ultra. *Folia* sparsa, sessilia, callo obtusiusculo, integra, valde venosa venis elevatis reticulatis, erecto-patentia, digitalia. *Capitulum* terminale, solitarium, glabrum, Pisi magnitudine. Supremae squamae margine vix vel parum ciliatae. *Corollae* sericeae, unguiculares.

74. P. (*scabrida.*) foliis lanceolatis, marginatis, glabris, subscabridis; caule glabro; calycis squamis sub apice barbatis.

Frutex erectus, glaber, simplex, pedalis et ultra. *Folia* sparsa, sessilia, integra, fusca nervo medio et margine incrassato-luteis, callis inconspicuis scabrida, imbricata, approximata, sesquidigitalia. *Capitulum* terminale, solitarium, oblongum. *Calycis* squamae inferiores ovatae, interiores oblongae, tomentosae, extus infra apicem nigro hirsutae, margine barbâ ferrugineâ longiori.

75. P. (*marginata.*) foliis oblongis, calloso-acutis, marginatis, glabris; caule villoso; calycis squamis extus nigro-barbatis.

Frutex rigidus, hirsutus, simplex, erectus, pedalis et ultra. *Folia* sparsa, subpetiolata vel basi angustata, nervosa, nervo medio et marginali flavescentibus viridia, erecta, sesquidigitalia. *Capitulum* terminale, solitarium, oblongum, maximum. *Squamae* calycinae tomentosae; exteriores ovatae acutae; interiores lineares, apice extus et margine nigro-barbatae.

76. P. (*speciosa.*) foliis obovato-oblongis, obtusis; caule glabro; squamis calycinis obtusis, tomentosis: summis apice ferrugineo-barbatis. PROTEA *speciosa. Thunb.* Dissert. p. 42. 56. Prod. p. 27. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 141.

Incolis africanis: Kreupelbosches. Crescit in collibus infra Taffelberg sub fronte et lateribus, vulgaris. Floret Aprili et sequentibus mensibus.

Arbor erecta, ramosa, orgyalis: caule tereti, villoso. *Folia* inferne attenuata, integra, marginata, nervosa, coriacea, patentia, glabra, palmaria, vix conspicue villosa. *Florum* capitulum terminale, ovatum, magnitudine ovi anserini. *Perianthium* commune imbricatum; *squamae* omnes tomentosae; exteriores ovatae; intermediae oblongae; interiores lineari-oblongae; inferne angustiores, extus apice villo longo ferrugineo barbatae. *Corollae* filiformes, hirsutae. *Usus:* 1. Flores succum melleum suppeditant eâdem fere copiâ ac bonitate, atque P. *mellifera*, utilem in variis morbis pectoris. 2. Lignum et radix in culina igni alendo inserviunt.

77. P. (*totta.*) foliis ovatis, glabris, callosis; capitulo ovato; corollis cylindricis hirtis. PROTEA *totta. Thunb.* Diss. p. 42. 57. Prod. p. 27. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 141.

Frutex teres, erectus, villosus. *Folia* sessilia, ovato-oblonga, obtusa, glandulâ rubrâ terminata, integra, raro 3-dentata, erecto-patula, pollicaria. *Florum* capitulum terminale, solitarium, magnitudine Pyri. *Perianthium* commune imbricatum, glabrum; squamae ovatae, acutae, ciliatae, corollâ multoties breviores. *Corollae* filiformes, villosae, pollicares.

78. P. (*ovata.*) foliis ovatis, obtusis, integris, glabris; capitulo terminali; squamis calycinis ovatis glabris.

Caulis fruticosus, teres, rufescens, glaber, erectus, ramosus. *Rami* alterni, erecti, cauli similes, subfastigiati. *Folia* sparsa, sessilia, integerrima, plana, erecto-patula, pollicem lata, sesquipollicaria. *Capitulum* floris grande, solitarium, glabrum. *Calycinae squamae* imbricatae, ovatae, glabrae.

79. P. (*hirta.*) foliis ovatis, glabris; floribus lateralibus. PROTEA *hirta. Thunb.* Dissert. p. 43. 57. Prod. 27. *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 141.

Africanis Incolis: Kreupelboom. Crescit in campis infra Taffelberg prope-villas subjacentes et alibi juxta rivos. Floret Aprili et sequentibus mensibus; etiam Augusto et mensibus insequentibus.

Frutex teres, erectus, villosus, tripedalis et ultra. *Folia* sessilia, glandulâ obtusâ terminata, integra, rarius ciliata, tenuissime nervosa, imbricata, pollicaria. *Florum* capitula infra apicem lateralia, in axillis foliorum solitaria, circiter 8-flora. *Perianthium* commune imbricatum; squamae sensim longiores, oblongae, acutae, luteo-sanguineae, splendentes, subpollicares. *Corollae* filliformes, villosae, perianthio paulo breviores. *Pistilla* corollâ duplo longiora, curva, glabra. *Usus:* Lignum quandoque igne alendo materiam praebet.

80. P. (*pubera.*) foliis ovatis capitulisque terminalibus tomentosis. Protea *pubera. Thunb.* Diss. p. 43. 58. Prod. p. 27. *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 141.

Frutex erectus, villosus, apice ramosus, bipedalis. *Rami* versus apicem subverticillati, inaequales, patuli, cauli similes. *Folia* sessilia, glandulâ obtusâ terminata, integra, imbricata, unguicularia. *Florum* capitula raro solitaria, saepe plura aggregata, magnitudine nucis avellanae majoris. *Perianthium* commune hirsutum; squamae lanceolatae. *Corolla* villis lanata, unguicularis. *Variat* foliis ovatis et oblongis.

81. P. (*divaricata.*) foliis ovatis, hirtis; capitulis terminalibus; ramis divaricatis. Protea *divaricata. Thunb.* Diss. p. 44. Prod. p. 27. *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 142.

Frutex teres, flexuosus, pubescens, ramosus, pedalis et ultra. *Rami* verticillati, terni vel quaterni, filiformes, ramulosi, pubescentes. *Folia* sessilia, ovato-subrotunda, integra, villosa, rugosa, imbricata; inferiora reflexa, lineam longa. *Florum* capitula in ramulis solitaria, cernua magnitudine Pisi. *Corollae* argenteae.

82. P. (*nitens.*) foliis ovatis, uni-callosis; argenteis, integris.

Folia sessilia, nervosa, integerrima, apice obtusiusculo unicallosa, argenteo-tomentosa, nitida, pollicaria.

83. P. (*cynaroides.*) foliis subrotundis, petiolatis, glabris. Protea *cynaroides. Thunb.* Dissert. p. 44. 58. Prod. p. 28. *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 142.

Crescit in summitatibus montium variorum, ut in Taffelberg, in montibus prope Rode Sand et Platte kloof, alibique. Floret a Januario usque in Junii mensem.

Fruticulus teres, erectus, simplex, rugosus, vix pedalis. *Folia* integra, marginata, venosa, patentia, digitalia. *Petiolus* semiteres, rugosus, glaber, pollicaris. *Florum* capitulum terminale, ovatum, fastigiatum, erectum, magnitudine fere capitis infantis. *Perianthium* commune imbricatum; squamae sensim majores, oblongae, acutae, tomentosae. *Corollae* albo-tomentosae.

84. P. (*cordata.*) foliis cordatis. Protea *cordata. Thunb.* Dissert. p. 45. tab. 5. Prod. p. 28. *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 142.

Crescit in montibus Hottentotts Holland et in montibus summis prope Rivier Zonder End. Floret Septembri et sequentibus mensibus

Fruticulus totus glaber; caulis decumbens, simplex, teres, striatus, spithamaeus. *Folia* alterna, sessilia, subrotunda, integra, marginata, 9 nervia, erecta; inferiora majora, palmaria; superiora sensim breviora *Capitulum* floris subradicale, ovatum, truncatum. *Perianthium* commune imbricatum; squamae ovatae, sensim majores; oblongae, erectae, obtusae. *Pappus* semen obvallans, purpurascens.

LXX. FAGARA.

Cal. 4-*fidus.* *Cor.* 4-*petala.* *Caps. bivalvis, monosperma.*

1. F. (*capensis.*) foliis pinnatis: pinnis ovatis, obtusis, erectis; ramis aculeatis, flexuosis. *Prod.* p. 28.

Africanis incolis; Wilde Cardimom. Crescit in Musselbaij, prope Zeekorivier, in sylvis Houtniquas et alibi. Floret Octobri, Novembri.

Frutex suborgyalis, ramosissimus. *Rami* alterni, rugosi, cinerei, erecti. *Folia* pinnata cum impari, circiter 5-juga. *Pinnae* oppositae, subsessiles, tenuissime crenatae; utrinque glabrae, virides; supra punctatae; unguiculares, inferiores sensim minores. *Flores* paniculati, albi. *Capsula* punctata, brunea, magnitudine Piperis. *Semen* unicum, atrum. *Usus*: Fructus aromaticus, maturus Novembri et Decembri, pro aromate incolis quandoque inservit. *Similis* F. *piperitae* foliis, aculeis, floribus, baccis; differt: 1. floribus et baccis majoribus. 2. foliis rotundioribus, tenuissime crenatis. 3. ramis rugosis, crassioribus.

2. F. (*armata.*) foliis pinnatis: pinnis crenatis; ramis petiolisque aculeatis. *Prod.* p. 28.

Frutex glaber, ramosus. *Rami* rugosi, flexuosi, purpurascentes. *Folia* pinnata cum impari. *Pinnae* multijugae, superne sensim majores, oppositae, sessiles, ovatae, tenuissime crenatae, utrinque glabrae, virides, striatae, semiunguiculares. *Petioli* inter pinnas aculeis basi flavescentibus, apice purpurascentibus. *Flores* et fructus non vidi.

LXXI. CURTISIA.

Cal. 4-*fidus.* *Pet.* 4. *Germen inferum.* *Bacca* 1-*sperma.*

1. C. (*faginea.*) Prodr. p. 28. SIDEROXYLON foliis acuminatis dentatis, fructu monopyreno flavo. *Burman. Dec. afric.* p. 235. t. 83.

Incolis Africanis: Assagay-hout, Assagayboom. Crescit in Prom. bonae spei sylvis, prope Paradys, Groot Vadersbosch, juxta Buffeljagts rivier, Stades rivier et alibi. Floret Decembri, Januario.

Arbor excelsa, ramosissima. *Rami* decussati, teretes, cinerei, glabri, erecti. *Ramuli* similes, purpurascentes, ultimi tomentosi. *Folia* opposita, petiolata, ovato-oblonga, acuta, basi integra, a medio ad apicem serrata, nervosa, supra viridia, subtus pallidiora, glabra, patentia et reflexa, pollicaria usque palmaria. *Petioli* uti et venae subtus ferrugineo-tomentosi, unguiculares. *Flores* paniculati, plurimi, minimi. *Panicula* trichotoma, supradecomposita, tota cinereo-tomentosa. *Pedunculi* et pedicelli oppositi. *Bracteae* oppositae, lanceolatae. *Usus:* Lignum arboris flavescens, durum, compactum Hottentottis pro manubriis lancearum Assagaij dictarum inservit; etiam pro trabibus Incolis utile.

LXXII. SCHREBERA.

Cal. 5-*fidus.* *Cor.* 4-*petala.* *Drupa disperma.*

1. S. (*schinoides.*) Prod. p. 28. HARTOGIA *capensis.* *Thunb.* Diss. Nov. Plant. Gener. P. 5. p. 35. cum tab. *Linn.* Syst. Nat. XIV. et Supplem. SCHREBERA *schinoides.* Act. Ups. Nov. vol. 1. p. 91. 5. f. 1.

Africanis: Smalblad. Crescit in Groot Vadersbosch et sylvis juxta Rivier Zonder End. Floret Januario.

Arbor ramosissima, orgyalis, tota glabra. *Rami* alterni, teretes, rugosi, cinerei, glabri. *Ramuli* similes, laxi. *Folia* opposita, elliptica, obtusa, emarginata, serrata, inferne integra, glabra, nervosa, patentia, digitalia. *Petiolus* semiunguicularis. *Flores* paniculati, paniculis axillaribus, cernuis.

LXXIII. SERPICULA.

♂. *Cal.* 4-*dentatus.* *Cor.* 4-*petala.*
♀. *Cal.* 4-*partitus.* *Peric. nux tomentosa.*

1. S. (*repens.*) foliis alternis. Prod. p. 28. SERPICULA *repens.* *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 848. Mantiss. p. 124. LAURENBERGIA *repens.* *Berg.* Plant. Capens. p. 350. tab. 5. f. 10.

Crescit in collibus infra Taffelberg prope rivulos; Mas in Verlooren Valley, Langekloof et alibi. Floret ♀ *Martio, Aprili;* ♂ *Novembri, Decembri.*

Radix fibrosa. *Caulis* filiformis, decumbens, pilosus vel hispidus. *Rami* alterni, cauli similes. *Folia* subsessilia; maris ovata, trifida, villosa; feminae lanceolata, saepius integra, rarius trifida, scabrida, unguicularia. *Flores* semper dioici, masculi et feminei in distincta planta, axillares, saepius plures; masculi pedunculati, erecti; feminei sessiles, 3 usque 5. *Pedunculi* capillares, uniflori, foliis breviores. ♂. *Perianthium* 1-phyllum, 4-dentatum, villosum, minimum: laciniae ovatae, acutae, erectae. *Corolla* 4-petala. *Petala* linearia, obtusa, concava, extus villosa, aequalia, erecta, decidua. *Filamenta* 4, capillaria, brevia. *Antherae* lineares, tetragonae, 4 sulcatae, obtusae, erectae, longitudine corollae. *Pollen* flavum. ♀. *Calyx* et corolla nulla. *Nectarium*: Anguli 8, fructum undique cingentes, persistentes, bitorulosi, rotundati, obtusi, nivei. *Germen* inferum. *Stylus* crassus, brevis, albus, hirsutus, persistens. *Stigma* vix observandum. *Nux* globosa, undique cincta nectario octogono, coronata stylo plumoso, unilocularis.

Obs. 1. Videntur esse styli 4, toti plumosi, connati, stigmatibus minime distinguendis. 2. Valde affinis SERPICULA est ANTHOSPERMIS, floribus masculis; differt vero floribus femineis absque calyce et corollâ fructuque diverso.

LXXIV. MONTINIA.

♂. *Cal.* 4-*partitus.* *Cor.* 4-*petala.* ♀ *ut in* ♂. *Stigmata* 2. *Caps.* 2-*locularis.*

1. M. (*acris.*) Prod. p. 28. MONTINIA *caryophyllacea.*

Thunb. Act. Lundens. T. 1. p. 108. Dissert. Nov. Plantar. Gener. P. 1. p. 27. MONTINIA *acris. Linn.* System. Veget. XIV. p. 883.

Incolis: Peper-Bosches. Crescit in campis arenosis depressis saepe ad vias, inter frutices. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Radix descendens, longa, lignosa, alba, filiformi-fusiformis, spithamaea *Caulis* fruticosus, angulatus angulis plurimis acutis, cicatricibus foliorum sparsis; erectus, ramosus, glaber, pedalis et ultra. *Rami* alterni, cauli similes, parum ramulosi, virides. *Folia* alterna, petiolata, ovata, obtusa, nervosa, integra, crassiuscula, glabra, erecta, unguicularia. *Petioli* basi nodosi, subdecurrentes, glabri, brevissimi. *Flores* pedunculati, solitarii, terminales, masculi et feminei in distincta planta. *Usus:* totus frutex acris, Capris tamen edulis.

LXXV. MONETIA.

Cal. 4-fidus. Pet. 4. Germen superum. Bacca.

1. M. (*barlerioides.*) Prod. p. 28. MONETIA *barlerioides. Heritier.* Nov. Stirp. Fasc. 1. p. 1. tab. 1.

Crescit in Musselbaij et sylvis rarius, etiam trans Camtous rivier. Floret Novembri, Decembri, Januario.

Frutex erectus, totus glaber, tri- vel quadripedalis. *Rami* et Ramuli oppositi, tetragoni, cinerei, spinosi, divaricati. *Spinae* verticillatae, quaternae, tereti-subulatae, pungentes, horizontaliter patentes; pollicares, supremis tenerioribus et brevioribus. *Folia* opposita sub spinis, petiolata, ovata, acuta, mucronata mucrone pungente, integra, glabra, horizontaliter patentia vel reflexa, petiolis pluries longiora, pollicaria. *Flores* axillares, glomerati, breviter pedunculati.

LXXVI. SCABIOSA.

Cal. communis polyphyllus; proprius duplex superus. Recept. paleaceum s. *nudum.*

1. S. (*rigida.*) corollis quadrifidis, inaequalibus; calycis squamis obtusis; foliis oblongis, serratis, scabris. SCABIOSA *rigida. Linn.* Mant. p. 328. System. Veget. XIV. p. 143. Prod. p. 23.

Crescit infra latera Taffelberg prope Constantiam. Floret Decembri.

Caulis frutescens, erectus, ramosus. *Rami* oppositi, elongati, superne aphylli, teretes, hispidi, incurvato-erecti. *Folia* in caule et in inferiori parte ramorum frequentia, opposita, amplexicaulia, inferiora ovato-oblonga, superiora lanceolata, margine revoluto, venosa, rigida, pollicaria. *Florum* capitula in ramis terminalia, solitaria, nuce avellanâ majora. *Calyx* imbricatus; squamae ovatae, concavae, glabrae, subciliatae. *Corollae* laciniâ tertia paulo majore, albae.

2. S. (*trifida.*) corollis quadrifidis, aequalibus; calycis squamis obtusis; foliis linearibus, integris, trifidisque. Scabiosa *attenuata. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 144. Supplem. p. 118. Prod. p. 28.

Crescit prope villam du Prè juxta flavium. Floret Decembri.

Caulis herbaceus, simplex, filiformis, tenuissime villosus, superne aphyllus, erectus, pedalis. *Folia* opposita, amplexicaulia, rarius trifida, glabra, pollicaria. Axillae foliis brevioribus onustae. *Florum* capitulum terminale, solitarium, magnitudine avellanae. *Calyx* imbricatus: squamae ovatae, cinereae, marginibus purpurascentes. *Corollae* albae.

3. S. (*humilis.*) corollis quadrifidis, inaequalibus; calycis squamis obtusis; foliis linearibus, dentato-pinnatifidis. *Prod.* p. 28.

Crescit in Krumrivier. Floret Novembri.

Caulis simplex, subaphyllus, filiformis, striatus, glaber, erectus, uniflorus, palmaris. *Folia* radicalia, aggregata, denticulato-pinnatifida, glabra, caule breviora. *Florum* capitulum solitarium. *Calycis* squamae imbricatae, ovatae, pubescentes, cinereae, apice purpurascentes. *Corollae* albae.

4. S. (*decurrens.*) corollis quadrifidis, inaequalibus; calycis squamis ovatis; foliis pinnatifidis: pinnis divergentibus. *Prod.* p. 28.

Caulis herbaceus, simplex vel ramosus, sulcatus, pedalis. *Folia* radicalia, plura, petiolata, lyrato-pinnatifida: pinnis superne sensim majoribus, decurrentibus, dentatis; superiora pinnatifida, pinnis integris; glabra spithamaea. *Pedunculi* elongati, aphylli. *Florum* capitula terminalia, solitaria, juglande minora. *Calycis* squamae villosae, brevissimae. *Corollae* albae.

5. S. (*ustulata.*) corollis quadrifidis, aequalibus; calycis squamis acutis; foliis lyratis, dentatis. *Prod.* p. 29.

Crescit in Bocklands Berg. Floret Novembri et sequentibus mensibus.

Caulis herbaceus, striato-angulatus, ramosus, glaber, pedalis usque bipedalis. *Rami* inferiores alterni, superiores oppositi, cauli similes, aphylli. *Folia* opposita, amplexicaulia, petiolata petiolis inferne nudis, lobis ovatis, serrata serraturis magnis, extimo lobo maximo, glabra, palmaria, supremis foliis longe minoribus. *Florum* capitula in ramis terminalia, solitaria, juglandis fere magnitudine. *Calyx* imbricatus: squamae ovatae, concavae, villosae, albae, apice purpurascentes. *Corollae* albae.

6. S. (*scabra.*) corollis quadrifidis, aequalibus; calycis squamis obtusis; foliis pinnatifidis, scabris, rigidis. *Prod.* p. 29. Scabiosa *scabra. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 144. Suppl. p. 118.

Crescit in collibus inferioribus montium prope Zoete melks valley. Floret Decembri, Januario.

Caulis herbaceus, simplex, rarius ramosus, teres, tenuissime vil-

losus, flexuoso-erectus, superne aphyllus, uniflorus, rarius triflorus, pedalis et ultra. *Folia* opposita, amplexicaulia, pinnis denticulato-pinnatifidis reflexis, piloso-scabra, erecta, apice tantum subpinnatifida, pollicaria. *Florum* capitula terminalia, solitaria, magnitudine avellanae. *Calycis* squamae imbricatae, ovatae, apice purpurascentes. *Corollae* albae.

7. S. (*acaulis.*) corollis quinquefidis, radiantibus; calycis squamis lanceolatis, brevioribus; foliis obovatis, incisis. *Prod.* p. 29.

Caulis herbaceus, subsimplex vel vix inferne ramosus, aphyllus, flexuoso-erectus, villosus, spithamaeus. Infra medium pedunculi duo, breves. *Folia* radicalia, plura, inferne sensim longius attenuata in petiolos lineares, obtusa, inferne integra, superne inciso serrata, piloso-hispida, digitalia. Hisce interspersa folia pinnatifida, rariora. *Florum* capitulum terminale, solitarium. *Calycis* squamae pilosae, subciliatae, capitulo breviores. *Corollae* inaequales, albae.

8. S. (*africana.*) corollis quinquefidis, aequalibus; caule fruticoso; foliis simplicibus, incisis. *Prod* p. 29. Scabiosa *africana. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 146. Spec. Plant. p. 145.

Crescit in campis et collibus extra urbem, et alibi vulgaris. Floret Julio et sequentibus mensibus.

Caulis frutescens, subangulatus, rigidus, inferne foliosus, superne aphyllus, villosus. *Folia* prope basin caulis aggregata, opposita, amplexicaulia, inferne attenuata, obovata, obtusa, crispa, erosodentata, villosa, pollicem lata, digitalia. *Foliola* infra pedunculos lanceolata, indivisa. *Pedunculi* solitarii vel bini, uniflori. *Flores* terminales, magnitudine fere juglandis. *Calycis* squamae lanceolatae, villosae, capitulo breviores. *Corollae* radiantes *), albae.

9. S. (*maritima.*) corollis quinquefidis, radiantibus; calycis squamis lanceolatis, longioribus; foliis infimis lyratis, summis pinnatifidis. *Prod.* p. 29. Scabiosa *maritima? Linn.* Spec. Plant. p. 144. Syst. Veget. XIV. p. 145.

Caulis herbaceus, erectus, hispidus, pedalis *Rami* oppositi, cauli similes, superne aphylli. *Folia* infima digitalia: lobus extimus subrotundus, incisus; lateralia alterna, dentata; superiora pinnatifida: laciniis lanceolatis, rarius incisis; suprema rarissima, lanceolata. Omnia pilosa, patentia. *Flores* in ramis elongatis terminales, solitarii. *Calycis* squamae aequales, pilosae, capitulo paulo longiores. *Corollae* inaequales, albae.

10. S. (*ochroleuca.*) corollis quinquefidis, radiantibus; foliis bipinnatis: pinnis linearibus. *Prod.* p. 29. Scabiosa *ochroleuca. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 146. Spec. Plant. p. 146.

Caulis herbaceus, ramosus, erectus. *Rami* filiformes, elongati, glabri. *Folia* glabra, superiora pinnata, suprema simplicia. *Flores* terminales, solitarii. *Calycis* squamae lanceolatae, villosae, capitulo breviores. *Corollae* albae.

*) In diagnosi corollae *aequales*. *Editor.*

LXXVII. STILBE.

Hermaphrod. Cal. exterior 3-phyllus; interior 5-dentatus, cartilagineus. Cor. infundibuliformis, 5-fida. Stam. 4. Sem. 1, calyce interiore calyptratum. Masc. similis. Cal. interior 0. Fructus 0.

1. S. (*ericoides.*) foliis quaternis; spicis erectis. *Prod.* p. 29. Selago *ericoides. Linn.* Mantiss. p. 87. Stilbe *ericoides. Linn.* Mant. p. 305. Syst. Veg. XIV. p. 919.

Caulis fruticosus, flexuoso-erectus, ramosus, glaber, pedalis. *Rami* subverticillati, filiformes, ramulosi, cauli similes. *Ramuli* subverticillati, fastigiati. *Folia* lanceolata, imbricata, integra margine revoluto, apice patentia, glabra, vix unguicularia, ramos totos et ramulos tegentia. *Flores* spicati, spica oblonga. *Calyx* 4-fidus. *Corolla* 4-fida, fauce villosa.

2. S. (*cernua.*) foliis quaternis; spicis cernuis. *Prod.* p. 29. Stilbe *cernua. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 919. Suppl. p. 441.

Crescit in summis montibus Duyvelsberg et Taffelberg. Floret Aprili, Majo, Junio.

Caulis fruticosus, erectus, glaber, pedalis. *Rami* alterni, ramulosi, pauci. *Ramuli* subverticillati, fastigiati. *Folia* lineari-lanceolata, integra, margine revoluto, patentia vel reflexa, glabra. *Stamina* corollà longiora. *Differt* a S. *pinastra:* foliis quaternis, reflexis; spicis cernuis. S. *ericoide:* foliis magis rotundis; spicis cernuis, rotundis; floribus albis, nec rubris.

3. S. (*pinastra.*) foliis senis; spicis erectis. *Prod.* p. 29. Selago *pinastra. Linn.* Spec. Plant. p. 886. Stilbe *pinastra. Berg.* Plant. Cap. p. 30. tab. 31. fig. 6. *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 919.

Crescit in summis montibus Taffelberg, Duyvelsberg, Hottentots Holland, aliis. Floret Decembri, Januario, Februario, Martio. Semina matura sunt Julio.

LXXVIII. PAVETTA.

Cor. 1-petala, infundibuliformis, supera. Stigma curvum. Bacca disperma.

1. S. (*caffra.*) foliis obovatis; floribus subumbellatis; calycibus setaceo-aristatis. *Prod.* p. 29. Pavetta *Caffra. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 153. Suppl. p. 122. Pavetta *corymbosa. Houtt.* Natuurl. Histor. P. 2. tab. 40.

Crescit in sylvis Hrakakamma. Floret Decembri.

Frutex orgyalis, totus glaber. *Rami* et Ramuli decussati, cinereo-albidi. *Folia* opposita, in apicibus ramulorum aggregata, inferne attenuata, obtusiuscula, integra, glabra, inaequalia, pollicaria usque bipollicaria. *Flores* subumbellato-paniculati. Umbellae in ramulis terminales. *Calyx* 4-partitus, longitudine dimidiâ tubi. *Corolla*

tubulosa, 4-fida, alba. *Antherae* ori tubi insertae. *Stylus* corollâ longior stigmate clavato.

LXXIX. OLDENLANDIA.

Cor. 1-*petala.* *Cal.* 4-*partitus.* *Caps.* 2-*locularis, infera, polysperma.*

1. O. (*Capensis.*) floribus verticillatis, pedunculatis; foliis linearibus. *Prod.* p. 29. OLDENLANDIA *capensis.* *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 161. Supplem. p. 128.

Crescit in marginibus fluvii Koopmans-rivier, locis sabulosis et depressis. Floret Decembri, Januario.

Radix fibrosa, annua. *Caulis* decumbens, ramosus, totus villosus. *Rami* diffusi, inaequales. *Folia* opposita, integra, glabra, curva, unguicularia vel paulo ultra. *Flores* ex axillis foliorum pedunculati. *Pedunculi* plures, simplices, foliis breviores. *Perianthium* 4-phyllum, rarius 5-phyllum, persistens: *Laciniae* lanceolatae, acutae, patentes, ciliatae, longitudine fere corollae. *Corolla* 1-petala, tubulosa, alba, facile decidua *Tubus* cylindricus, rectus. *Limbus* 4-partitus: laciniae ovatae, obtusae, concavae, patulae, extus sub apice ciliatae, longitudine tubi, semilineam longae. *Os* tubi villis conniventibus, albis clausum. *Filamenta* 4, tubo infra villas inserta, alba, brevissima. *Antherae* ovatae, albidae. *Germen* inferum, didymum, glabrum. *Stylus* filiformis, erectus, albus, longitudine tubi corollae. *Stigma* clavatum, albidum. *Capsula* ovata, supra plano-convexa, didyma, glabra, calyce persistente coronata, 4-valvis, 2-locularis. *Semina* plurima. *Differt* ab O. *umbellata:* 1. pedunculis unifloris. 2. caule decumbente.

LXXX. SCOPARIA.

Cal. 4-*partitus.* *Cor.* 4-*partita, rotata.* *Caps.* 1-*locularis,* 2-*valvis polysperma.*

1. S. (*arborea.*) foliis lanceolatis, alternis, integris; paniculâ trichotomâ; caule arboreo. *Prod.* p. 28. SCOPARIA *arborea.* *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 157. Suppl. p. 125.

Africanis Incolis: Wilde Vlier. Crescit juxta Buffeljagts-rivier prope Riet-Valley, juxta Zeekorivier et alibi. Floret Novembri, Decembri.

Arbor excelsa, crassa, erecta, ramosissima. *Rami* alterni, angulati. *Folia* decussata, petiolata, supra glabra; subtus tomentoso-incana, digitalia. *Petioli* brevissimi *Flores* paniculati, minimi. *Panicula* supradecomposita. *Perianthium* 1-phyllum, cinereum, persistens, 4 partitum: *laciniae* ovatae, acutiusculae, erectae, corollâ breviores. *Corolla* 1-petala, alba, raro purpurascens. *Tubus* cylindricus, longitudine calycis. *Limbus* 4-partitus: laciniae ovatae, obtusae, patentes. *Os* villosum, croceum. *Filamenta* 4, infra os tubi inter lacinias corollae inserta, limbo corollae longiora, alba. *Antherae* rotundatae, minutae, albae. *Germen* superum. *Stylus* filiformis, albus, corollâ paulo brevior. *Stigma* simplex, obtusum. *Capsula* ovata, 4-valvis, 1-locularis, apice bi- vel quadri-fariam dehiscens.

Obs. Differre videtur a SCOPARIA capsulâ 4-valvi, sic ut novum potius Genus constitueret. *Similis* OLEAE foliis, SAMBUCO florum panicula.

LXXXI. PLANTAGO.

Cal. 4-*fidus.* *Cor.* 4-*fida: limbo reflexo.* *Stamina longissima.* *Caps.* 2-*locularis, circumscissa.*

1. P. (*capensis.*) foliis ellipticis; spicâ floribus distinctis. *Prod.* p. 29.

Crescit in Hortis Europaeorum prope urbem.

Caulis simplex, aphyllus, striatus, glaber, erectus, pedalis. *Folia* radicalia, plurima, integra, glabra, spithamaea. *Florum* spica spithamaea: floribus remotis. *Similis* P. *lanceolatae*, diversa vero spicâ interruptâ.

2. P. (*hirsuta.*) foliis linearibus, ciliatis; spicâ cylindrica; caule hirsuto. *Prod.* p. 29.

Crescit prope Verlooren Valley. *Floret Novembri et sequentibus mensibus.*

Caules radicales, saepius duo, aphylli, teretes, villosi, incurvi, pedales. *Folia* radicalia, plura, obtusiuscula, villoso-subciliata, caule dimidio breviora. *Spica* villosa, digitalis.

3. P. (*Loeflingii.*) foliis linearibus, subdentatis; caule tereti; spicâ ovatâ; bracteis carinatis, membranaceis. PLANTAGO *Loeflingii.* *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 156. Spec. Plant. p. 166. Prod. p. 30.

Crescit in cultis prope urbem.

LXXXII. BUDDLEJA.

Cal. 4-*fidus.* *Cor.* 4-*fida.* *Stam. ex incisuris.* *Caps.* 2-*sulca*, 2-*locularis*, *polysperma.*

1. B. (*incomta.*) foliis fasciculatis, ovatis, canis; racemis terminalibus; ramis flexuosis, rigidis. *Prod.* p. 30. BUDDLEJA *incomta.* *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 154. Supplem. p. 123.

Crescit in summo Roggeveld. *Floret Novembri, Decembri.*

Frutex vix pedalis caule rigido, cinereo. *Rami* sparsi, foliis tecti. *Folia* obtusa, sericeo-cana, integra, minuta. *Flores* racemosi in ramulis, albi.

2. B. (*virgata.*) foliis lineari-oblongis, obtusis, integris; racemis terminalibus; ramis virgatis, erectis. *Prod.* p. 30. BUDDLEJA *virgata.* *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 154. Suppl. p. 123.

Crescit in Carro infra Roggeveld prope rivos. *Floret Novembri, Decembri.*

Frutex fere orgyalis, erectus, glaber, ramosissimus. *Rami* filiformes, suboppositi, elongati, laxi, cinereo-cani. *Folia* opposita,

sericeo-incana, unguicularia usque pollicaria. *Flores* in ramis racemosi.

LXXXIII. PENAEA.

Cal. 2-*phyllus.* *Cor.* *campanulata.* *Styl.* 4-*angularis.* *Caps.* 4-*gona*, 4-*locularis*, 8-*sperma.*

1. P. (*myrtilloides.*) floribus terminalibus; foliis lanceolatis. *Prod.* p. 30. PENAEA *myrtoides.* *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 154. Supplem. p. 122.

Arbuscula erecta, tota glabra, pedalis et ultra. *Rami* subumbellati, ramulis iterum subumbellatis, fastigiatis. *Folia* opposita, sessilia, integra, glabra, imbricata, erecta, supra sulco, subtus lineâ elevatâ, unguicularia. *Bracteae* subcordatae, acutae, integrae, glabrae *Flores* lutei.

2. P. (*fruticulosa.*) floribus terminalibus; foliis ovatis, glabris; bracteis obovatis. *Prod.* p. 30. PENAEA *fruticulosa.* *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 154. Suppl. p. 121.

Crescit in collibus arenosis et campo infra Taffelberg prope urbem et juxta Constantiam. Floret Maijo.

Fruticulus erectus, glaber, ramosissimus, palmaris usque pedalis. *Rami* et Ramuli dichotomi, teretes, ultimi filiformes, cinereo-rufescentes, erecti, subfastigiati. *Folia* opposita, subsessilia, oblonga, obtusa, integra, imbricato-erecta, lineam longa. *Bracteae* glabrae, virides. *Flores* aggregati.

3. P. (*formosa.*) floribus terminalibus; foliis ovatis, glabris; bracteis oblongis.

Crescit in Fransche Hoek montibus.

Frutex erectus, totus glaber, parum ramosus ramis alternis, erectis. *Folia* decussata, sessilia, obtusiuscula, integra, margine pallido, imbricata, semipollicaria. *Flores* in ramis terminales, aggregati, rufescentes, uti et bracteae. *Corollae* pollicares. *Bracteae* sanguineae.

4. P. (*mucronata.*) floribus terminalibus; foliis cordatis, acuminatis, glabris. *Prodrom.* p. 30. PENAEA *mucronata.* *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 154. Spec. Plant. p. 162.

Crescit in campo arenoso et collibus infra Taffelberg. Floret Majo, Junio, Julio.

Frutex glaber. *Rami* et Ramuli dichotomi, et trichotomi erecti, fastigiati. *Folia* sessilia, integra, imbricata, apice patentia, semiunguicularia. *Flores* aggregati.

5. P. (*squamosa.*) floribus terminalibus; foliis rhombeo-cuneiformibus, glabris. PENAEA *squamosa.* *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 154. Spec. Plant. p. 162.

Crescit prope cacumen Dayvelsberg. Floret Maijo.

Fruticulus erectus, glaber, pedalis. *Rami* et Ramuli dichotomi, inaequales. *Folia* opposita, sessilia, rhombea, acuta, integra, imbricata, vix unguicularia. *Flores* rubri.

6. P. (*acuta.*) floribus terminalibus; corollae laciniis acutis; foliis ovatis, acutis.

Caulis fruticosus, cinereus, glaber, erectus, ramulosus. *Rami* et Ramuli sparsi, filiformes, similes, fastigiati. *Folia* alterna, sessilia, integra, glabra, erecta, subimbricata, lineam longa. *Flores* subsessiles, umbellati. *Tubus* corollae cylindricus, purpurascens, glaber, unguicularis: laciniae ovatae, acuminatae. *Differt* a P. *squamosa* laciniis corollae non obtusis, sed acutis, et tubo longiori, angustiori.

7. P. (*sarcocolla.*) floribus terminalibus; foliis rhombeo-ovatis; bracteis coloratis. PENAEA *fucata. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 154. Mantiss. p. 199. *Willd.* Spec. Plant. 1. 2. p. 627. PENAEA *Sarcocolla. Linn.* Syst. Veg. per *Gmel.* 1. p. 249. Prod. p. 30. Spec. Plant. *Willd.* 1. 1. P. 2. p. 626. PENAEA *tetragona. Berg.* Plant. Cap. p. 25.

Crescit in montibus Hottentots Holland; inter fossam et Houthoek, collibus quoque infra latus occidentale Taffelberg. Floret Decembri; etiam Julio.

Fruticulus erectus, glaber, rigidus, pedalis. *Rami* pauci, dichotomi, rugosi, cinereo-fusci. *Folia* opposita, sessilia, rhombea, acuta, integra, glabra, imbricata, unguicularia. *Bracteae* cuneatae, purpureae, glabrae, glutinosae, foliis majores. *Flores* fasciculati, lutei.

8. P. (*marginata.*) floribus lateralibus; foliis cordatis, marginatis. PENAEA *marginata. Linn.* Mant. p. 198. Syst. Veg. p. 249.

Frutex erectus, ramosus, glaber, tripedalis et ultra. *Rami* subverticillato-terni, cinerei, nodulosi a casu foliorum, flexuoso-erecti, parum ramulosi. *Folia* decussata, brevissime petiolata, subcordata, ovata, acuta, integra, margine crassiori marginata, glabra, imbricata, vix unguicularia. *Flores* in summitate ramorum et ramulorum laterales et terminales.

9. P. (*lateriflora.*) floribus lateralibus; foliis ovatis, glabris. *Prod.* p. 30. PENAEA *lateriflora. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 154. Mant. 199.

Crescit in montibus prope Zoete Melks valley, juxta sylvam. Floret Decembri, Januario.

Fratex erectus, glaber, pedalis. *Rami* pauci, subtrichotomi, elongati, foliis tecti. *Folia* opposita, subsessilia, apice attenuata, obtusiuscula, integra, imbricata, semipollicaria *Flores* inter folia, lutei. *Bracteae* quatuor. *Stamina* incisuris corollae inserta. *Stigma* capitatum, bisulcatum.

10. P. (*tomentosa.*) floribus lateralibus; foliis ovatis, tomentosis. *Thunb. Prodrom.* p. 30.

Fratex erectus, pedalis. *Rami* sparsi, cinerei, superne tomentosi, virgati. *Folia* opposita, sessilia, obtusa, integra, imbricata, lineam longa. *Flores* sub-apice ramulorum.

LXXXIV. RUBIA.

Cor. 1-*petala*, *campanulata*. *Baccae* 2, *monospermae*.

1. P. (*cordifolia.*) foliis quaternis, cordatis. Rubia *cordifolia*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 152. Mant. p. 197. *Thunb.* Prod. p. 30.

Crescit juxta van Stades rivier. Floret Decembri, Januario.

Caulis herbaceus, debilis, adscendens, tetragonus angulis hispidis. *Rami* alterni, cauli similes. *Folia* petiolata, acuta, serrato-scabra. *Petioli* tetragoni angulis hispidis, longitudine foliorum.

2. R. (*laevis.*) tota glabra, foliis saepissime quaternis.

LXXXV. GALIUM.

Cor. 1-*petala*, *plana*. *Sem.* 2 *subrotunda*.

1. G. (*rotundifolium.*) foliis quaternis, subrotundo-ovatis, trinervibus, hispidis; caule decumbente; fructibus hispidis. Galium *rotundifolium*. *Willd.* Spec. Plant. Tom. 1. P. 2. p. 596.

2. G. (*tomentosum.*) foliis quaternis, hispidis; floribus paniculatis; ramis tomentoso-albis. Galium *maritimum*. Prod. Flor. Capens. p. 30.

Crescit in regionibus Swellendam, inter frutices scandens. Floret Octobri.

Caulis herbaceus, scandens, glaber, ramosissimus, tetragonus, angulis tenuissime hispido-serratis. *Rami* trichotomi uti et ramuli copiosissimi, pilis albis densissime tecti, ultimi capillares. *Flores* pedunculis dichotomis, capillaribus, villosis. *Folia* oblonga, serrato-scabra, glabra, reflexa, unguicularia.

Obs. Galia difficillime distinguuntur, cum variare solent numero foliorum in ejusdem plantae caule, ramis et ramulis. Praeterea species, ante notae plures non bene, neque determinatae characteribus certis et sufficientibus, neque semper satis descriptae.

3. G. (*capense.*) foliis senis, linearibus, glabris; caule frutescente, erecto. *Prodr.* p. 30.

Crescit prope Dorn-rivier, in Carro pone Bockeveld alibique. Floret Decembri.

Radix perennis. *Caulis* basi frutescens; mox valde ramosus. *Rami* plurimi, subradicales, elongati, rarius ramulosi, flexuoso-erecti, teretes, striati, tenuissime pubescentes, pedales. *Ramuli* oppositi, brevissimi, altero longiori, floriferi. *Folia* rarius octona, saepius sena, lineari-lanceolata, subtus sulcata, margine revoluto, carinata, patentia, unguicularia; superiora sensim breviora et minora. *Flores* in ramulis subdichotomi, albi. *Fructus* laevis, glaber.

4. G. (*mucronatum.*) foliis senis, linearibus, mucronatis, glabris; caule pubescente debili. *Prod.* p. 30.

Caules plures e radice, herbacei. *Rami* alterni, tetragoni, pubescentes, fastigiati, palmares. *Folia* mucrone albo, margine revoluto serrato-scabra, patentia vel reflexa, lineam longa. *Flores* in apicibus ramulorum pauci. *Fructus* glaber. *Tota* planta siccatione nigrescit.

5. G. (*expansum.*) foliis senis, linearibus, mucronatis, glabris; ramis divaricatis, pubescentibus; panicula trichotomâ. *Prod.* p. 30.

Floret Octobri, Novembri.

Caulis herbaceus, tetragonus, laevis, tenuissime villosus, laxus, pedalis et ultra. *Rami* oppositi, similes, patentissimi et reflexi. *Folia* rarius quina, integra margine revoluto, reflexa, lineam longa. *Panicula* patens pedunculis capillaribus. *Corollae* albae. *Fructus* laevis.

6. G. (*asperum.*) foliis senis, oblongis, serratis; caule hispido, piloso; floribus paucis. *Prodrom.* p. 40.

Caulis herbaceus, tetragonus, angulorum denticulis cartilagineis reflexis asper, totus pilis albis contortis tectus, flexuoso-erectus, pedalis et ultra. *Rami* alterni, similes, patentes, pauci. *Folia* obovato-oblonga, acuta, margine cartilagineo replicato-serrulata, glabra, patenti-reflexa, unguicularia. *Flores* in ramulis paucissimi. *Fructus* glabri.

7. G. (*glabrum.*) foliis senis, oblongis, serratis; caule hispido, glabro; floribus paniculatis. *Prodrom.* p 30.

Caulis herbaceus, tetragonus, angulis serratis, flexuoso-erectus, pedalis et ultra. *Rami* alterni, pauci. *Folia* obovato-oblonga, acuta, margine replicato-serrulata, glabra, patentia, unguicularia. *Florum* paniculae laterales et terminales, decompositae. *Corollae* albae. *Fructus* laeves. *Similis* priori; sed caulis glaber et panicula ampla.

8. G. (*horridum.*) foliis suboctonis, linearibus, aculeato-serratis, reflexis; caule tetragono, aculeato, suffruticoso.

Caulis erectus, glaber, angulis aculeatis, scabridus, parum ramosus, bipedalis et ultra. *Folia* acuta, glabra, marginibus aculeato-serrata, carinata, bipollicaria superioribus brevioribus. *Flores* et semina non vidi.

LXXXVI. CAVANILLA.

Dioica. ♂. *Cal.* 4-*phyllus.* *Cor.* 0.
♀. *Stylus radiatus.* *Nux.*

1. C. (*scandens.*) *Thunb.* Prodrom. p. 31.

Crescit in Grootvaders Bosch. Floret Januario.

Caulis frutescens, teres; inferne glaber, cinereus; superne punctato-scaber, hirsutus, scandens, flexuosus. *Rami* alterni, similes, sensim filiformes. *Folia* alterna, petiolata, oblonga, obtusa, snbsinuata, denticulata, hirsuta, supra viridia, subtus ferruginea, patentia, bipollicaria. *Petioli* villosi, unguiculares. *Flores* sexu distincti in distincta planta.

LXXXVII. LAUROPHYLLUS.

Dioica. ♂. *Cal. subtetraphyllus. Cor.* o.
♀. *Germen superum.*

1. L. (*capensis*) Prodrom. p. 31.

Crescit in Houtniquas kloof. Floret Januario.

Arbor erecta. glabra tota. *Rami* teretes, rugosi, brunei. *Ramuli* angulati. *Folia* alternatim sparsa, petiolata, oblonga, acutiuscula, serrata, basi et apice integra, supra viridia, subtus pallida, parallelo-nervosa nervis ramosis, margine revoluta, sempervirentia, erecta, digitalia. *Petioli* trigoni, vix pollicares. *Flores* paniculati, minuti, videntur esse dioici. *Panicula* amplissima, supradecomposita. *Pedunculi* et pedicelli compressi, sensim breviores. *Bractea* solitaria vel binae, calyci subjectae, lanceolatae, concavae, glabrae, cinereo-flavescentes.

Nota. In Schedula adjecta Miscellaneis auctoris legimus: „Laurophyllus *capensis?* Caulis arboreus, sesquiorgyalis. Folia sempervirentia. *Cal.* 5-dentatus, laciniae ovatae, obtusae, erectae, virides, quartam partem lineae longae. *Cor.* 5-petala. Petala laciniis calycis inserta, linearia, longitudine laciniarum calycis, reflexa, pallide viridia. *Stam.* filamenta 5, filiformia, erecta, alba, lineam longa. *Antherae* ovatae, didymae, flavae. *Bracteae* sub flore binae, alternae, subulatae, erectae. *Germ.* inferum?“ Editor.

LXXXVIII. ALCHEMILLA.

Cal. 8-*fidus. Cor.* o. *Sem.* 1.

1. A. (*capensis.*) foliis lobatis; racemis lateralibus. *Prod.* p. 31.

Crescit in collibus et lateribus Taffelberg versus orientem et alibi prope rivulos. Floret Maijo.

Caulis herbaceus, filiformis, decumbens, uti tota planta hirsutus, spithamaeus et ultra. *Rami* alterni, diffusi, similes cauli. *Folia* alterna, petiolata, subrotunda, crenata, unguicularia, petiolo longiora. *Stipulae* ad basin petioli duae, oppositae, amplexicaules, subrotundae, crenatae, minimae. *Flores* in axillis foliorum tres vel quatuor collecti in involucro communi 4-partito: *laciniis* bifidis. *Perianthium* 1-phyllum, 8 partitum: *laciniis* alternis majoribus. *Corolla* nulla. *Filamenta* 4, laciniis calycis minoribus inserta, breviora. *Antherae* globosae. *Germen* ovatum. *Stylus* brevissimus seu subnullus stigmate globoso. *Semen* calyce inclusum.

LXXXIX. VISCUM.

Masc. Cal. 4-*partitus. Cor.* o. *Filamenta* o. *Antherae calyci adnatae.*
Fem. Cal. 4-*phyllus, superus. Stylus* o. *Cor.* o. *Bacca* 1-*sperma. Sem. cordatum.*

1. V. (*capense.*) caule aphyllo, subtetragono, rugoso; floribus verticillatis, sessilibus. Viscum *capense. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 883. Suppl. p. 426. Prod. p. 31.

Crescit in Paarden Eyland et alibi, parasiticum in arboribus, praesertim in Rhoë. Floret Septembri, Octobri.

Caulis fruticosus, tetragonus, angulis obtusis, ramosissimus, erectus articulatus articulis unguicularibus. *Rami* et ramuli decussati, cauli similes, aphylli, erecto-patentes. *Flores* subseni, sensim florentes, dioici. ♂. *Perianthium* 4-phyllum, viridi-lutescens, lineam longum: *laciniae* ovatae, acutiusculae, erectae, apice patentes. *Corolla* semiquadrifida, erecto-patens, alba. *Filamenta* nulla. *Antherae* sessiles, 2, 3 seu 4, ovatae, intus planae, extus carinato-convexae, papulosae, flavescentes, calyce breviores. ♀ *Stylus* simplex, brevis, crassiusculus. *Stigmata* duo. *Bacca* infera, globosa, sessilis, matura alba. *Bracteae* verticillo florum approximatae, duae, oppositae, connatae, ovatae, acutiusculae, virides.

Obs. Tota planta fragilissima rore tenuissimo glauco tecta, glabra; 2. in mare calyx visus 2-phyllus, corollâ duplo brevior; 3. interdum corolla nulla adfuit. 4. Disseminantur baccae edules ab avibus.

2. V. (*rotundifolium.*) foliis rotundatis; floribus subverticillatis, pedunculatis. Viscum *rotundifolium. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 883. Supplem. p. 426. Prod. p. 31.

Floret Decembri.

Radix in arborum ramis parasitica. *Tota* planta fragilis, glabra, ramosissima, spithamaea vel ultra. *Caulis* et rami hexagoni, articulati, glabri. *Rami* oppositi, patenti-erecti, similes. *Folia* opposita, sessilia, acuta, patenti-erecta, semiunguicularia, longitudine fere internodiorum. *Flores* ad articulos masculi et feminei in distincto individuo. *Pedunculi* triflori, breves. *Bracteae* minutae, oppositae. ♂. *Calyx* nullus. *Corolla* 4-petala.

Obs. Florem masculinum in eodem ramo cum floribus femineis observavi, sed rarissime.

3. V. (*pauciflorum.*) foliis ovatis, obtusis, incanis; floribus sparsis, solitariis. Viscum *pauciflorum. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 883. Suppl. p. 426. Prod. p. 31.

Crescit in Carro infra Bockland. Floret Septembri.

Caulis parasiticus, fruticosus, glaber, striatus, curvatus, pedalis. *Rami* alterni, similes, patenti-reflexi. *Folia* alterna, sessilia, oblonga, integra, patentia, unguicularia. *Flores* brevissime pedunculati.

4. V. (*obscurum.*) foliis ellipticis, glabris; caule fruticoso. *Prod.* p. 31.

Crescit prope Slangrivier, juxta villam Clute.

Caulis parasiticus, rugosus, cinereus, glaber, erectus, pedalis et ultra. *Rami* alterni, similes, erecto-patentes. *Folia* opposita, avenia, integra, patentia, inaequalia, unguicularia usque pollicaria. *Flores* non vidi.

XC. PARIETARIA.

HERMAPHROD. Cal. 4-fidus. Cor. o. Stam. 4. Styl. 1. Sem. 1, superum, elongatum.
FEM. Cal. 4 fidus. Cor. o. Stam. o. Stylus 1. Sem. 1, superum, elongatum.

1. P (*lanceolata.*) foliis ovato-lanceolatis, integris, pilosis; caule debili, decumbente.

Radix fibrosa. *Caulis* filiformis, striatus, pilosus, inferne parum ramosus, pedalis. *Rami* oppositi, flexuosi. *Folia* alterna, petiolata, nervis imprimis pilosa, inaequalia, unguicularia et ultra. *Flores* axillares, sessiles.

2. P. (*capensis.*) foliis oppositis, serratis; ramis diffusis; floribus sessilibus. *Prod.* p. 31.

Crescit in Groot Vaders Bosch. Floret Januario.

Radix fibrosa. *Caulis* vix ullus; sed Rami plures, radicales, subsimplices, tetragoni, sulcati, villosi, spithamaei. *Folia* petiolata, ovata, acuta, serraturis obtusis, villosa, patentia, unguicularia. *Flores* in axillis. *Stylus* villosus stigmate simplici. *Differt* a P. *urticaefolia*: foliis subcordatis; serraturis rotundatis, pilis sparsis, ramis diffusis et floribus sessilibus.

XCI. URTICA.

MASC. Cal. 4-phyllus. Cor. o. Nectarium centrale, cyathiforme.
FEM. Cal. 2-valvis. Cor. o. Sem. 1, nitidum.

1. U. (*capensis.*) foliis alternis, cordato-ovatis, crenatis; floribus axillari subspicatis; ramis diffusis. URTICA *capensis. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 850. Suppl. p. 417. Prod. p. 31.

Crescit in sylvis.

Caulis debilis, glaber, striatus, erectiusculus, spithamaeus. *Rami* alterni, similes, capillares. *Folia* petiolata, subcordata, ovata, obtusa, crenata seu obtuse serrata, tenuissime pubescentia, punctato scabrida, patentia, petiolo paulo longiora, unguicularia. *Flores* axillares, saepe in spica foliosa sparsi.

2. U. (*Caffra.*) foliis alternis, cordato-ovatis; serratis; floribus axillaribus, sessilibus; caule debili, erectiusculo. *Prod.* p. 31.

Crescit in sylvis.

Radix parum fibrosa, annua. *Caulis* basi decumbens, flexuoso-erectus, tenuissime villosus, spithamaeus. *Rami* alterni versus basin caulis, debiles, incurvo-erecti, simplices. *Folia* petiolata, subcordata, ovata, acuta, acuta serrata, pubescentia, subtus pallidiora, inaequalia, pollicaria. *Petioli* laxi, duplo breviores. *Flores* pauci, circiter tres. *Differt* a priori: foliis majoribus, acutioribus, acutiusque serratis; petiolis longioribus. *Pauci* sunt limites inter *Parietarias*, *Boehmerias* et *Urticas*, quae forsan unicum Genus naturale.

XCII. BRABEJUM.

♂. *Amenti squamae 3-florae. Cor. 4-partita. Stam. 4 fauci inserta. Stylus bifidus, abortiens.*

☿. *Amenti squama. Cor. 4-partita, superne revoluta. Stam. 4. Pist. 1, stigmatibus 2. Drupa subrotunda. Semen globosum.*

1. B. (*stellatum.*) *Thunb.* Prod. Pl. Cap. p. 31. Brabyla *Capensis. Linn.* Mantiss. p. 137. Brabejum *stellatifolium. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 919. *Houtt.* Natuurl. Histor. P. 2. tab. 37.

Incolis Africanis: Wilde Castanies. Crescit juxta rivos varios, ad Parl, Buffeljagts, Zonder End et alios. Floret Decembri.

Arbor orgyalis, erecta, ramosissima. *Rami* teretes, rigidi, fusco-purpurascentes, striati, inferne glabri apicibus villosis. *Folia* verticillata, circiter sena, petiolata, lanceolata, a medio ad apicem serrata serraturis remotis, glabra, subtus reticulata, rigida, semper virentia, palmaria. *Petioli* brevissimi, vix unguiculares. *Flores* racemosi. *Racemi* axillares, subverticillati, digitales. *Pedunculi* teretes, tomentosi. *Pedicelli* capillares, sparsi et subverticillati, villosi, vix unguiculares. *Calyx* nullus. *Corolla* 4-petala, alba. *Petala* revoluta, decidua. *Filamenta* 4, capillaria, unguibus petalorum inserta, petalis longiora. *Germen* setoso-villosum. *Stylus* filiformis, staminibus paulo longior. *Stigma* simplex, clavatum. *Drupa* ovata, villosa. *Usus*: fructus edules.

DIGYNIA.

XCIII. CUSCUTA.

Cal. 4-5-fidus. Cor. 1-petala. Caps. 2-locularis.

1. C. (*africana.*) pedunculis unifloris; corollis quinquefidis. Cuscuta *americana.* Prod. p 32.

Crescit in arboribus variis parasitica et aggregata.

Pedunculi capillares, glabri. *Calyx* 5-fidus, brevissimus. *Filamenta* 5, incisuris corollae inserta, laciniisque ejus aequalia.

LCIV. ANTHOSPERMUM.

Hermaphr. *Cal. 4-partitus. Cor. o. Stam. 4. Pist. 2. Germen inferum.*

Masc. et Fem. *in eadem vel distincta planta.*

1. A. (*galopina.*) foliis oppositis, oblongis, glabris. *Thunb.* Prod. p. 32. Galopina *circaeoides. Thunb.* Diss.

Nov. Plant. Gener. P. 1. pag. 3. *Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 166.

Crescit in sylvis Houtniquas, Groot Vadersbosch aliisque. Floret Decembri, Januario.

Caulis herbaceus, simplex, rarius ramosus, teres, ruber, glaber, debilis, erectus, circiter bipedalis. *Rami* alterni, patentes, cauli similes. *Folia* petiolata, acuta, integra, subtus pallida, pollicaria et paulo ultra. In axillis foliorum alia folia minora, similia. *Flores* terminales, paniculati. *Panicula* laxa, diffusa. *Pedunculi* et pedicelli oppositi, capillares, glabri, bracteati. *Bracteae* duae, oppositae, setaceae.

2. A. (*lanceolatum.*) foliis lanceolatis, glabris. *Prod.* p. 32. ANTHOSPERMUM *herbaceum. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 919. Supplem. p. 140.

Caulis fruticescens, totus glaber. *Rami* teretes, purpurascentes, glabri, elongati, pedales et ultra. *Ramuli* oppositi, similes, patentes. *Folia* verticillata, subsena, inaequalia, sessilia, lanceolata seu elliptica, integra, laevia, patentia, pollicaria. Minora ex axillis. *Flores* axillares. *Differt* ab A. *aethiopico*: foliis latioribus et longioribus.

3. A. (*aethiopicum.*) foliis linearibus, glabris. ANTHOSPERMUM *aethiopicum. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 919. Spec. Plantar. p. 1511. Prod. p. 32.

Crescit in collibus prope urbem et alibi vulgare. Floret toto fere anno.

Caulis fruticosus, totus glaber, ramosissimus, bipedalis et ultra. *Rami* et Ramuli oppositi, frequentes, cinerei, flexuoso-erecti, virgati. *Folia* opposita, sessilia, aggregato-subverticillata, integra margine revoluto, patentia, lineam longa. *Flores* axillares, verticillati, sessiles. *Styli* duo, plumosi, calyce duplo longiores. *Varietas* monstrosa occurrit caule articulato, foliis ad articulos aggregatis plurimis verticillatis.

4. A. (*ciliare.*) foliis ovatis, ciliatis, hispidis. ANTHOSPERMUM *ciliare. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 919. Spec. Plantar. p. 1512. Prod. p. 32.

Crescit in collibus prope urbem alibique. Floret Junio, Julio.

Caulis fruticosus, flexuoso-erectus, ramosissimus, glaber, palmaris usque pedalis. *Rami* sparsi, ramulosi, angulati, foliis et floribus tecti. *Folia* verticillata, sena, sessilia, approximata, internodiis vix longiora, margine revoluto, pilis albis hispida, patentia, supra sulcata, subtus carinata, lineam longa. *Flores* axillares, bini, vel quatuor; sessiles, longitudine foliorum, masculini et feminei in distincto frutice. ♂. *Perianthium* 1-phyllum, semiquadrifidum: laciniae lanceolatae, elastice dissilientes, reflexae. *Corolla* nulla, nisi calyx rufescens. *Filamenta* 4, receptaculo inserta, capillaria, longitudine calycis. *Antherae* ovato-lineares, flavae. *Receptaculum* seu Germen sterile, didymum uti capsula, inferum, ovatum, obtusum, glabrum. ♀. *Calyx* ut in mare, sed minor. *Corolla* nulla. *Germen* inferum,

didymum, ovatum. *Stigmata* duo, longa, filiformia. *Capsula* ovata, glabra, didyma, facile separanda, cohaerens.

Obs. Flores hermaphroditos nunquam inveni, sed semper dioicos.

5. A. (*scabrum.*) foliis convolutis, canaliculato-subulatis, scabridis. *Prod.* p. 32.

Caulis infimâ basi fruticosus, brevissimus, mox vero ramosissimus. *Rami* plurimi, aggregati, alterni, longi, ramulosi, virgati, filiformes, cinerei, glabri, erectiusculi, spithamaei vel ultra. *Folia* opposita, connata, subtrigona, acuta, apice parum recurvo cartilagineo, margine tenuissime serrulato-scabra, in apicibus ramorum et ramulorum approximata, patula, glabra, unguicularia. *Flores* versus summitates laterales. *Differt* a prioribus, quod folia convoluta, nec revoluta; serraturae saepe obsoletae. *Singularis* caeterum species mihi visa est: 1. Staminibus quinque. 2. Calyce 6-partito angulato.

TRIGYNIA.

XCV. MYRICA.

Masc. Amenti squama lunata. Cor. 0.
Fem. ut in mare. Styli 2. *Bacca* 1-*sperma.*

1. M. (*cordifolia.*) foliis cordatis, sessilibus, serratis. MYRICA *cordifolia. Linn.* Syst. Veget. XIV. pag. 884. Spec. Plant. p. 1454. Prod. p. 32.

Crescit prope littora maritima in dunis, ut in Houtbay, juxta Musselbay et alibi vulgaris.

Frutex erectus, ramosissimus, cinereo-fuscus, glaber, quadripedalis vel ultra. *Rami* sparsi, aggregato-subverticillati, incurvi. *Folia* alterna, undulato-dentata, obtusiuscula, glabra, rigida, oblique imbricata, vix unguicularia. *Flores* axillares, distincti in diverso frutice, masculi spicati, feminei solitarii subpedunculati. *Bacca* globosa, albo-farinosa. *Usus:* E farina glutinosa Baccarum coctione Ceram cinereo-virentem extrahunt Hottentotti et Rustici hollandici, quae illis edulis instar casei. His vero ad candelas conficiendas quandoque inservit.

2. M. (*aethiopica.*) foliis ellipticis, dentatis, infimis integris. MYRICA *aethiopica. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 884. Mantiss. p. 298. Prod. p. 32.

Frutex erectus, ramosissimus, glaber, quadripedalis et ultra. *Rami* alterni, punctati, cinereo-fusci, erecti. *Folia* alterna, petiolata, frequentia, integra et sinuato-dentata, dentibus duobus usque quatuor et quinque in singulo latere, glabra, rigida, erecta, petiolis multo longiora, digitalia. *Flores* masculi spicati in axillis, feminei solitarii. *Baccae* globosae, albo-farinosae. *Usus:* hujus idem est, ac M. *cordifoliae.*

3. M. (*quercifolia.*) foliis oblongis, opposite sinuatis. MYRICA *quercifolia. Linn.* Spec. Plant. p. 1453. Syst. Veg. XIV. p. 884. Prod. p. 32.

Frutex erectus, glaber, quadripedalis. *Rami* et Ramuli subverticillati, nodulosi, cinereo-fusci, curvato-erecti. *Folia* alterna, attenuata in petiolos, obovato-oblonga, obtusiuscula, sinuato-pinnatifida pinnis oppositis, punctis aureis adspersa, glabra, pollicaria et ultra.

XCVI. BOSCIA.

Cal. 4-dentatus. Cor. 4-petala. Caps. 4-locularis.

1. B. (*undulata.*) *Thunb.* Prod. p. 52.

Arbor tota glabra, orgyalis. *Rami* alterni, teretes, cinerei, rugosi, erecto-patentes. *Ramuli* similes, sensim tenuiores. *Folia* sparsa, petiolata, ternata, raro binata, rarius simplicia inferne in ramulis. *Foliola* elliptica, sessilia, acuta, raro obtusa vel excisa, integra, undulata, tenuissime parallelo-nervosa, nervo medio crasso notata subtus, utrinque laevia et glabra, digitalia inferioribus minoribus. *Petiolus* filiformis, supra sulcatus, longitudine folioli. *Flores* in ramulorum apicibus paniculati, minutissimi, cinerei. *Similis* RHOI, diversa fructificatione.

TETRAGYNIA.

XCVII. ILEX.

Cal. 4 dentatus. Cor. rotata. Stylus o. *Bacca 4-sperma.*

1. I. (*crocea.*) foliis oblongis, serratis: serraturis ciliato-spinosis.

Incolis: Geelhout et Safranhout. Crescit in sylvis Houtniquas.

Arbor maxima et excelsa; ligno crocco, duro. *Rami* et Ramuli teretes, punctato asperi, cinerei, glabri. *Folia* opposita, petiolata, acuta, coriacea, rigida, sempervirentia, nervosa, glabra, duas pollices lata, palmaria. *Flores* nunquam mihi videre contigit, sed hujus generis esse conjicio. *Usus:* E ligno arboris satis duro conficiuntur thecae, tabulae et variae aliae res.

XCVIII. POTAMOGETON.

Cal. o. *Petala 4. Stylus* o. *Sem. 4.*

1. P. (*natans.*) foliis oblongo-ovatis, petiolatis. POTAMOGETON natans *Linn.* Spec. Plant. p. 182. Syst. Veg. XIV. p. 168. Prodr. p. 32.

Crescit in fluvio Zeekorivier, et Verkeerde valley. Floret Decembri.

Classis V.

PENTANDRIA.

MONOGYNIA.

XCIX. HELIOTROPIUM.

Cor. hypocrateriformis, 5-fida, interjectis dentibus: fauce nudâ.

1. H. (*supinum.*) foliis ovatis plicatis tomentosis; caule decumbente. *Prodrom. Fl. Cap.* p. 33. HELIOTROPIUM *supinum. Willd.* Spec. Fl. T. 1. P. 2. p. 742.

Crescit locis arenosis.

Radix fusiformi-filiformis, alte descendens. *Caulis* ramis alternis, vel nullus; sed tunc rami diffusi, uti tota planta tomentosi et pilosi. *Folia* opposita, petiolata, integra, obtusa, venis profundis subplicata, incana, unguicularia. *Petioli* foliis triplo breviores. *Flores* spicati, albidi. *Spica* revoluta, sensim excrescens.

2. H. (*capense.*) foliis ovatis, plicatis, tomentosis; caule fruticoso, erecto.

Caulis frutescens, teres, tomentosus, ramosus, subpedalis. *Rami* alterni, similes, erecti, apice cernui. *Folia* opposita, petiolata, integra, obtusa, inaequalia, semipollicaria. *Petioli* brevissimi. *Spicae* conjugatae, terminales in pedunculis elongatis.

C. LITHOSPERMUM.

Cor. infundibuliformis, fauce perforatâ, nudâ. Cal. 5-partitus.

1. L. (*scabrum.*) seminibus laevibus; foliis lanceolatis, papilloso-scabris, hirsutis. *Prodr.* p. 34.

Caulis herbaceus, erectus, superne ramosus, papilloso-scaber, totus hirsutus, pedalis. *Rami* alterni versus apicem, floriferi. *Folia* alterna, sessilia, integra margine revoluto, erecta, nervo medio crasso, utrinque cartilagineo-papillosa, pollicaria, superioribus sensim minoribus. *Flores* racemosi in ramis ex axillis foliorum. *Pedicelli* brevissimi. *Corolla* alba. *Semina* glabra, alba.

2. L. (*papillosum.*) seminibus rugosis; foliis lanceolato-ovatis, papillosis, hirsutis. *Prod.* p. 34.

Crescit in Lange Kloof prope Wolfwekraal. Floret Novembri.

Caulis herbaceus, apice parum ramosus, filiformis, hirsutus uti tota planta, erectiusculus, palmaris. *Rami* bini vel terni, floriferi, cauli similes. *Folia* alterna, sessilia, inferiora ovato-oblonga, superiora lanceolata, obtusa, integra margine revoluto, crystallina, villosa, unguicularia, sensim minora. *Flores* racemosi in axillis foliorum, albi.

CI. BORAGO.

Cor. rotata: fauce radiis clausâ.

1. B. (*africana.*) foliis oppositis alternisque, ovatis, piloso-hispidis. *Prodrom.* p. 34. BORAGO *Africana. Linn.* Spec. Plant. p. 197. System. Vegetab. per *Gmelin*, p. 321. *Willd.* Spec. Pl. 1. 2. p. 777.

Crescit in Carro infra Bockland, juxta rivulos. Floret Septembri, Octobri.

Caulis herbaceus, sulcato-angulatus, glaber sed hispidus aculeis cartilagineis albis, flaccidus, erectus apicibus cernuis, pedalis et ultra. *Folia* inferiora majora, superiora breviora et minora, ovato-oblonga, vel ovato-acuminata, integra, papillis albis piliferis utrinque et margine aspera. *Petioli* brevissimi. *Flores* terminales, racemosi. *Pedunculi* et calyces hispidi.

CII. CYNOGLOSSUM.

Cor. infundibuliformis, fauce clausâ fornicibus. Semina depressa, interiore tantum latere stylo affixa.

1. C. (*hispidum.*) foliis oblongis, obtusis, setoso-hispidis; staminibus corollâ brevioribus. *Prod.* p. 34.

Crescit in Lange Kloof. Floret Novembri.

Caulis herbaceus, villoso-hispidus setis cinereis, reflexis, erectus, superne ramosus, pedalis. *Rami* alterni, floriferi, cauli similes. *Folia* subradicalia, sessilia, integra, utrinque hispida papillis albis setigeris, digitalia; caulina pauca, alterna, minora; suprema lanceolata acuta. *Flores* in ramulis seu pedunculis alterni, paniculati, minuti, rufescentes. *Pedunculi* et *pedicelli* setosi, uti et *calyx*. *Differt* a C. *officinali:* foliis angustioribus, scabris, nec mollibus tomentosis, et floribus minoribus.

2. C. (*hirsutum.*) foliis lanceolatis, villoso-hispidis; seminum aculeis uncinatis. *Prod.* p. 34.

Crescit in Roggeveld. Floret Septembri et sequentibus mensibus.

Caulis herbaceus, teres, erectus, hirsutus, superne ramosus, pedalis et ultra. *Folia* alterna, sessilia, integra, papilloso-hirsuta, erecta, digitalia, sensim breviora. *Flores* in ramulis seu pedunculis divaricatis hirsutis racemosi. *Pedicelli* unguiculares, hirsuti uti et calyx. *Semina* depressa.

3. C. (*echinatum.*) foliis lanceolatis, obtusis, papillosis, hirsutis; seminibus subconicis, uncinato-aculeatis. *Prodrom. Flor. cap. p.* 34.

Crescit in Roggeveld. Floret Septembri, Octobri.

Caules e radice plures, suffruticosi, erecti, parum ramosi, subfastigiati, filiformes, hirsuti, palmares. *Rami* pauci, dichotomi, cauli similes. *Folia* inferne sparsa, integra, villosa, papilloso scabra, unguicularia. *Flores* e medio caulium ad apicem spicati, secundi. *Semina* conica, echinata: aculeis longis, rectis, apice uncinatis. *)

4. C. (*muricatum.*) foliis ovatis, villosis, scabris; seminibus calloso muricatis. *Prod. Fl. cap.* p. 34.

Crescit in Roggeveld.

Caulis basi suffruticosus et decumbens; mox ramosus, filiformis, erectiusculus, flexuosus, setosus, spithamaeus et ultra. *Rami* et *Ramuli* alterni, capillares, flexuoso-erecti, cauli similes. *Folia* alterna, sessilia, inferiora cordato-ovata, superiora ovata, obtusiuscula, integra, villosa et punctato-scabra, unguicularia. *Flores* versus apicem racemosi.

5. C. (*papillosum.*) caule glabro, angulato; foliis linearibus, papilloso-scabris; ramis spicisque elongatis. ECHIUM *papillosum Fl. cap. ed. hafn.* p. 8.

Caulis fruticosus, subglaber, vel tenuissime pilosus, erectus, ramosus, bipedalis et ultra. *Rami* cauli similes, alterni, apice iterum ramulosi. *Folia* alterna, remota, sessilia, undique papilloso scabra, vix pubescentia, pollicaria. *Flores* in ramulis spicati, secundi. *Spicae* subfasciculatae, digitales.

CIII. ANCHUSA.

Cor. infundibuliformis, fauce clausâ fornicibus. Semina basi insculpta.

1. A. (*officinalis.*) foliis lanceolatis, calloso-villosis; spicis imbricatis secundis. *Prod.* p. 34. ANCHUSA *officinalis. Linn.* Spec. Pl. p. 191. Syst. Veget. XIV. p. 191. *Willd.* Spec Plant. 1. 2. p. 756.

Crescit in montium collibus inter Hottentots Holland et Swellendam. Floret Decembri.

Caulis herbaceus, angulatus, subsulcatus uti tota planta, albo-callosus et villoso-hispidus, erectus, pedalis et ultra. *Rami* nulli, nisi pedunculi floriferi. *Folia* alterna, sessilia, oblongo-lanceolata, acuta, integra, utrinque albido-callosa, hirsuta, sensim minora. *Flores* spicati, caerulei, secundi. *Spicae* dichotomae, revolutae, sensim florentes elongati. *Calyces* cinereo-villosi.

*) I. In schedula autographa auctoris adjacente legimus: „ECHIUM *echinatum* erit LAPPULA (ECHINOSPERMUM) *echinatum.*" Cum vero non existat ECHIUM *echinatum*, hoc de CYNOGLOSSO *echinato* valere videtur. *Editor.*

2. A. (*capensis.*) foliis lanceolatis, callosis, villosis; racemis trichotomis. *Prodr. Cap.* p. 34.

Crescit in Swartland et regionibus Saldanhabay arenosis. Floret Septembri, Octobri.

Caulis herbaceus, sulcatus, scaber, hirsutus, erectus, simplex, pedalis, usque bipedalis. *Rami* nulli, nisi pedunculi floriferi. *Folia* alterna, sessilia, angusto lanceolata, attenuata, calloso-scabra, erecta, bipollicaria, sensim minora et breviora. *Pedunculi* floriferi alterni, foliis a latere inserti, superne aggregati. *Flores* racemosi, caerulei. *Racemus* flore medio solitario, compositus. *Pedicelli* breves uti et calyces cinereo villosi. *Differt* ab A. *officinali*, cui valde similis: 1. foliis longe angustioribus. 2. florum racemo trichotomo-supradecomposito. 3. corollis minoribus.

CIV. MYOSOTIS.

Cor. hypocrateriformis, 5-fida, emarginata: fauce clausâ fornicibus.

1. M. (*scorpioides.*) seminibus laevibus; foliis oblongis, inferne attenuatis, villoso-scabris. *Prod.* p. 34. MYOSOTIS *scorpioides. Linn.* Spec. Pl. p. 188. Syst. Veget. p. 184. *Willd.* Spec. Plant. 1. 2 p. 746.

Crescit in arenosis Swartland. Floret Septembri.

Variat foliis majoribus et minoribus, magis vel minus hirsutis.

CV. ECHIUM.

Cor. irregularis, fauce nudâ.

1. E. (*angustifolium.*) foliis lineari-lanceolatis, papilloso-scabris; floribus terminalibus.

Frutex erectiusculus; glaber, bipedalis. *Rami* sparsi, cauli similes, incurvi, virgati, ramulosi ramis filiformibus. *Folia* in superioribus ramis et ramulis alterna, approximata, sessilia, integra, margine, rarius paginâ, papillis minutissimis albis, patentia, pollicaria. *Corollae* pistillo exserto breviores.

2. E. (*laevigatum.*) caule glabro; foliis lanceolatis ciliato-spinosis. *Prodrom.* p. 33. ECHIUM *laevigatum. Linn.* Spec. Pl. p. 199. Syst. Veg. XIV. p. 190. *Willd.* Spec. Pl. 785.

Crescit in koude Bockeveld. Floret Octobri, Novembri.

Caulis subsimplex, fruticescens, subtrigonus, erectus, pedalis et ultra. *Folia* sessilia, alterna, utrinque glabra, subtus pallidiora, margine costâque mediâ versus apicem ciliato-spinosa spinis albo-crystallinis, erecta, pollicaria, superioribus sensim minoribus. *Flores* versus apicem in spicis racemosis albi. *Corollae* caerulescentes, staminibus breviores.

3. E. (*glabrum.*) caule glabro; foliis lanceolatis, glabris, margine scabris. *Prodr.* p. 33.

Crescit in lateribus Taffelberg et Stenberg, orientem versus. Floret Junio, Julio.

Frutex totus glaber, erectus, pedalis et ultra. *Caulis* subrugosus, purpurascens. *Rami* alterni, similes cauli, subfastigiati. *Folia* sessilia, ovato lanceolata, margine papilloso-scabra vel tenuissime ciliata, erecta, subpollicaria. *Corollae* albae, staminibus paulo longiores.

4. E. (*trichotomum.*) caule glabro, subtrichotomo; ramis tomentosis; foliis lanceolatis, imbricatis, tomentosis. *Prodr.* p. 33.

Caulis fruticosus, rugosus, purpurascens, erectus, ramosus, pedalis et ultra. *Rami* omnes trichotomi, erecto-patuli; inferiores glabri, superiores albo-tomentosi, fastigiati. *Folia* in caule et inferioribus ramis decidua; in ramis supremis sessilia, alterna, frequentia, subimbricata, apice patula, integra, villoso-tomentosa, vix unguicularia. *Flores* in ramulis terminales, spicati. *Spicae* secundae, revolutae, breves. *Corolla* alba, longitudine staminum. *Stylus* corollâ longior, exsertus.

5. E. (*hispidum.*) caule glabro; ramis apice foliisque lanceolatis piloso-hispidis. *Prodr.* p. 33.

Caulis fruticosus, rugosus, fuscus, pedalis et ultra. *Rami* alterni, basi glabri, erecti, fastigiati. *Folia* alterna, sessilia, integra, utrâque paginâ et margine piloso-hispida pilis raris albis, patentia vel subrevoluta, unguicularia. *Flores* terminales in racemis spicatis. *Calyces* albo-villosi. *Corolla* alba, stamina includens.

6. E. (*strigosum.*) caule glabro; foliis lanceolatis papilloso-pilosis; floribus spicatis terminalibus.

Caulis fruticosus, teres, incurvato-erectus, parum ramosus, pedalis et ultra. *Folia* sparsa, sessilia, subfalcata, papillosa papillis albis pilosis, unguicularia vel paulo ultra. *Flores* pauci, caerulei. *Calyx* pilosus. *Differt* ab E. *trigono*, cui folia trigona, papillosa, margine pilosa; huic vero plana, undique papilloso-scabra, pilosa.

7. E. (*verrucosum.*) caule villoso; foliis lineari-lanceolatis, pilosis, subtus verrucoso-scabris: floribus spicatis.

Caulis fruticosus, erectus. *Folia* sparsa, sessilia, acuta; supra pilosa, laevia; subtus verrucoso-tuberculata, pilosa; erecta, pollicaria et ultra. *Flores* parvi. *Calyx* extus totus villosus.

8. E. (*incanum.*) caule villoso; foliis lineari-ensiformibus, sericeo-tomentosis; racemo spicato, lineari. *Prod.* p. 33.

Crescit in Swartlandiae arenosis. Floret Septembri, Octobri.

Caulis simplex, herbaceus, teres, tenuissime erectus, pedalis. *Folia* sessilia, alterna, integra, tenuissime cinereo-tomentosa, inferiora spithamaea, superiora sensim breviora, suprema pollicaria. *Florum* racemus coarctatus, lineari-cylindricus, incano-tomentosus, digitalis usque spithamaeus, erectus. *Calyces* albo-villosi.

9. E. (*paniculatum.*) caule pubescente; ramis angulatis; foliis lanceolatis; piloso-hispidis. *Prodr.* p. 33.

Crescit prope Verkeer de Valley. Floret Septembri, Octobri, Novembri.

Caulis frutescens, erectus, uti et rami tenuissime pubescens, bipedalis et ultra. *Rami* alterni, elongati, fastigiati, inferne teretes, superne trigoni. *Ramuli* in summitate ramorum alterni, aggregati, fastigiati, floriferi, digitales. *Folia* sessilia, alterna, undique utrâque paginâ, imprimis vero costâ et marginibus piloso-hispida, pilis albis crystallinis glandulis affixis, erecto-patentia, subpollicaria. *Flores* in ramulis racemosi, albi.

10. E. (*fruticosum.*) caule foliisque oblongis sericeis; spicis alternis pedunculatis. *Prodr.* p. 33. ECHIUM *fruticosum. Linn.* Spec. Plant. p. 199. Syst. Veg. XIV. p. 189. *Willd.* Spec. Plant. 1. 2. p. 181.

Crescit prope Hap, in Bay falso et alibi, vulgare. Floret Majo et sequentibus mensibus hiemalibus.

Caulis fruticosus, flexuoso-erectus, parum ramosus, a casu foliorum nodosus, tenuissime villosus seu sericeo-tomentosus. *Rami* alterni, divaricati, breves, cauli similes. *Folia* sessilia, alterna, inferne angusta, superne obovato-oblonga, obtusa, integra, tenuissime papillosa, et villoso-argentea, imbricata, internodiis longiora, sesquipollicaria. *Florum* spicae plures, in axillis foliorum, breves, sericeae. *Corolla* calyce sericeo paulo longior, staminibus inclusis.

11. E. (*spicatum.*) caule villoso; foliis ensiformi-ellipticis, villosis; spicâ compositâ, lineari-oblongâ. *Prod.* p. 33.

Crescit in arenosis Swartlandiae. Floret Septembri, Octobri.

Radix carnosa, purpurascens. *Caules* duo vel plures, simplices, compresso-angulati, incurvato-erecti, purpurascentes, spithamaei. *Folia* radicalia longitudine caulis florentis vel paulo breviora; caulina sessilia, alterna, lanceolato-elliplica; omnia integra, albo-villosa, patentia. *Florum* spica albo-villosa, erecta, pollicaris usque palmaris. *Calyces* argenteo-villosi. *Corolla* albida, staminibus exsertis brevior.

Obs. Pili absque glandulis.

12. E. (*caudatum.*) caule villoso; foliis oblongis, setaceo-hispidis; spicâ compositâ, ovato-oblongâ. *Prod.* p. 33.

Crescit in arenosis regionibus Saldanhabay. Floret Septembri, Octobri.

Caulis simplex, angulatus, purpurascens, curvato-erectus, pedalis. *Folia* radicalia, elliptica seu oblonga, utrinque attenuata, imprimis inferne, ut fere petiolata, longitudine caulis, pollicem lata; caulina sessilia, alterna, lanceolato-oblonga, erecta, pollicaria, suprema sensim minora; omnia integra, utrinque papillosa et piloso-hispida pilis albis prope marginem imprimis frequentibus. *Florum* spica villosa, pollicem lata, digitalis et ultra. *Spiculae* subverticillatae. *Calyces* albo-tomentosi. *Corollae* minutae staminibus exsertis.

13. E. (*capitatum.*) caule villoso; foliis lanceolatis, calloso, pilosis; spicis paniculatis. *Prodr.* p. 33. ECHIUM *capitatum. Linn.* Mantiss. p. 42. Syst. Veget. XIV. p. 189. *Willd.* Spec. Pl. 1. 2. p 785.

Crescit in arenosis Groen kloof et Swartland. Floret Septembri, Octobri.

Caulis frutescens, purpurascens, flexuoso-erectus, pedalis et ultra. *Rami* alterni, filiformes, cauli similes. *Folia* sessilia, integra, papillosa et piloso-hispida pilis albis, erecta, pollicaria. *Florum* spicae plurimae: *Pedunculi* albo-tomentosi, uti et Calyces. *Corollae* minutae staminibus exsertis.

14. E. (*scabrum.*) caule villoso; foliis lanceolatis, scabris, pilosis; floribus spicatis secundis.

Caulis fruticosus, cinereo-villosus, erectus, pedalis et ultra. *Rami* cauli similes, subfastigiati. *Folia* alterna, sessilia, acuta, undique scabra ex papillis frequentissimis pilosis; subtus costâ carinatâ; pollicaria. *Flores* coerulei. *Calyx* basi imprimis villosus.

15. E. (*argenteum.*) caule foliisque lanceolatis acutis sericeo villosis; spicâ terminali, simplici, foliosâ. *Prodr.* p. 33. ECHIUM *argenteum. Linn.* Mantiss. Plant. p. 203. Syst. Veg. XIV. p. 199. per *Gmelin* 322. *Willd.* Spec. Plant. 1. 2. p. 785

Crescit in Swartland. Floret Octobri.

Caulis fruticosus, dense villoso-subtomentosus, erectus, pedalis et ultra. *Rami* pauci, elongati, simplices, cauli similes. *Folia* sessilia, alterna, integra margine revoluto, utrinque pilosa pilis albis decumbentibus, tenuissime papillosa, erecta, subpollicaria, superiora breviora. *Flores* alterni, sessiles in axillis foliorum superiorum, formantes spicam erectam. *Corolla* coerulea staminibus inclusis.

16. E. (*trigonum.*) caule villoso; foliis oblongis, canaliculato-trigonis, piloso-hispidis. *Prodr.* p. 33.

Caulis frutescens, villoso-hispidus, spithamaeus vel ultra. *Folia* sessilia, alterna, obtusa, integra, supra canaliculata, subtus carinata, utrinque callosa callis pilisque albis, imbricata, unguicularia. *Flores* terminales, spicati. *Stamina* inclusa.

CVI. PLUMBAGO.

Cor. infundibuliformis. Stamina squamis basin corollae claudentibus inserta. Stigma 5-fidum. Sem. 1, *oblongum, tunicatum.*

1. P. (*capensis.*) foliis petiolatis, oblongis, integris, subtus glaucis, caule erecto. *Prodr.* p. 33.

Crescit prope Kabeljaus-rivier et trans Kamtous rivier. Floret Novembri, Decembri.

Caulis frutescens, flexuosus, striato-angulatus, glaber, pur-

purascens, pedalis et ultra. *Rami* alterni, pauci. *Folia* opposita, breviter petiolata, obtusa, inferne magis attenuata, supra viridia, erecta, inaequalia, pollicaria. *Flores* terminales, spicati, plurimi. *Calycis* apices ciliato-glandulosi. *Corolla* tubulosa, alba, pollicaris.

CVII. MENYANTHES.

Cor. hirsuta. Stigma bifidum. Caps. 1-locularis.

1. M. (*capensis.*) foliis ovatis, caule paniculato. *Prodr.* p. 34.

Crescit in Krum-rivier et in summo Taffelberg, prope rivos. Floret Novembri et sequentibus mensibus.

Radix fascicularis. *Caulis* laxus, erectus, glaber, pedalis et ultra. *Rami* nulli, sed pedunculi axillares, elongati. *Folia* radicalia, longe petiolata, obtusa, integra, glabra, erecta, pollicaria. *Petioli* glabri, palmares. *Flores* in pedunculis lateralibus et terminalibus paniculati, lutei, minuti.

2. M. (*indica.*) foliis cordatis undulato-crenatis, petiolis floriferis. *Prodr.* p. 34. MENYANTHES *indica. Linn.* Spec. Pl. p. 207. Syst. Veget. XIV. p. 194.

Crescit in rivulis Houtniquas, Krumrivier aliisque. Floret Novembri, Decembri mediâ aestate.

CVIII. ANAGALLIS.

Cor. rotata. Caps. circumscissa.

1. A. (*arvensis.*) foliis ovatis, caule decumbente. *Prod.* p. 34. ANGALLIS *arvensis. Linn.* Spec. Plant. p. 211.

Crescit in collibus sabulosis extra urbem Kap et alibi. Floret Julio, Augusto et sequentibus mensibus.

CIX. RETZIA.

Cor. cylindrica, extus villosa. Stigma bifidum. Caps. 2-locularis, polysperma.

1. R. (*capensis.*) *Act. Lundens.* P. 1. p. 55. tab. 1. fig. 2. Nov. Plant. Gener. P. 1. p. 4. Prodr. Flor. cap. p. 34. *Linn.* Supplem. Pl. p. 18. et 138. Syst. Veg. XIV. p. 196. *Willd.* Spec. Plant 1. 2. p. 843.

Crescit in summis montibus inter Hottentots Hollands kloof et Houthoek. Floret Decembri et Januario.

Radix perennis. *Frutex* rigidus, erectus, ramosus, quadripedalis *Rami* pauci, cauli similes, scabri, pilosi, fusci, breves. *Folia* verticillata, quaterna, sessilia, lineari-lanceolata, obtusa, integra; superne unisulcata, convexa, punctata; subtus bisulcata, convexa, glabra; imbricata, sesquipollicaria. *Flores* terminales, sessiles, aggregati, erecti. *Bracteae* lanceolatae,

basi latae, intus concavae, extus carinatae, acuminatae, hirsutae, bipollicares, interioribus minoribus et brevioribus.

CX. CONVOLVULUS.

Cor. campanulata, plicata. Stigm. 2. *Caps.* 2-*locularis: loculis dispermis.*

1. C. (*Falckia.*) foliis cordatis, excisis; caule sarmentoso. Convolvulus *Falckia.* Prod. p. 35. Falckia *repens.* Nov. Plant. Gener. P. 1. p. 17.

Crescit prope urbem Kap, in collibus extra Fortalitium, prope Swarte Valley, juxta Valsrivier et alibi. Floret Augusto et sequentibus mensibus vernalibus usque ad anni finem.

Caulis frutescens, teres, fusco-cinereus, glaber, decumbens, radicans, flexuosus. *Rami* alterni, filiformes, erecti, vix pollicares. *Folia* sparsa, petiolata, cordato-spathulata, obtusa, integra, glabra, unguicularia. *Petioli* filiformes, longitudine ramorum. *Flores* pedunculati, pedunculis vix foliis longiores. *Stamina* quinque et sex.

2. C. (*crispus.*) foliis ovatis, crispis; floribus solitariis; caule filiformi.

Caulis herbaceus, elongatus, vix ramosus, decumbens vel scandens, vix nisi tenuissime pubescens. *Folia* alterna, petiolata, acuta, margine undulato-crispa, tenuissime pubescentia, subsecunda, pollicaria. *Petioli* folio paulo breviores. *Flores* ex axillis foliorum. *Pedunculi* uniflori, longitudine folii. *Corolla* ampla, rubra. *Calyx* glaber, tubo brevior.

3. C. (*radicans.*) foliis hastatis, glabris; floribus axillaribus, solitariis; caule radicante.

Caulis herbaceus, decumbens, flexuosus. *Folia* petiolata, pollicaria et ultra. *Petiolus* folio brevior. *Flores* ex axillis foliorum pedunculati. *Pedunculus* uniflorus, petiolo longior, folio brevior. *Corolla* albida. *Differt* a C. *serpente* foliis exacte hastatis.

4. C. (*filiformis.*) foliis hastatis: lobo medio filiformi, elongato; pedunculis solitariis unifloris.

Caulis herbaceus, decumbens, flexuoso-volubilis, filiformis, parum ramosus, glaber, angulatus. *Folia* sparsa, petiolata; hastae minimae; lobus intermedius filiformi-linearis, varians. *Flores* alterni, pedunculati, solitarii. *Pedunculus* folio longior.

5. C. (*sagittatus.*) foliis hastatis sagittatisque; pedunculis unifloris; caulibus prostratis. *Prodr.* p. 35.

Crescit in Carro. Floret Novembri,

Caules saepius plures e radice, herbacei, filiformi-capillares, parum ramosi, toti tenuissime villosi, spithamaei et pedales. *Rami* alterni, simplices; cauli similes. *Folia* alterna, petiolata, infima hastata, superiora sagittata: auriculis recurvis; lanceolata, acuta, integra; infima breviora, unguicularia; superiora

pollicaria. *Petioli* capillares, unguiculares. *Flores* axillares, solitarii. *Pedunculi* longitudine foliorum, rarius longiores, filiformes, incrassati, bracteati. *Bracteae* binae, supra medium pedunculi insertae, lancolata, minutae. *Calyx* subvillosus. *Stigmata* duo. *Capsula* grabra. *Semina* quatuor, trigono-lentiformia, laevia, obscure purpurea, magnitudine Milii.

6. C. (*hastatus.*) foliis hastatis: lobis semibifidis; pedunculis subbifloris; caule decumbente, villoso. *Prodrom. Flor. capens.* p. 35.

Floret Octobri.

Caules plerumque bini e radice, filiformes, simplices, tenuissime villosi, pedales et ultra. *Folia* alterna, petiolata, lanceolata, obtusa cum acumine, integra, glabra, pollicaria: Lobi laterales bifidi. *Petioli* foliis duplo breviores, capillares. *Flores* axillares. *Pedunculi* ex axillis foliorum, teretes, sensim incrassati, raro uniflori, saepius biflori, glabri, foliis longiores, digitales. *Bracteae* sub flore binae, minutae. *Calyx* glaber.

7. C. (*cordifolius.*) foliis cordatis, hastatis, dentatis; pedunculis bifido-umbellatis; caule volubili. *Prod.* p. 35.

Crescit prope Vals-rivier. Floret Decembri.

Caulis filiformis, simplex, tenuissime cinereo-villosus. *Folia* alterna, petiolata, acuminata, dentato-serrata, supra glabriuscula, subtus villosa, pollicaria. Lobi subtridentati. *Petioli* foliis breviores, cinereo-villosi. *Flores* axillares. *Pedunculi* filiformes, fructiferi reflexi, villosi, biflori et dichotome multiflori, foliis longiores, sesquipollicares. *Pedicelli* capillares, breves. *Bracteae* sub pedicellis setaceae. *Calyces* glabri. *Stigma* bifidum, obtusum. *Semina* trigona, obscure purpurascentia.

8. C. (*trilobus.*) foliis cordatis, villosis, trilobis; lobis ovatis, acutis; pedunculis unifloris; caule volubili. *Prodr.* p. 35.

Crescit prope Zecko-rivier. Floret Novembri.

Caulis totus, uti et tota planta, hirsutus, simplex. *Folia* alterna, petiolata, supra cinereo-hirsuta, subtus albo-sublanata. Lobi laterales, basi rotundati: medius in medio dilatatus, acutus: omnes subaequales. *Petioli* foliis paulo breviores. *Flores* axillares, solitarii. *Pedunculus* simplex, filiformis, digitalis. *Bracteae* binae sub flore, minutae. *Corolla* magna, campanulata, purpurascens.

9. C. (*althaeoides.*) foliis sericeis, inferioribus cordatis, dentatis; superioribus quinquelobatis; supremis palmatis; pedunculis subbifloris; caule decumbente, volubili. *Prodr.* p. 35. Convolvulus *althaeoides. Linn.* Spec. Plant. p. 222. Syst. Veget. XIV. p. 202.

Crescit in campis gramineis trans Swellendam, juxta Swellendam, in Musselbay et alibi. Floret Octobri, Novembri.

Caulis teres, prostratus vel flexuosus. *Folia* alterna, petiolata, nervosa, varie dissecta, unguicularia et pollicaria. *Petioli* foliis breviores. *Stigmata* duo, oblonga vel filiformia. *Plures* hujus occurrunt varietates, quarum praestantiores sunt: a. foliis tomentosis: inferioribus cordatis, dentatis, indivisis; superioribus quinquelobo-palmatis; pedunculis bifloris. b. foliis palmatis: lobis septenis, dentatis; pedunculis trifloris. c. foliis villosis: inferioribus cordatis, incisis; superioribus palmato-septempartitis: laciniis dentatis; pedunculis subunifloris. d. foliis hirsutis, palmatis: lobis septenis inciso-pinnatifidis; pedunculis unifloris.

10. C. (*multifidus.*) foliis palmatis: lobis septenis, linearibus, integris; pedunculis unifloris; caule decumbente. *Prodrom.* p. 35.

Crescit trans Luris rivier. Floret Decembri.

Caulis herbaceus, filiformis, uti tota planta cinereo-tomentosus, pedalis. *Rami* pauci, alterni, cauli similes. *Folia* alterna, petiolata, unguicularia. Lobi septeni vel noveni, filiformes, laterales breviores. *Flores* axillares, solitarii *Pedunculi* filiformes, foliis duplo longiores. *Stigmata* duo, filiformia. *Affinis* C. *Althaeoidi*, sed satis diversus videtur.

CXI. IPOMOEA.

Cor. infundibuliformis. Stigma capitato-globosum. Caps. 3-locularis.

1. I. (*simplex.*) foliis lanceolatis, integris; floribus solitariis. *Prodr.* p. 36.

Crescit inter Luris rivier et Galgebosch. Floret Decembri.

Caulis herbaceus, filiformis, totus glaber, vix palmaris. *Rami* pauci, alterni, cauli similes. *Folia* alterna, elliptica, patentia, glabra, pollicaria. *Flores* terminales. *Stigma* capitatum.

CXII. CAMPANULA.

Cor. campanulata, fundo clauso valvis staminiferis. Stigma 3-fidum. Caps. infera, poris lateralibus dehiscens.

1. C. (*capillacea.*) foliis lineari-filiformibus, integris, glabris; floribus alternis; calycibus laevibus. *Prodr.* p. 38. *Memoir. de Petersb.* T. 4. p. 364. Tab. 5. 6. 7. Campanula *capillacea. Linn.* Suppl. p. 139. Syst. Veg. XIV. p. 206. Lightfootia *subulata. Willd.* Sp. Pl. 888. *Herit.* sert. ang. 4. T. 5.

Caulis brevissimus, teres, prope radicem ramosus totus glaber, erectus. *Rami* subradicales, plures, filiformes, flexuoso-erecti, glabri, simplices, pedales. *Folia* sparsa, margine revoluta, erecta, in axillis foliolis onusta, patula, unguicularia. *Flores* terminales, subracemosi, caerulei. *Pedunculi* capilla-

res, cernui, uniflori. *Calyx* glaber laciniis setaceis. *Stigma* trifidum.

2. C. (*linearis.*) foliis linearibus, integris; glabris; calycibus hispidis; caule erecto. *Prod.* p. 38. Campanula *linearis. Linn.* Suppl. p. 140. Syst. Veg. XIV. p. 207. *Willd.* Spec. Pl. 1. 2. p. 895.

Crescit in sabulosis prope Heeren logement. Floret Octobri. *Caulis* herbaceus, annuus, simplex, filiformis, flexuoso-erectus, glaber, purpurascens, palmaris. *Folia* alterna, marginata, patula, ramosa, unguicularia. *Flores* subpaniculati, albi. *Pedunculi* et *pedicelli* capillares, floriferi cernui, fructiferi erecti. *Bracteae* foliis similes. *Calyx* et *Capsulae* hispidae pilis albis.

3. C. (*sessiliflora.*) foliis linearibus, integris, glabris; ramis cernuis; floribus subsessilibus. *Prodr.* p. 38. Campanula *sessiliflora. Linn.* Suppl. p. 139. Syst. Veget. XIV. p. 210. *Willd.* Sp. 1. 2. p. 896.

Caulis herbaceus, teres, erectiusculus, pedalis. *Rami* prope radicem saepe aggregati, elongati, subsimplices, subangulato-filiformes, purpurascentes, tenuissime villosi, apice nutantes. *Folia* sparsa, sessilia, margine reflexo, patentia vel reflexa, unguicularia. *Flores* versus summitates axillares, alterni. *Stigma* trifidum.

4. C. (*bracteata.*) foliis trigonis, acutis, integris; floribus terminalibus sessilibus; bracteis ciliatis.

Caulis fruticescens, teres, cinereus, pubescens, flexuoso-erectus, ramosus, pedalis et ultra. *Rami* alterni, simplices, subsecundi, similes, digitales. *Folia* sessilia, alterna, axillaribus foliolis onusta, lineari-trigona, reflexa, glabra, lineam longa. *Flores* in apice ramorum subsolitarii, obvallati bracteis. *Bracteae* ovatae, acuminatae.

5. C. (*adpressa.*) foliis lanceolatis, dentatis, ciliatis; caule erecto; panicula decomposita. *Prodr.* p. 38. Campanula *adpressa. Willd.* Sp. 1. 2. p. 905.

Caulis teres vel ex foliis decurrentibus striato-angulatus, simplex, totus glaber, pedalis et ultra. *Folia* sparsa, sessilia, decurrentia, margine revoluta, basi ciliata ciliis albis, recurvata, unguicularia. *Flores* in superiori caule aphyllo paniculati. *Paniculae* alternae, supradecompositae. *Pedunculi* filiformes, erecti. *Pedicelli* capillares.

6. C. (*subulata.*) foliis lanceolatis, trigonis, ciliatis; floribus paniculatis; caule erecto. *Prodr.* p. 38.

Crescit in montibus prope Hexrivier. Floret Octobri, Novembri.

Caulis herbaceus, filiformis, purpurascens, glaber, ramosus, sesquipedalis. *Rami* sparsi, elongati, capillares, glabri, superne aphylli. *Folia* sessilia, subfasciculata, trigono-lanceolata, subulato-acuta, marginata, basi ciliata, apice reflexo-pa-

tentia, inaequalia, unguicularia. *Flores* terminales. *Pedunculi* et *pedicelli* capillares, glabri, divaricati. *Corollae* minutae calycibus glabris.

7. C. (*hispidula.*) foliis lanceolatis ramisque diffusis hispidis. *Prodr.* p. 38. CAMPANULA *hispidula. Linn.* Suppl. p. 142. Syst. Veg. XIV. p. 208. *Willd.* Spec. Plant. 1. 2. p. 906.

Crescit in Swartlandiae collibus sabulosis. Floret Septembri.

Caulis herbaceus, uti tota planta hispidus, brevissimus, saepe vix pollicaris, interdum palmaris. *Rami* vel nulli, vel rari e radice, et simplices, vel ramosi et ramulosi, teretes, scabri, cinereo-purpurascentes. *Folia* alterna, sessilia, integra margine reflexo, margine et costâ ciliata ciliis albis. *Flores* terminales, erecti, caerulei et albi. *Laciniae* calycis similes foliis, longitudine corollae. *Antherae* lineares, sagittatae, erectae. *Stigma* trifidum. *Capsulae* valde hispidae ciliis cartilagineis, niveis.

8. C. (*paniculata.*) foliis lanceolatis, undatis, hirtis; caule angulato, hispido; floribus racemosis. *Prodr.* p. 38. CAMPANULA *paniculata. Linn.* Suppl. p. 139. Syst. Veg. XIV. p. 210. *Willd.* Spec. Pl. 1. 2. p. 906.

Caulis basi suffruticosus, totus pilis albis hispidus, erectiusculus, pedalis. *Rami* paniculati, patentes, ramulosi ramulis sensim capillaribus, flexuosis. *Folia* alterna, sessilia, integra, marginata, villosa, unguicularia. *Flores* in ramulis ultimis vel pedunculis racemosis terminales, albi. *Calycis* laciniae linearisetaceae, hirtae. *Stigma* trifidum. *Variat* foliis subdenticulatis et glabris.

9. C. (*cinerea.*) foliis lanceolatis, integris, glabris; caule lanato; floribus terminalibus, solitariis. *Prodrom.* p. 39. CAMPANULA *cinerea. Linn.* Suppl. p. 139. Syst. Veg. XIV. p. 208. *Willd.* Spec. Plant. 1. 2. p. 906.

Crescit trans Swellendam in campis gramineis. Floret Octobri, Novembri, Decembri.

Caulis basi suffruticosus, teres, cinereo-tomentosus, pedalis. *Rami* aggregato-sparsi, similes cauli, inaequales, patulo-erecti. *Folia* subfasciculata, sessilia, margine revoluto, imbricata, unguicularia. *Flores* in apicibus ramorum subsessiles, albi solitarii. *Calyx* hirsutus. *Stigma* trifidum.

10. C. (*ciliata.*) foliis lanceolatis, ciliatis; floribus solitariis; caule glabro.

Caulis subsimplex, filiformis, erectus, apice ramosus, debilis, pedalis. *Folia* glomerata, acuta, ciliata margine revoluto, glabra, lineam longa. *Flores* in ramis terminales.

11. C. (*unidentata.*) foliis lanceolatis, denticulatis, glabris; caule simplici; floribus racemosis. *Prodr.* p. 39. CAMPANULA *unidentata. Linn.* Suppl. p. 139. Syst. Veget. XIV. p. 206. *Willd.* Spec. Plant. 1. 2. p. 897.

Caulis herbaceus, filiformis, purpurascens, glaber, erectus, apice cernuus, foliis tectus, pedalis et ultra. *Folia* sparsa, sessilia, subhastata, margine reflexa, infra medium utrinque dente unico armata, imbricata, adpressa, unguicularia. *Flores* in summitate caulis, coerulei. *Racemus* coarctatus. *Pedunculi* capillares, uniflori, usque triflori. *Bracteae* foliis similes sed minores et saepe integrae. *Stigma* trifidum. *Differt* a C. *tenella* foliis adpressis utrinque unidentatis et caule erecto.

12. C. (*fasciculata.*) foliis ovatis, denticulatis, glabris; caule frutescente; floribus glomeratis. *Prod.* p. 39. Campanula *fasciculata. Linn.* Suppl. p. 139. Syst. Veg. XIV. p. 210. *Willd.* Spec. 1. 2. p. 897.

Caulis teres, subfiliformis, cinereo-purpurascens, hirtus, erectus, subsimplex, pedalis et ultra. *Rami* apicis pauci, breves. *Folia* per totum caulem sparsa, e foliolis axillaribus minoribus glomeratis subfasciculata, sessilia, integra et utrinque unidentata, marginata, margine reflexa, undulata, recurvato-imbricata, semiunguicularia. *Flores* in ramis terminales, aggregato-subpaniculati. *Stigma* trifidum.

13. C. (*tenella.*) foliis ovatis, integris denticulatisque, glabris; caule decumbente, floribus terminalibus, solitariis. *Prodr.* p. 39. Campanula *tenella. Linn.* Suppl. p. 141. Syst. Veg. XIV. p. 207. Lightfootia *oxycoccoides. Herit.* Sert. Anglic. 4. T. 4. *Willd.* Spec. Pl. 1. 2. p. 915.

Crescit in proclivis infra montem Taffelberg, vulgaris. Floret Januario et proximis mensibus.

Caulis herbaceus, filiformis, uti tota planta glaber, subpedalis. *Rami* sparsi, capillares, patulo diffusi. *Folia* sparsa, sessilia, integra saepius, raro unidentata in utroque latere, marginata, reflexa, vix lineam longa. Interdum axillae aliis foliis onustae. *Flores* in ramulis pedunculati. *Pedunculi* a ramulis continuati, capillares. *Calyx* angulatus, glaber. *Stigmata* tria, revoluta, capitata.

14. C. (*undulata.*) foliis lanceolatis, undatis, glabris; floribus racemosis; caule calycibusque glabris. *Prodr.* p. 39. Campanula *undulata. Linn.* Suppl. p. 142. Syst. Veg. XIV. p. 207. *Willd.* Spec. 1. 2. p. 895.

Crescit in Swartland, juxta Bergrivier, alibi. Floret Septembri, Octobri.

Caulis herbaceus, inferne a foliis decurrentibus angulatus, simplex, erectus, bipedalis. *Folia* alterna, sessilia, marginata, pilis raris albis adspersa, patentia, pollicaria. *Flores* in caule terminales, subracemosi, erecti, coerulei. *Pedunculi* subpollicares et *calyces* glabri. *Variat* ramis dichotomis, elongatis.

15. C. (*capensis.*) foliis lanceolatis, dentato-undatis, hirtis; floribus solitariis, terminalibus; calycibus hispidis. Campanula *capensis. Linn.* Spec. Plant. p. 240. Syst. Veg. XIV. p. 210. *Willd.* Spec. 1. 2. p. 915. *Thunb.* Prodr. Fl. cap. p. 39. Act. Petrop.

Crescit in Swartlandiae arenosis. Floret Septembri et insequentibus mensibus.

Caulis herbaceus, basi decumbens, dein erectus, subsimplex, striatus, uti tota planta hirsutus, apice aphyllus, nutans, pedalis. *Folia* alterna, sessilia, utrinque hirsuta, patentia, pollicaria. *Flores* in caule elongato cernui. *Calyx* valde hispidus villis albis. *Valde* affines sunt C. *capensis* et *undulata*, sed tamen omnino distinctae.

16. C. (*cernua.*) foliis oblongis, undatis, hirtis; floribus terminalibus, cernuis; calycibus, glabris. *Prod.* p. 39. CAMPANULA *cernua. Willd.* Sp. 1. 2. p. 907.

Caulis herbaceus, capillaris, vix ramosus nisi pedunculis elongatis, hirtus, erectus, spithamaeus. *Folia* alterna, inferne attenuata, obtusa, undata et undato-dentata, vel subintegra, villosa, erecto-patentia, unguicularia. *Flores* solitarii, albi. *Pedunculi* alterni, plures, capillares, flexuosi, striati, glabri, palmares. *Differt* a C. *dichotoma*: *a.* caule simplici saepe vel alternatim ramoso. *β.* calycis sinubus erectis.

17. C. (*procumbens.*) foliis ovatis, crenatis, glabris; caule decumbente; floribus axillaribus, solitariis. *Prodrom. p.* 39. CAMPANULA *procumbens. Linn.* Suppl. p. 141. Syst. Veg. XIV. p. 211. *Willd.* Spec. 1. 2. p. 915.

Crescit prope Kap urbem, in fossis aquosis. Floret Majo.

Caulis herbaceus, tenellus, cum ramis diffusus, totus glaber. *Rami* capillares, digitales vel ultra. *Folia* opposita, subsessilia, ovato-subrotunda, obtusissima, obsolete crenata, reflexa, semiunguicularia. *Flores* erectiusculi. *Pedunculi* capillares, uniflori. *Stigma* trifidum.

18. C. (*stellata.*) foliis ternis, linearibus, integris; floribus axillaribus, pedunculatis.

Caulis fruticescens, teres, fuscus, totus glaber, ramosus, erectiusculus, palmaris *Rami* alterni, simplices, curvato-erecti. *Folia* sessilia, acuta, imbricata, unguicularia. *Flores* in summitate ramorum solitarii. *Pedunculus* capillaris, flexuosus, pollicaris.

CXIII. ROELLA.

Cor. infundibuliformis, fundo clauso valvulis staminiferis. Stigma bifidum. Caps. 2-locularis, cylindrica, infera.

1. R. (*tenuifolia.*) foliis linearibus, ciliatis. TRACHELIUM *tenuifolium. Linn.* Suppl. p. 143. Syst. Veg. XIV. p. 212. *Thunb.* Prodr. p. 38.

Crescit in summitate montis inter Hottentots Hollands Kloof et Hout-hoek. Floret Decembri, Januario.

Caules e radice descendente plures, breves, fusci, nodulosi, herbacei, hirti, ramosi. *Rami* similes cauli, alterni, foliis imbrica-

tis tecti, curvato-erecti, digitales. *Folia* sessilia, frequentissima, imbricata, lanceolata, cartilagineo-ciliata, unguicularia. *Flores* inter folia versus apicem caulis sparsi, coerulei et albidi. *Stigma* bifidum.

2. R. (*spicata.*) foliis lanceolatis, ciliatis; floribus terminalibus, aggregatis. *Prod* p. 38. Roella *spicata. Linn.* Suppl. p. 143. Syst. Veg. XIV. p. 211. *Willd.* Spec. 1. 2. p. 919.

Caulis fruticulosus, brevissimus, inferne ramosus et parum decumbens. *Rami* inferne sparsi, frequentes, simplices, elongati, curvate erecti, spithamaei. *Folia* e gemmis fasciculata, sessilia, integra et breviter ciliata, patentia apice reflexo, glabra, vix lineam longa. *Flores* in apicibus ramorum et ramulis supremis albi. *Stigmata* duo, revoluta.

3. R. (*ciliata.*) foliis lanceolatis, ciliatis; floribus solitariis, terminalibus. *Prod.* p 38. Roella *ciliata* et *reticulata. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 211. Spec. Pl. p. 241. eadem.

Crescit in collibus infra montes urbis Kap, et alibi vulgaris. Floret ultimis anni mensibus, usque in Majum.

Radix perennis. *Caulis* fruticosus, ramosus, humilis, vix palmaris. *Rami* subradicales, divaricato-diffusi vel incurvi, villosi, ramulosi. *Folia* sparsa, sessilia, glabra, margine ciliata, pilis cartilagineis niveis, erecta, unguicularia. Axillae onustae foliolis aggregatis, integris, ut ramos totos fere tegant. *Flores* coerulei, magni, campanulati.

Obs. Roella *ciliata* et *reticulata* videntur mihi unam tantum constituere speciem, quod etiam ex specimine *reticulatae* in Herbario Celeb. *Burmanni* patet.

4. R. (*squarrosa.*) foliis ovatis, dentatis, ciliatis; floribus terminalibus aggregatis. *Prod.* p. 68. Roella *squarrosa. Linn.* Suppl. p. 143. Syst. Veg. XIV. p. 211. *Willd.* Spec. 1. 2. p. 918.

Crescit in fossa magna frontis Taffelberg versus cacumen. Floret Januario.

Caulis herbaceus, statim a radice ramosissimus. *Rami* radicales, plurimi, simplices, curvato-erecti, spithamaei. *Folia* sparsa, ramos tegentia, sessilia, ciliis raris cartilagineis niveis, recurvato-squarrosa, vix lineam longa. *Flores* in summitatibus ramorum.

5. R. (*muscosa.*) foliis ovatis, dentatis, reflexis, glabris; floribus terminalibus, solitariis. *Prod.* p. 38. Roella *muscosa. Linn.* Suppl. p. 143. Syst. Veg. XIV. p. 211. *Willd.* Spec. 1. 2. p 918.

Crescit in fossa frontis Taffelberg. Floret a Januario ad Junium

Caulis herbaceus, tenellus, mox a radice ramosus. *Rami* filiformes et capillares, toti tecti foliis retrorsum imbricatis, diffusi, glomerati. *Folia* alterna, frequentia, utrinque attenuata,

vix lineam longa. *Flores* in ramulis, coerulei. *Stigmata* duo, recurva. *Differt* a R. *squarrosa*, cui valde similis: 1. quod multoties minor et herbacea; 2. foliis sessilibus, basi non spinoso-ciliatis.

CXIV. TRACHELIUM.

Cor. infundibuliformis. Stigma globosum. Caps. trilocularis infera.

1. T. (*diffusum.*) foliis lineari-subulatis; ramis diffusis. TRACHELIUM *diffusum*. *Thunb.* Prod. p. 38. Act. Gorengk. 1811. *Linn.* Suppl. p. 143. Syst. Veg. XIV. p. 212. *Willd.* Spec. 1. 2. p. 926.

Crescit in lateribus montium prope Hexrivier. Floret Decembri.

Caulis totus glaber, herbaceus, filiformis. *Rami* alterni, longi, divaricati, flexuosi, flavescenti-virescentes; ultimi ramuli floriferi reflexi. *Folia* sessilia, inferne sparsa, integra, supra sulcata, subtus margine reflexa, erecta, unguicularia. *Flores* in ultimis ramulis terminales, paniculati, minuti.

CXV. SAMOLUS.

Cor. hypocrateriformis. Stam. munita squamulis corollae. Caps. 1-locularis, infera.

1. S. (*Valerandi.*) foliis ovato-orbiculatis; caule decumbente. SAMOLUS *Valerandi*. *Thunb.* Prod. p. 38. Act. Gorengk. 1811. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 212. *Willd.* Spec. 1. 2. p. 927.

Crescit in fossis aquosis montis Robbeberg, in sylvis Houtniquas, Grootvaders bosch, alibique. Floret Novembri, Decembri.

Planta glabra, decumbens, ramis diffusis, simillima europaeae.

2. S. (*porosus.*) foliis radicalibus obovatis, caulinis lanceolatis; caule punctato-scabro, erecto. CAMPANULA *porosa*. *Thunb.* Prod. p. 39. *Linn.* Suppl. p. 142. Syst. Veg. XIV. p. 207. *Willd.* Spec. T. 1. P. 2. p. 815.

Crescit in locis maritimis sabulosis prope Masselbay, Houtniquasbay, Verlooren Valley, Valsrivier et alibi. Floret Octobri, Novembri.

Caulis herbaceus, striatus, ramosus, papillis eminentibus scaber, pedalis. *Rami* alterni, virgati, erecti, cauli similes. *Folia* infima obovata, inferne angustiora; superiora lanceolata, integra, glabra; infima unguicularia; reliqua, sensim minora. *Flores* a medio caulis racemosi. *Pedunculi* bracteâ instructi, filiformes, erecti, uniflori. *Perianthium* monophyllum, viride, glabrum, profunde, 5-partitum: laciniae lanceolatae, acutae, erectae, corollâ breviores. *Corolla* 1-petala, tubulosa, subcampanulata; Tubus subinflatus, superne parum angustatus, longi-

tudine calycis. Limbus 5-partitus: laciniae lanceolatae, acutae, patentes, longitudine lineae. *Nectarii* lamina 5, petaliformia, inter lacinias corollae inserta, lineari-subulata, patentia, alba, corollae laciniis paulo breviora. *Filamenta* 5, ori tubi inserta, subulata, alba, erecta, laciniis corollae breviora. *Antherae* ovatae, cornutae, flavae. *Germen* superum, ovatum, glabrum. *Stylus* filiformis, staminibus brevior. *Stigma* simplex, obtusum. *Capsula* ovata, glabra, calyce persistente obvoluta, unilocularis. *Semina* plurima, minutissima, globosa, glabra.

CXVI. POLEMONIUM.

Cor. 5-partita, fundo clauso valvis staminiferis. Stigma 3-fidum. Caps. 3-locularis, supera.

1. P. (*campanuloides.*) foliis lanceolatis, glabris. *Prod.* p. 35. *Act. Gorengh.* 1811. Polemonium *campanuloides. Linn.* Syst. Veg. XIV. 206. Suppl. p. 139. *Willd.* Spec. 1. 2. p. 887.

Caulis teres, erectus, ramosus, totus glaber, pedalis et ultra. *Rami* alterni, incurvo-erecti, simplices, caule breviores. *Folia* alterna, sessilia, lineari-lanceolata, integerrima, marginata, infimâ basi subciliata, internodiis longiora, pollicaria. *Flores* in caule et ramis terminales, coerulescentes. *Perianthium* 1-phyllum, glabrum, erectum, ad basin 5-partitum: laciniae lineari-lanceolatae, acutae, erectae, corollâ paulo breviores, persistentes. *Corolla* 1-petala, campanulata, magna, infera, 5-partita. *Germen* superum, calycis laciniis inclusum et obtectum totum, glabrum, obtusum, oblongum, subcylindricum. *Stigmata* duo, compressa, obtusa, patula. *Differt* a Campanula *persicifolia:* caule ramoso et foliis integris marginatis.

2. P. (*roelloides.*) foliis lanceolatis, ciliatis. *Prodr.* p. 35. Polemonium *roelloides. Linn.* Suppl. p. 139. Syst. Veg. XIX. p. 205. *Willd.* Spec. 1. 2. p. 887.

Caulis teres, inferne ramosus, villoso-scaber, flexuoso-erectus, pedalis et ultra. *Rami* alterni, divaricato-patuli, apice aphylli, capillares, ramulosi. *Folia* alterna, sessilia, margine revoluto marginata, scabrida, pluribus foliolis in axillis onusta, internodiis longiora, apice reflexa, lineam longa. *Flores* in ramulis sessiles et terminales, coerulei. *Perianthium* 1-phyllum, glabrum, ad basin 5-partitum: laciniae lineari-lanceolatae, acutae, erectae, corollâ paulo breviores. *Corolla* 1-petala, campanulata, infera, 5-fida. *Germen* superum, totum inclusum et tectum laciniis calycis persistentibus. *Stigmata* bina, patula, compressa.

CXVII. LOBELIA.

Cal. 5-fidus. Cor. 1-petala, irregularis. Antherae cohaerentes. Caps. infera 2-3-locularis.

foliis integris:

1. L. (*setacea.*) foliis filiformi-setaceis, glabris; pedunculis axillaribus, unifloris. *Act. Gorengk.* 18. 1. f. 11.

Caulis herbaceus, seu plures e radice filiformes, glabri, erecti, palmares. *Folia* alterna, erecta, unguicularia. *Flores* in summo caule axillares, pedunculati, solitarii, nutantes. *Pedunculi* capillares, longitudine foliorum.

2. L. (*linearis.*) foliis linearibus, glabris. *Prodr.* 39.

Crescit in fronte Bocklandsberg, prope Paardeberg. Floret Octobri et sequentibus mensibus.

Caules e radice plures, teretes, rugoso-striati, glabri, simplices, erecti, spithamaei. *Folia* alterna, sessilia, plana, patentia, pollicaria. *Flores* in axillis foliorum solitarii, pedunculati, coerulei. *Pedunculus* folio duplo brevior.

3. L. (*simplex.*) foliis linearibus, villosis. *Prodr.* p. 39. Lobelia *simplex. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 800.

Radix annua. *Caulis* herbaceus, filiformis, simplex, erectus, parum pilosus, palmaris. *Folia* alterna, sessilia, margine reflexo incrassata, unguicularia. *Flores* laterales et terminales, pedunculati, solitarii, coerulei. *Pedunculi* capillares, foliis longiores. *Calyx* lineari-lanceolatus, villosus.

4. L. (*scabra.*) foliis linearibus, marginatis, scabris.

Caulis filiformis, debilis, flexuoso-erectus, hirtus, parum ramosus. *Folia* sparsa, sessilia, acuta, margine revoluto subsecunda, scabrida, patula, unguicularia. *Flores* axillares, pedunculati, solitarii. *Pedunculi* flexuosi, villosi, folio duplo longiores. *Corolla* et *calyx* hirti.

5. L. (*pinifolia.*) foliis lanceolatis, subtrigonis, glabris. Lobelia *pinifolia. Linn.* Spec. Pl. p. 1318. Syst. Veg. XIV. p. 800. *Willd.* Spec. Plant. 1. 2. p. 937. *Thunb.* Prod. p. 39. Act Gorengk.

Crescit in montium lateribus prope Kap urbem, et alibi. Floret Majo et sequentibus mensibus.

Caulis frutescens, teres, fuscus, a casu foliorum nodulosus, flexuoso-erectus, glaber, superne ramosus, spithamaeus usque pedalis. *Rami* in superiori caulis parte dichotomi vel subverticillati, breves, subfastigiati, foliis tecti. *Folia* sessilia, sparsa, in ramis et ramulis conferta, acuta, supra concava, subtus carinata, imbricata, pollicaria, superioribus sensim minoribus. *Flores* in apicibus ramorum terminales, bini vel plures, pedunculati. *Pedunculi* breves, pilosi villo albo, uti et calyx et corolla extus.

6. L. (*depressa.*) foliis oblongis, glabris; caule decumbente. Lobelia *depressa. Thunb.* Prod. p. 39. Act. Gorengk, *Linn.* Suppl. p. 395. Syst. Veg. XIV. p. 802. *Willd.* Spec. Plant. 1. 2. p. 940.

Crescit locis arenosis extra urbem Kap, et in collibus infra Taffelberg.

Radix annua, fibrosa. *Caulis* filiformis, glaber, albus, terrae adpressus. *Rami* sparsi, frequentes, capillares, diffusi, glabri, flexuosi. *Folia* alterna, breviter petiolata, ovato-oblonga, obtusa, lineam longa. *Flores* ex axillis foliorum solitarii, pedunculati, minuti. *Pedunculi* capillares, uniflori, folio duplo longiores. *Corolla* albida.

7. L. (*hirsuta.*) foliis ovatis, hirsutis; caule erecto, fruticoso. Lobelia *hirsuta.* Prodr. p. 39. Act. Gorengk. *Linn.* Suppl. p. 395. Syst. Veg. XIV. p. 802. *Willd.* Spec. Plant. T. 1. P. 2. p. 951.

Caulis fuscus, *hirtus*, spithamaeus. *Rami* sparsi, filiformes, patentes, hirsuti. *Folia* alterna, sessilia, obtusa; supra sulco exarata, glabra; subtus carinata, pilis raris albis; margine revoluto patentia, vix unguicularia. *Flores* terminales, sessiles, coerulei. *Pedunculi* e ramis continuati, elongati, filiformes, rarissime pilosi; apice flexuosi, cernui; uniflori vel biflori. *Calyx* et *Corolla* extus hirsuta.

Obs. Caulis, interdum Rami, sunt elongati, flexuoso-diffusi. Folia integra sunt, licet a ciliis e margine replicato denticulata appareant.

** *foliis dentatis; caule decumbente:*

8. L. (*volubilis.*) foliis linearibus, integris dentatisque; caule volubili. *Prod.* p. 39. Act. Gorengk. Lobelia *volubilis.* *Linn.* Suppl. p. 396. Syst. Veg. XIV. p. 801. Cyphia *volubilis.* *Willd.* Spec. 2. 2. p. 952.

Herba tota glabra. *Radix* annua, fibrosa. *Caulis* herbaceus, filiformis, vix ramosus. *Folia* alterna, sessilia, remota, margine revoluto incrassata, axillis minoribus foliolis onusta, patentia, pollicaria. *Flores* ex axillis foliorum, pedunculati, solitarii. *Pedunculi* capillares, flexuosi, uniflori. *Corolla* ringens, subpentapetala. *Stamina* 5, filamentis coalitis, antheris liberis.

9. L. (*tenella.*) foliis linearibus, dentatis; caule flexuoso-erecto; pedunculis longioribus. *Prodr.* p. 40. Lobelia *tenella.* *Linn.* Mantiss. p. 120. Syst. Veg. XIV. p. 802.

Crescit in collibus prope Musselbay copiose. Floret Octobri, Novembri.

Caules herbacei, basi decumbentes, angulati, teneri, glabri, rarius ramosi, palmares usque pedales. *Rami* similes cauli, elongati. *Folia* alterna, sessilia, lateribus decurrentia, elliptico-lanceolata, acuta, margine reflexo incrassata, utrinque dente unico acuto armata, rarius duobus serrata, glabra, patentia, unguicularia. *Flores* pedunculati, solitarii, coerulei. *Pedunculi* ex axillis foliorum superiorum uniflori, erecti, digitales. *Calyx* et Corolla extus tenuissime villosa. *Variat* in eodem caule foliis integris, unidentatis et bidentatis.

10. L. (*Erinus.*) foliis lanceolatis, glabris; pedunculis folio longioribus. *Prodr.* p. 40. Act. Gorengk. Lobelia

Erinus. Linn. Spec. Pl. p. 321. Syst. Veg. XIV. p. 802. *Willd.* Spec. 1. 2. p. 948.

Caulis simplex, herbaceus, filiformis, flexuoso-erectus, elongatus, glaber. *Folia* sessilia, basi integra, apicem versus serrata, patentia, unguicularia et pollicaria. *Flores* axillares, pedunculati, solitarii. *Pedunculi* filiformes, apice inerassati, glabri, florentes erecti, fructiferi geniculato-horizontales, folio duplo longiores. *Variat:* caulibus pluribus radicalibus foliisque villosis.

11. L. (*erinoides.*) foliis lanceolatis, glabris; pedunculis folio brevioribus. *Prodr.* p. 40. Act. Gorengk. LOBELIA *Erinoides. Willd.* Sp. 1. 2. p. 949.

Crescit in collibus extra urbem Kap, et alibi.

Caulis herbaceus, filiformis, glaber, flexuosus, erectus. *Rami* cauli similes, alterni, pauci. *Folia* inferne attenuato-subpetiolata, serrata, patentia, pollicaria. *Flores* axillares, solitarii, coerulei. *Pedunculi* ex axillis foliorum, uniflori, folio duplo breviores.

12. L. (*lutea.*) foliis lanceolatis, serratis; floribus subsessilibus. *Prodr.* p. 40. Act. Gorengk. LOBELIA *lutea. Linn.* Spec Pl. p. 1322. Syst. Veg. XIV. p. 802. *Willd.* Spec. 1. 2. p. 950.

Crescit in collibus arenosis prope Kap vulgatissima et alibi. Floret Majo, Junio.

Caules herbacei, saepius plures e radice, decumbentes, apice flexuoso erecti, filiformes, glabri vel tenuissime villosi, digitales usque pedales. *Rami* pauci, cauli similes. *Folia* alterna, sessilia, acuta, serraturis circiter quinque utrinque, glabra; saepe secunda, patentia, unguicularia. *Flores* in apicibus caulium et ramorum subspicati, lutei. *Antherae* leviter cohaerentes, apice albo-hirsutae.

13. L. (*crenata.*) foliis lanceolatis, crenatis; caule volubili. *Prodr.* p. 39. *Act. Gorengk.*

Caulis herbaceus, filiformis, decumbens uti tota planta glaber, parum ramosus. *Folia* alterna, breviter petiolata, crenato serrata, patentia, axillis interdum foliolis duobus onustis, inaequalia pollicaria et ultra; inferiora acuta, superiora minora et obtusa. *Flores* alterni, axillares ex axillis foliorum superiorum, solitarii, pedunculati. *Pedunculi* uniflori, capillares, vix longitudine foliorum.

14. L. (*anceps.*) foliis obovatis lanceolatisque; caule ancipiti. *Prodr.* p. 40. *Act. Gorengk.* LOBELIA *anceps. Willd.* Sp. 1. 2. p. 949.

Caulis herbaceus, alato-anceps, simplex, glaber, flexuosus, decumbens, spithamaeus. *Folia* inferiora petiolata, obtusa, crenata, supra glabra, subtus pubescentia, unguicularia, vel paulo ultra; superiora sessilia, decurrentia, lanceolata, obtusa, serrata, glabra, erecta, unguicularia, supremis sensim mino-

ribus. *Flores* ex axillis foliorum superioribus, solitarii, coerulei. *Pedunculi* capillares uniflori, folio paulo longiores.

15. L. (*repens.*) foliis obovatis, dentatis cauleque villosis. *Prodr.* p. 40. *Act. Gorengk.*

Crescit locis arenosis extra urbem. Floret Januario et Februario.

Caulis simplex vel plures radicales, herbacei, filiformes, rugosi, tenuissime pubescentes, flexuosi, decumbentes, palmares et ultra. *Folia* subpetiolata, obtusa, obsolete dentata, subtus imprimis tenuissime hirsuta, superiora magis inferne attenuata, patentia, unguicularia. *Flores* versus apicem ramorum axillares, pedunculati, coerulei. *Pedunculi* solitarii, uniflori, folio breviores.

16. L. (*patula.*) foliis ovatis, sinuato-dentatis, villosis; caulibus prostratis. *Prodr.* p. 40. *Act. Gorengk.* LOBELIA *patula. Linn.* Suppl. p. 395. Syst. Veg. XIV. p. 801. *Willd.* Spec. t. 2. p. 944.

Crescit in Lange kloof et aliorum montium vallibus. Floret Novembri et sequentibus mensibus.

Caules e radice saepe plurimi vel mox ramosi, filiformes, apice capillares, elongati, simplices vel remote dichotomi, patentissimi et diffusi, rugosi, glabri, pedales et ultra. *Folia* pauca in inferiori parte caulium, alterna vel ex axillis bina aut tria, petiolata, ovata vel oblonga; acuta, patentia, unguicularia usque pollicaria; folia superiora lanceolata. *Petiolus* semipollicaris. *Flores* alterni, remoti, pedunculati, cernui. *Pedunculi* solitarii, capillares, foliolo longiores.

17. L. (*thermalis.*) foliis ovatis, serratis; caulibus decumbentibus, piloso-hispidis. *Prodr.* p. 40. *Act. Gor.*

Crescit in regionibus thermarum prope rivum Elephantis (olyfants rivier) orientalis, in ipso saepe rivulo aquae calidae. Floret Januario, Februario.

Caules plures e radice vel mox ramosus, herbaceus, ramis alternis diffusis; valde hirsutus pilis densis, albis, strigosis; apice erectus. *Folia* sessilia, alterna, utrinque attenuata, acuta, argute serrata, supra glabra, subtus piloso-hispida, erecto-patentia, unguicularia. *Flores* axillares, solitarii, lutei. *Pedunculi* folio breviores et calyx hirsuto-strigosus pilis albis.

18. L. (*pubescens.*) foliis ovatis, denticulatis; caule angulato, decumbente. *Act. Gorengk.*

Caulis flexuosus, uti tota planta villosus, brevis, ramosus. *Rami* alterni, flexuosi, apice erecti. *Folia* inferiora ovata, petiolata, alterna, villosa, unguicularia; superiora elliptica. *Flores* in apicibus ramorum racemosi, albi. *Pedunculi* solitarii uniflori.

19. L. (*pygmaea.*) foliis rotundatis, serratis, caulibusque decumbentibus, hirsutis. *Prodr.* p. 40. *Act. Gor.*

Crescit in rimis horizontalibus montis Ribeck Hastel. Floret Octobri, Novembri.

Caulis herbaceus, tenerrimus, ramosus, tenuissime villosus. *Rami* capillares, diffusi, cauli similes. *Folia* alterna, petiolata, orbiculata, serraturis argutis, utrinque tenuissime villosa, lineam longa. *Petioli* capillares, hirti, folio paulo longiores. *Flores* axillares, pedunculati. *Pedunculi* ex axillis foliorum, solitarii, uniflori, capillares, hirti, foliis duplo longiores. *Corolla* alba.

20. L. (*minuta.*) foliis rotundatis, lobatis: lobis obtusis; pedunculis unifloris. *Prodr.* p. 40. *Act. Gor.* LOBELIA *minuta. Linn.* Mantiss. p. 292. Syst. Veg. XIV. p. 801. *Willd.* Spec. 1. 2. p. 947.

Crescit in rimis rupium summorum et in ipsa planitie frontis Taffelberg. Floret Februario, Martio, Aprili.

Caulis herbaceus, capillaris, tenerrimus, glaber, erectus, vix pollicaris. *Folia* alterna, petiolata, triloba glabra, lineam longa. *Petioli* folio longiores. *Flores* axillares, pedunculati, albi. *Pedunculi* capillares, foliis longiores. *Corolla* nivea.

**** *Foliis dentatis; caule erecto.*

21. L. (*cinerea.*) foliis linearibus, dentato-spinosis, tomentosis; floribus sessilibus. *Prod.* p. 40. *Act. Gor.*

Crescit in Roggeveld. Floret Novembri et sequentibus mensibus.

Radix annua, subfusiformis, longe descendens, simplex, laevis. *Caules* plures e radice, erecto-patentes, teretes, laeves, glabri, albi, inaequales, subsimplices, vix palmares. *Folia* alterna, sessilia, acuta, margine incrassata, patentia apice reflexo, inferiora glabra, superiora cinereo-tomentosa, unguicularia. *Flores* subracemoso-terminales, albi. *Calyx* cinereo-tomentosus.

22. L. (*tomentosa.*) foliis linearibus, dentatis, tomentosis; pedunculis longissimis. *Prodr.* p. 40. *Act. Gor.* LOBELIA *tomentosa. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 800. *Willd.* Spec. 1. 2. p. 943.

Crescit in montibus Lange kloof. Floret Novembri.

Caulis frutescens, teres, fuscus, pubescens, ramosus. *Rami* alterni, subfastigiati. *Folia* sessilia, dentato-pinnatifida, obtusa patenti-imbricata, unguicularia. *Flores* terminales, rarius bini, saepius solitarii. *Pedunculi* e ramis elongati, filiformes, erecti, glabri, palmares usque spithamaei. *Corolla* coerulea, extus uti et calyx hirsuta.

23. L. (*debilis.*) foliis linearibus, denticulatis, glabris. LOBELIA *debilis.* Prod. p. 40. Act. Gorengk. *Linn.* Suppl. p. 395. Syst. Veg. XIV. p. 801. *Willd.* Spec. 1. 2. p. 946.

Radix annua, bifida vel trifida, alte descendens. *Caules* e radice plures, herbacei, filiformes, flexuoso-erecti, glabri, subsimplices, palmares. *Folia* alterna, sessilia, remote denticu-

lata, margine reflexo incrassata, patentia, unguicularia. *Flores* terminales, solitarii, coerulei. *Pedunculi* e caulibus continuati, aphylli, flexuoso-erecti. *Calyx* et *Corolla* extus tenuissime villosa.

24. L. (*secunda.*) foliis obovatis, lanceolatisque, dentatis, glabris; racemo secundo. *Prodr.* p. 40. *Act. Gor.* Lobelia *secunda. Linn.* Suppl. p. 395. Syst. Veg. XIV. p. 801. *Willd* Spec. 1. 2. p. 943.

Crescit locis arenosis, vere inundatis extra Hap. Floret Januario. Februario.

Radix fasciculato-fibrosa, annua. *Caules e radice* plures, herbacei, filiformes, tenuissime striati et pubescentes, erecto-incurvi, simplices, palmares usque spithamaei. *Folia* inferiora obovata, attenuato petiolata, obsolete denticulata, obtusa, patula, unguicularia; superiora sessilia, inferne magis attenuata, lanceolata, saepius integra, rarius dentata, erecta, vix unguicularia, sensim minora. *Flores* racemosi ex axillis foliorum. *Pedunculi* solitarii, uniflori, folio breviores. *Corolla* alba et *calyx* extus pubescentes.

25. L. (*fervens.*) foliis ovato-oblongis, serratis, glabris; pedunculis unifloris.

Radix fibrosa, *annua. Caulis* herbaceus, erectiusculus, subramosus, glaber, spithamaeus. *Folia* alterna, sessilia, inferiora ovato-oblonga, tenuissime serrata, unguicularia usque pollicaria; superiora lanceolata, serrata. *Flores* ex axillis foliorum superiorum solitarii, pedunculati, coerulei. *Pedunculi* folio duplo breviores.

26. L. (*bifida.*) foliis ovatis, dentatis, glabris; caule bifido. Lobelia *bifida. Prod.* p. 40. *Act. Gorengk.*

Crescit in monte Bockland, prope marginem montis. Floret Novembri.

Radix annua, tenuissima. *Caulis* herbaceus, filiformi-capillaris, pubescens, erectus, simplex, apice bifidus, rarius bis bifidus, pollicaris usque digitalis. *Folia* radicalia subpetiolata, obovata, denticulata, vix conspicue pubescentia, lineam longa; caulinum solitarium, vel bina alterna, erecta, minuta. *Flores* terminales, solitarii, coerulei. *Bractea* lanceolata in dichotomia caulis.

27. L. (*bellidifolia.*) foliis ovatis, dentatis, hirsutis; caule simplici. *Prodr.* p. 40. *Act. Gorengk.* Lobelia *bellidifolia. Linn.* Suppl. 396. Syst. Veg. XIV. p. 800. *Willd.* Spec. 1. 2. p. 941.

Radix tenuis, annua. *Caulis* herbaceus, filiformis, erectus, pilis albis hirtus, palmaris. *Folia* inferiora petiolata, pilis albis, patula, unguicularia; superiora magis lanceolata, sessilia, acutiora, minora. *Flores* in summo caule laterales et terminales, solitarii. *Pedunculi* capillares, flexuosi, folio longiores. *Corolla* coerulea.

28. L. (*phyteuma.*) foliis oblongis, crenatis; caule erecto. Lobelia *Phyteuma.* Prodr. p. 39. Act. Gorengk. *Linn.* Spec. Plant. p. 1319. Syst. Veg. XIV. p. 800.

Radix annua. *Caulis* scapiformis, teres, striatus, glaber, simplex, flexuoso-erectus, palmaris usque pedalis. *Folia* radicalia, breviter petiolata, seu inferne attenuata, obtusa, villosa, patentia, pollicaria et ultra. *Flores* subspicati, plurimi, alterni. *Bracteae* sub singulo flore ovatae, acutae, dentatae, reflexae, supremae ciliatae. *Filamenta* connata antheris liberis, hirsutis.

**** *foliis laciniatis pinnatifidis:*

29. L. (*triquetra.*) foliis lanceolatis, dentato-pinnatifidis; caule glabro. *Prodr.* p. 40. Act. Gorengk. Lobelia *triquetra. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 800. *Willd.* Sp. 1. 2. p. 941. Lobelia *comosa. Linn.* Spec. Pl. p. 1323.

Crescit in collibus infra latus orientale Taffelberg. Floret Junio, Julio.

Caules herbacei, basi saepe decumbentes, erecti, simplices vel apice ramosi, pedales et ultra. *Rami* alterni, pauci, subaphylli. *Folia* alterna, sessilia, dentata, saepius dentato-pinnatifida, glabra, pollicaria. *Flores* in supremo caule et ramis alterni, pedunculati, saepe subfastigiati, coerulei. *Pedunculi* inferiores longiores, superiores sensim breviores.

30. L. (*coronopifolia.*) foliis oblongis, dentato-pinnatifidis; caule hirto. *Prod.* p. 40. *Act. Gorengk.* Lobelia *coronopifolia. Linn.* Spec. Pl. p. 1312. Syst. Veg. XIV. p. 802 *Willd.* Spec. 1. 2. p. 952.

Crescit in collibus infra Taffelberg ubique vulgatissima. Floret Martio et sequentibus mensibus.

Caulis suffruticosus, erectiusculus, brevis, hispidus, pollicaris usque palmaris. *Folia* frequentia, subpetiolata, serrato-pinnatifida, hispida pilis albis, erecto-patentia, pollicaria. *Pedunculi* ex apice caulis elongati, aphylli, glabri, erecti, uniflori, raro biflori. *Flores* coerulei.

31. L. (*bulbosa.*) foliis pinnatis: pinnis linearibus. *Prod.* p. 39. *Act. Gorengk.* Lobelia *bulbosa. Linn.* Spec. Pl. p. 1319. Syst. Veg. XIV. p. 800. Cyphia *bulbosa. Berg.* Pl. cap. p. 172.

Crescit in collibus infra Taffelberg, et quidem imprimis ad latus occidentale, in Leuweberg, et inter urbem Kap atque seriem montium proximam longam. Floret Julio, Augusto.

Radix fibrosa, annua, descendens, bulbo terminata. *Caulis* saepe simplex, raro ramosus; ramis parvis ex inferiori caule, saepe versus apicem aggregatis; erectus, palmaris usque spithamaeus. *Folia* pinnatifida, glabra. Pinnae inaequales, lanceolatae; suprema folia saepe simplicia. *Filamenta* coalita antheris liberis. *Corollae* petala cohaerentia, facile tamen separanda.

32. L. (*cardamines.*) foliis pinnatis: pinnis ovatis, dentatis. LOBELIA *cardamines.* Prodr. p. 39. Act. Gorengk.

Crescit in campis sabulosis extra urbem Kap.

Caulis scapiformis, simplex, striatus, villosus, erectus, palmaris et ultra. *Folia* radicalia, petiolata, pinnatifida, digitalia. Pinnae utrinque attenuatae, dente uno alterove notatae; ultima triloba; villosae. *Flores* racemosi pedunculis brevissimis. *Filamenta* connata. *Antherae* liberae, hirsutae.

33. L. (*incisa.*) foliis inciso-subpinnatifidis; caule aphyllo. LOBELIA *incisa. Prod.* p. 39. Act. Gorengk.

Crescit extra urbem, in collibus.

Radix annua, descendens. *Caulis* scapiformis, simplex, sulcatus, villosus, erectus, spithamaeus et ultra. *Folia* radicalia, petiolata, villosa, pollicaria petiolis pollicaribus. *Flores* racemosi pedunculis brevissimis. *Corolla* bilabiata, albo-incarnata. Petala tria superiora cohaerentia, facile separanda, apice recurvo patentia: duo inferiora pendulo-reflexa; omnia lanceolata. *Filamenta* ad medium connata, villosa, brevissima. *Antherae* ovatae, extus villosae, non connatae. *Stylus* filiformis, longitudine filamentorum. *Stigma* laterale, capitatum, obtusum, pateriforme.

34. L. (*digitata.*) foliis digitatis; caule volubili. *Act. Gor.* LOBELIA *cyphia.* Prodr. p. 39. *Linn.* Syst. Veg. per *Gmel.* p. 357.

Hottentotis: Barup. Crescit in campis arenosis inter Kap et Drakenstein, in collibus infra Duyvelsberg, alibique. Floret Junio; Julio, Augusto.

Radix bulbosa, carnosa. *Caulis* filiformis, glaber, simplex, striatus. *Folia* alterna, sessilia, digitato-pinnata. Pinnae lineares, supra sulco; subtus costâ longitudinali, marginibusque reflexis; patentes, glabrae, tertiam lineae partem latae, pollicares. *Flores* in summo caule, alterni, pedunculati. *Pedunculi* filiformes, patentes, striati, glabri, purpurascentes, uniflori, semiunguiculares. *Bractea* sub pedunculo foliacea, ovata, foliis similis, longitudine pedunculi. *Perianthium* 1-phyllum, 5-partitum. Laciniae ovatae, convexae, acutae, erectae, glabrae, persistentes, lineam dimidiam longae. *Corolla* 1-petala, ringens. Labium inferius fere ad basin superioris divisum, leviter cohaerens basi, limbo tripartitum: laciniae lanceolatae, acutae, concavae, patentes, a medio ad basin cohaerentes, divisibiles. Labium superius a basi ad medium divisibile, cohaerens limbo bipartito: laciniae reflexae, reliquis similes, unguiculares. *Corolla* albido-coerulea, vere 5-petala est, sed petala, tria inferiora et duo superiora invicem cohaerent, facile separanda usque ad basin. *Filamenta* basi connata in unum corpus, apice subulata, alba, longitudine dentium calycis. *Antherae* separatae, oblongae, olivaceae, dorso albo-pilosae, erectae. *Germen* superum, glabrum. *Stylus* filiformis, brevis, longitudine filamentorum, erectus, virescens. *Stigma* simplex, obtusum, obliquum, barbatum. *Capsula* subrotunda, angulata, glabra, bivalvis, bilo-

cularis. CYPHIAE Genus, a Celeb. *Bergio* constitutum, cum LOBELIIS idem est, licet stamina fuerint monadelpha. *Usus:* Radix ab Hottentottis saepe comeditur.

CXVIII. SCAEVOLA.

Cor. 1-*petala*: *tubo longitudinaliter fisso. Limbo* 5-*fido, laterali. Drupa infera* 1-*sperma. Nux* 2-*locularis.*

1. S. (*Lobelia.*) foliis obovatis, glabris, integris. *Willd.* Sp. I. 2. p. 955.

Crescit in Musselbay ad littus maris. Floret Octobri, Novembri.

CXIX. VIOLA.

Cal. 5-*phyllus. Cor.* 5-*petala, irregularis, postice cornuta. Antherae cohaerentes. Caps. supera,* 3-*valvis,* 1-*locularis.*

1. V. (*decumbens.*) caule decumbente, ramoso; foliis linearibus, integris. *Prod.* p. 41. VIOLA *decumbens. Linn.* Suppl. p. 397. Syst. Veg. XIV. p. 803. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1168.

Crescit in summis montibus Hottentots Holland. Floret Majo, Junio.

Radix perennis, repens, filiformis. *Caules* e radice saepe plures, basi decumbentes, simplices, raro ramosi, apice recti, filiformes, fusco-brunei, tenuissime pubescentes, palmares. *Folia* alterna, sessilia, approximata, imbricato-patentia, linearilanceolata, glabra, subtus convexa, pollicaria. *Flores* terminales, pedunculati. *Pedunculi* ex apice caulium, solitarii vel plures, flexuoso-erecti, glabri, digitales. *Corolla* coerulea, intus lutea. *Nectarium* cornutum, longitudine calycis.

2. V. (*capensis.*) suffruticosa, caule erecto; foliis obovatis, serratis. VIOLA *capensis.* Prod. p. 40. *Linn.* Syst. Veg. XIV.

Crescit in sylva Galgebosch. Floret Decembri.

Radix perennis. *Caules* e radice plures, basi suffrutescentes, simplices, filiformes, curvato-erecti, tenuissimé pubescentes, digitales usque palmares. *Folia* brevissime petiolata, obtusiuscula, obsolete serrata, margine revoluta, utrinque tenuissime pubescentia, patentia, unguicularia. *Flores* ex axillis foliorum, pedunculati, solitarii. *Pedunculi* filiformes, flexuoso-erecti, uniflori. *Perianthium* 5-phyllum: laciniae inferiores naviculares, conniventes; dorsalis carinata, solitaria; laterales planae, parum latiores, omnes ovatae, acutae, tenuissimae, pubescentes, vix lineam longae. *Corolla* 5-petala, irregularis, albida. Petala duo superiora oblonga, venosa, calyce vix longiora; duo lateralia falcata; infimum majus et difforme: unguis linearis, geniculatus, canaliculatus, lineam longus, seu calyce longior: lamina subcordata, rotundata, patens, fere unguicu-

laris. *Filamenta* 5, alba, antheris liberis, flavis. Cornu nullum.

3. V. (*tricolor.*) caule decumbente, stipulis pinnatifidis. Prodr. p. 40.

CXX. IMPATIENS.

Cal. 2-*phyllus.* *Cor.* 5-*petala*, *irregularis*, *nectario cucullato.* *Caps.* *supera*, 5-*valvis.*

1. I. (*capensis.*) pedunculis solitariis, unifloris; foliis ovatis: crenis piliferis. *Prodr.* p. 41.

Crescit in sylvulis. *Floret Novembri.*

Caulis herbaceus, tener, pellucidus, glaber, debilis, erectus, simplex, spithamaeus usque pedalis. *Folia* alterna, petiolata, utrinque attenuata, acuminata acumine obtuso, crenata, rarissime villosa, diaphana, unguicularia usque sesquipollicaria. *Flores* laterales, pedunculati. *Pedunculi* ex axillis foliorum superiorum capillares, laxissimi, pollicares et ultra. *Nectarium* flore longius, unguiculare.

2. I. (*bifida.*) pedunculis solitariis, unifloris; foliis oblongis, serratis; nectariis longissimis, bifidis. *Prodr.* p. 41.

Caulis herbaceus, tener, glaber, simplex, erectus, palmaris. *Folia* alterna, petiolata, utrinque attenuata, digitalia. *Flores* axillares, pedunculati. *Pedunculi* capillares, laxissimi, digitales. *Nectarium* cornutum, flore multoties longius, pollicare, curvatum.

CXXI. LONICERA.

Cor. monopetala, *irregularis.* *Bacca polysperma*, 2-*locularis*, *infera.*

1. L. (*bubalina.*) capitulis terminalibus, pedunculatis; foliis oblongis, integris, glabris. *Prod.* p. 41. Lonicera *bubalina.* *Linn.* Suppl. p. 146. Syst. Veg. XIV. p. 216.

Africanis: Buffelshoren. *Crescit in sylvis Houtniquas, trans Krumrivier et aliis.* *Floret Octobri*, *Novembri.*

Caulis fruticosus, cinereo-fuscus, erectus, ramosus, tripedalis vel ultra. *Rami* oppositi, teretes, cauli similes, flexuoso-erecti. *Folia* opposita, petiolata, ovato-oblonga, supra glabra, subtus tenuissime villosa, erecta, policaria usque palmaria. *Petioli* vix semiunguiculares. *Flores* in ramulis terminales, vel in alis foliorum pedunculati, capitati, quatuor et ultra, involucrati. *Involucri* foliola ovata, acuta, brevissima. *Perianthium* 1-phyllum tubulosum, tubo brevius, persistens, 5-partitum: laciniae lanceolatae, acutae, erectae, semiunguiculares. *Corolla* 1-petala, subinfundibuliformis, tubulosa. — Tubus cylindricus, medio parum ventricosus, pollicaris, piloso-scaber pilis minutissimis adpressis albis. Limbus aequalis. 5-partitus: laciniae lanceolatae, acutae, curvato-patentes, lineam

longae. *Color* corollae coccineus. *Filamenta* medio tubo Corollae inserta, brevissima, subnulla. *Antherae* quinque, lineares, medio suo affixae, subsessiles, erectae, semiunguiculares. *Germen* inferum, sertiforme, glabrum. *Stylus* filiformis, corollâ vix longior. *Stigma* clavato-oblongum, simplex, obtusum. *Capsula* turbinata, retusa, pilosa, bilocularis, calyce coronata. *Semina* in singulo loculamento solitaria, nigra, glabra.

CXXII. DATURA.

Cor. infundibuliformis, plicata. Cal. tubulosus, angulatus, plicatus. Caps. 4-valvis.

1. D. (*stramonium.*) pericarpiis spinosis, erectis, glabris; foliis ovatis, glabris. *Prodr.* p. 35. DATURA *stramonium. Linn.* Spec. Pl. p. 255. Syst. Veg. XIV. p. 220.

Crescit juxta Kap, extra et in Hortis Europaeorum, forsan ex Europa advena. Floret Julio.

CXXIII. SOLANUM.

Cor. rotata. Antherae subcoalitae, apice poro gemino dehiscentes. Bacca 2-locularis.

1. S. (*nigrum.*) caule inermi, herbaceo; foliis ovatis, integris dentatisque; racemis distichis, nutantibus. Prod. p. 36. SOLANUM *nigrum. Linn.* Spec. Pl. p. 266. Syst. Veg. XIV. p. 224. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1035.

Incolis Europaeis: Nacht-schade. Crescit in cultis intra Hortos, in Leuweberg sponte, inque Paardeberg et alibi intra Coloniae limites. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Caulis subangulatus, flexuoso-erectus, totus tenuissime villosus, pedalis. *Rami* alterni, flexuosi, cauli similes. *Folia* alterna, petiolata, sinuato-dentata, unguicularia usque pollicaria. *Petioli* foliis breviores. *Flores* sparsi, in ramis inter foliorum interstitia racemosi, albidi. *Racemus* cernuus, biflorus, quadriflorus. *Usus*: Succus pro unguentis ad sananda ulcera exprimitur a Colonis.

2. S. (*lycopersicum.*) caule inermi. herbaceo: foliis pinnatis: pinnis incisis, villosis; racemis aphyllis. SOLANUM *lycopersicum. Prod.* p. 36. Act. Gorengk. *Linn.* Spec. Pl. p. 265. Syst. Veg. XIV. p. 224. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1033.

Herba tota tenuissime pubescens, non tomentosa, crescit in confiniis urbis, forsan ex Europa allata.

3. S. (*quadrangulare.*) caule inermi, frutescente, tetragono; foliis ovatis, integris angulatisque; floribus paniculatis. *Prodr.* p. 36. *Act. Gor.* SOLANUM *quadrangulare. Linn.* Suppl. p. 147. Syst. Veg. XIV. p. 224. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1032.

Crescit in Hottentots Holland prope littus maris, juxta Zeeko-

valley, in Houtbay juxta littus portus, et alibi. Floret Decembri et sequentibus mensibus ad Majum.

Caulis bipedalis et ultra. *Rami* alterni, tetragoni, scabridi, curvato-erecti, parum ramulosi. *Folia* alterna, petiolata, obtusiuscula, utrinque glabra, tenuissime scabra, erecto patula, inaequalia, unguicularia, usque bipollicaria; in eodem saepe ramo integra et angulato-dentata. *Petioli* depressi, unguiculares. *Flores* terminales, coerulescentes. *Pedicelli* capillares.

4. S. (*bracteatum.*) caule inermi, fruticoso, tetragono; foliis ovatis, serratis; racemis foliosis. *Act. Gor.* 1812.

Caulis rigidus, glaber, angulis crispis, ramosus. *Rami* similes, divaricati. *Folia* in petiolos breves attenuata, acuta, glabra, inaequalia, pollicaria et ultra. *Flores* in ramis racemosi, bracteati. *Pedunculi* ex axillis bractearum, simplices, rarius bifidi. *Bracteae* foliis similes, covolutae, serrulatae, vix unguiculares, pedunculo paulo breviores. *Calycis* laciniae acutae. *Baccae* nigrae. *Simile* S. quadrangulari, sed diversum calyce, inflorescentiâ et foliis.

5. S. (*insanum.*) caule aculeato, herbaceo; foliis tomentosis; pedunculis pendulis. Prod. p. 36. Solanum *insanum. Willd.* Spec I. 2. p. 1037.

Crescit in collibus extra urbem Kap, et alibi.

6. S. (*mammosum.*) caule aculeato, herbaceo; foliis incisis, dentato-lobatis, villosis; pedunculis lateralibus, unifloris. *Prod.* p. 36. Solanum *mammosum. Linn.* Spec. Pl. p. 267. Syst. Veg. XIV. p. 225.

Crescit prope Buffeljagts rivier juxta Compagn Post, inter arbusta. Floret Novembri, Decembri.

Caulis uti tota planta villosus, aculeis flavescentibus inaequalibus frequentissimis horridus. *Rami* cauli omnino similes. *Folia* alterna, petiolata, subcordata, oblonga, sinubus rotundatis lobisque dentato-angulatis, utrinque villosa et in nervis aculeis longis flavis armata, erecta, palmaria. *Petioli* villosi, aculeis longis horizontalibus armati, bipollicares. *Flores* in medio ramorum, pedunculati. *Pedunculi* capillares, plerumque tres, subsimplices, villosi, aculeati, cernui, pollicares. *Calyx* hirtus, aculeatus. *Corolla* coerulea.

7. S. (*tomentosum.*) caule aculeato, fruticoso; foliis cordatis, repandis, tomentosis; floribus solitariis. *Prod.* p. 36. Solanum *tomentosum. Linn.* Spec. Pl. p. 269. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1045.

Crescit circum Kap urbem, in collibus, alibique. Floret Julio et sequentibus mensibus hiemalibus.

8. S. (*niveum.*) caule aculeato, fruticoso; foliis ovatis, subtus tomentoso-niveis, integerrimis; paniculâ decomposita. *Prod.* p. 36. *Act. Gorengk.* Solanum *giganteum. Willd.* Spec. T. I. P. 2. p. 1046.

Crescit prope sylvam Essebosch et alibi sponte. Cultum quoque vidi in urbe Kap. Floret Decembri, Januario et sequentibus mensibus.

Radix perennis. *Caulis* bipedalis, adultus orgyalis, crassitie brachii, aculeatus, erectus, totus pulverulento-tomentosus, niveus. *Rami* alterni, cauli similes, aculeis flavescentibus. *Folia* alterna, petiolata, utrinque attenuata, acuminata, indivisa, nervosa; adulta palmaria usque spithamaea, supra glabra; superioria digitalia, niveo-subtomentosa; suprema sensim minora, supra subtusque imprimis niveo-tomentosa; pollicem usque palmam lata; erecta; summa approximata, inermia. *Petioli* tomentosi, inermes, foliis multo breviores. *Panicula* florum lateralis, supradecomposita. *Pedunculi* et *pedicelli* dichotomi, trichotomi, sensimque racemosi, cernui, nivei. *Calyx* totus densissime et corolla extus parum pulverulento-niveae. *Baccae* glabrae.

Obs. Valde simile S. verbascifolio et subinermi; sed distinctum aculeis, tomento, floribus.

9. S. (*capense.*) caule aculeato, fruticoso; foliis pinnatifido-sinuatis, aculeatis, glabris: laciniis integris, obtusis. *Prodr.* p. 37. *Act. Gorengk.* Solanum *capense. Linn.* Mant. p. 46. Syst. Veg. XIV. p. 226. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1044.

Crescit inter Krumrivier et Zeekorivier in campis graminosis. Floret Novembri, Decembri.

Radix perennis. *Caulis* erectiusculus, totus glaber, ramosissimus, vix pedalis. *Rami* sparsi, teretes, virides, flexuosi, incurvati, aculeati: aculeis flavescentibus, recurvis, frequentissimis. *Ramuli* similes. *Folia* sparsa, petiolata, ovata, incisopinnata sinubus rotundatis, obtusa, utrinque glabra; subtus juxta nervum dorsalem, rarius supra aculeata, patentia, unguicularia; Lobi alterni, obtusi, integri. *Petioli* foliis duplo breviores, aculeati. *Flores* laterales pedunculati. *Pedunculi* solitarii, inermes, uniflori et biflori, cernui. *Calyx* aculeatus. *Corolla* coerulea. *Bacca* glabra.

CXXIV. PHYSALIS.

Cor. rotata. Stam. conniventia. Bacca intra calycem inflatum, bilocularis.

1. P. (*arborescens.*) caule fruticoso, villoso; foliis ovatis, villosis; floribus axillaribus, cernuis. *Prodr.* p. 37. Physalis *arborescens. Linn.* Spec. Pl. p. 161. Syst. Veg. XIV. p. 222. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1020.

Crescit inter Visch-rivier et Söndags-rivier. Floret Decembri, Januario, Februario.

Caulis frutescens, teres, rugosus, erectus, infra glabriusculus, supra villosus, bipedalis et ultra. *Rami* alterni, pauci, villosi, erecti. *Folia* alterna, petiolata, acuta, integra, venosa, tenuissime villoso-pulverulenta, pollicaria. *Petioli* foliis duplo breviores. *Flores* in divaricatione ramorum et in axillis folio-

rum, solitarii et aggregati, tres vel quatuor. *Pedunculi* tomentosi, uniflori, lineam longi. *Calyces* pubescentes.

2. P. (*tomentosa.*) caule fruticoso, tomentoso; foliis elliptico-oblongis, tomentosis; floribus lateralibus, aggregatis. *Prod.* p. 37.

Crescit juxta Slange-rivier. Floret Septembri et sequentibus mensibus.

Caulis teres, erectus, totus omnibus partibus, imprimis ramis et foliis subtus tomentosis, bipedalis et ultra. *Rami* alterni, pauci, elongati, subsimplices. *Folia* alterna, petiolata, oblongo-ovata, seu elliptica, obtusiuscula, integra, erecta, pollicaria et sesquipollicaria. *Petioli* unguiculares. *Flores* per ramos in omnibus axillis foliorum pedunculati, cernui, albi. *Pedunculi* tres, usque sex, tomentosi, uniflori, reflexi, lineam longi. *Calyces* angulati, inflati. *Differt* a PH. *carassavica* foliis oblongis.

CXXV. ATROPA.

Cor. campanulata. Stam. distantia. Bacca globosa, 2-locularis.

1. A. (*solanacea.*) caule fruticoso; foliis ovatis, integris; pedunculis unifloris. *Prodr.* p. 37. ATROPA *solanacea*, *Linn. Mantiss.* p. 205. *Syst. Veg.* XIV. p. 221. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1018.

Crescit in Paarden-Eyland in arenosis extra Kap. Floret Aprili, Majo, Junio.

Caulis frutescens, totus inermis et glaber, subtetragonus, cinereus, erectus, bipedalis et ultra. *Rami* alterni, tetragoni, cinerei, (punctis) callis (elevatis) a casu foliorum scabridi, erecti, parum ramulosi. *Folia* sparsa, petiolata, obtusiuscula, glabra, erecto-patentia, pollicaria. *Petioli* foliis paulo breviores. *Flores* in axillis foliorum versus summitates ramorum solitarii et aggregati. *Pedunculi* capillares, petiolis paulo longiores. *Calyx* glaber. *Corollae* albidae.

CXXVI. LYCIUM.

Cor. tubulosa, fauce clausa. Filamentorum barba. Bacca 2-locularis polysperma.

1. L. (*rigidum.*) spinosum, foliis fasciculatis, linearibus; rarius strictis; pedunculis brevissimis. *Prod.* p. 37.

Crescit in regionibus urbis Kap et alibi. Floret hieme, mensibus Julii et Augusti.

Caulis fruticosus, rigidus, omni parte glaber. *Rami* teretes, flexuosi, stricti, rugosi, angulati, cinerei, divaricato-patuli, apice spinescentes. *Ramuli* alterni, spinescentes, horizontales; pollicares. *Folia* in ramis et ramulis spinescentibus obtusa, integra, inferne magis attenuata,

unguicularia. *Flores* e fasciculis foliorum pedunculati, solitarii, cernui. *Pedunculi* flore et foliis breviores. *Differt* a L. *afro*, floribus imprimis brevissime pedunculatis.

2. L. (*tetrandrum.*) spinosum, foliis ovatis, obtusis; ramis angulatis; corollis quadrifidis. *Prodr.* p. 37. LYCIUM *tetrandrum*. *Linn.* Suppl. p. 150. Syst. Veg. XIV. p. 228. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1058.

Crescit inter Leuwestaart et littus juxta Kap. Floret Junio.

Caulis fruticosus, totus glaber. *Rami* subtetragoni, cinerei, rigidi, nodulosi. *Ramuli* alterni, similes, horizontales, spinescentes. *Folia* fasciculata in ramis et ramulis e gemmis sparsis, integra, inferne attenuata, lineam longa. *Flores* albi, e fasciculis foliorum solitarii, brevissime pedunculati. *Calyx* et Corolla quadrifidae. *Stamina* quatuor.

3. L. (*barbarum.*) spinosum; foliis lanceolatis; ramis laxis; calycibus bifidis. *Prodr.* p. 37. LYCIUM *barbarum*. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1059.

Crescit in Carro inter Roggeveld et Bockeveld. Floret Novembri, Decembri.

Caulis fruticosus, totus glaber, debilis. *Rami* alterni, teretes, cinerei, laxissimi, spinosi spinis alternis horizontalibus, flexuosi, subsimplices. *Folia* e gemmis sub spinis, elliptica seu lanceolata, utrinque attenuata, acuta, integra, patentissima, sesquipollicaria. *Flores* e fasciculis foliorum solitarii, pedunculati pedunculis capillaribus.

4. L. (*cinereum.*) spinosum; foliis lanceolatis, glabris; ramis spinescentibus; pedunculis brevissimis. *Prod.* p. 37. LYCIUM *cinereum*. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1059.

Caulis fruticosus, cinereus, glaber, teres, rigidus, erectus, ramulosus, tripedalis et ultra. *Rami* et *ramuli* cauli similes, sparsi, patentes, spinescentes. *Folia* sparsa, fasciculata, integra, patentia, lineam longa. *Flores* e fasciculis foliorum, pedunculati, solitarii. *Pedunculi* longitudine foliorum.

5. L. (*horridum.*) spinosum; foliis obovatis, carnosis, glabris; ramis spinescentibus; pedunculis brevissimis. *Prodrom.* p. 37.

Crescit in maritimis prope Verlooren Valley, Saldanhabay et alibi. Floret Septembri, Octobri, Novembri.

Radix perennis. *Caulis* fruticosus, ramosissimus, rigidus, tripedalis. *Ramuli* sparsi, nodulosi, patentes, apice spinescentes. *Folia* e nodis fasciculata, 3, 5 seu 7, sessilia, inferne attenuata, ovata, obtusissima, crassa, integra, patula; supra planiuscula, viridia; subtus convexa, alba lineâ viridi, semiunguicularia, inaequalia. *Flores* e nodis foliorum pedunculati, solitarii, patuli. *Pedunculus* teres, glaber, lineam longus. *Perianthium* 1-phyllum, erectum, glabrum, viride, corollâ brevius, 4-dentatum. *Corolla* 1-petala, tubulosa, alba; tubus

sensim ampliatus, calyce duplo longior; limbus 4-fidus: laciniae ovatae, obtusae, patentes, basi striâ obsolete purpureâ, duplici. *Filamenta* quatuor, subulata, tubo medio inserta, corollâ breviora, basi villosa. *Antherae* ovatae, flavae. *Germen* superum, glabrum.

CXXVII. SERISSA.

Cor. infundibuliformis, fauce ciliatâ, laciniis limbi subtrilobis. Bacca infera, trisperma.

1. S. (*capensis.*) Lycium *barbatum.* Prodr. Fl. Cap. p. 37. *Linn.* Suppl. p. 150. Syst. Veg. XIV. p. 228. Serissa *foetida. Willd.* Sp. Pl. I. 2. p. 1061.

Crescit in collibus infra montes urbis Kap, et alibi. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Caulis fruticosus, totus glaber, bipedalis et ultra. *Rami* alterni, divaricati, flexuosi, rugosi, cinerei, ramulosi. *Folia* opposita, petiolata, ovata, acuminata saepe, vel obtusiuscula, integra, supra viridia, subtus pallida, pollicaria et ultra. *Petioli* unguiculares. *Flores* axillares. *Pedunculi* capillares. *Stipulae* vel bracteae albo-ciliatae. *Bacca* didyma, compressa, excisa, bisulca, bilocularis.

CXXVIII. CESTRUM.

Cor. infundibuliformis. Stamina denticulo in medio. Bacca 1-locularis, polysperma.

1. C. (*venenatum.*) foliis lanceolato-oblongis, coriaceis; floribus sessilibus. *Prodr.* p. 36.

Hollandis Africam incolentibus: Gift-boom. Crescit in Houtniquas sylvis et aliis.

Arbor orgyalis. *Rami* teretes, purpurascentes, scabridi. *Ramuli* ultimi sulcati. *Folia* opposita, petiolata, acuminata, integerrima margine reflexo, sempervirentia, nervosa, glaberrima, digitalia. *Petioli* semiteres, supra sulcati, brevissimi, vix lineam longi. *Flores* in axillis foliorum glomerati, subsessiles. *Perianthium* 1-phyllum, profunde 5-partitum: laciniae ovatae, acutae, erectae, virides, tubo multoties breviores. *Bracteae* minutae, duae vel tres ad basin calycis, brevissimae. *Corolla* 1-petala, tubulosa. Tubus cylindricus, sensim ampliatus, 5-striatus, glaber, rectus, albo sanguineus, unguicularis. Limbus 5-partitus, patens: laciniae alternatim incumbentes, ovatae, acutae, margine inflexo, albae, supra villosae, lineam longae. Os villosum, villo albo. Basis tubi virescens. *Filamenta* 5, tubo infra os inserta, brevissima, alba. *Antherae* ovatae, erectae, flavae striâ fuscâ. *Germen* superum, obtusum, glabrum. *Stylus* filiformis, albus, longitudine fere tubi. *Stigma* capitatum, obtusum, simplex. *Odor* floris Jasmini. *Usus*: Decocto Corticis, ad Gelatinae consistentiam redacto Hottentotti tela sua venenata reddunt.

CXXIX. ROEMERIA.

Cal. 5-*phyllus.* *Cor.* 5-*petala.* *Stigmata* 3. *Diss. acad. ed. Gott.* I. *p.* 123.

1. R. (*argentea.*) foliis ovatis, retusis, tomentosis. *Burmanni Decad. Afric.* T. 92. f. 1. SIDEROXYLON *argenteum. Prod.* p. 36.

Incolis Europaeis: Melkbom, Klipp-hout. Crescit juxta Montes Paarl, in Lange kloof, prope Kap, alibi.

Caulis fruticosus, bipedalis et ultra. *Rami* rugosi, cinerei, subtomentosi. *Folia* sparsa, frequentia, petiolata, ovato-oblonga, exciso-fissa, integra, parallelo nervosa, utrinque sed imprimis subtus albo-tomentosa, sesquipollicaria. *Petioli* semiteretes, lineam longi. *Flores* in summitatibus ramorum racemosi. *Pedunculi* sparsi, breves.

2. R. (*inermis.*) foliis ovatis, retusis, glabris. SIDEROXYLON *inerme.* Prodr. p. 36. *Linn.* Spec. Pl. p. 278. Syst. Veg. XIV. p. 232.

Crescit prope Kap. Floret Junio, Julio.

Caulis fruticosus, ramosus, totus glaber, bipedalis et ultra. *Rami* alterni, flexuoso-erecti, scabridi, fusco-cinerei, ramulosi ramis ultimis subangulatis. *Folia* alterna, petiolata, obtusa, saepe exciso-retusa, integra margine reflexo, coriacea, sempervirentia, pollicaria et sesquipollicaria. *Petioli* brevissimi, subnulli. *Flores* in axillis foliorum pedunculati, minuti. *Pedunculi* angulati, bifidi, lineam longi. *Calyx* 5-phyllus: foliola ovata, obtusa, glabra, corollâ breviora. *Petala* 5, ovata, obtusissima, concava, semi-lineam longa. *Filamenta* calyci inserta vel basi corollae. *Stylus* unicus.

3. R. (*melanophlea.*) foliis lanceolato-oblongis; floribus pedunculatis. SIDEROXYLON *Melanophleum. Prodr.* p. 36. *Linn* Mant. p. 48. Syst. Veg. XIV. p. 232.

Hollandis Incolis: Bucku-hout, Roode Bucku. Crescit prope Kap, in sylvis ad Rivier-Zonder End, Grootvadersbosch aliisque.

Caulis fruticosus, totus omni parte glaber. *Rami* teretes, rugosi, fusci. *Folia* versus apices ramorum aggregata, alternantia, brevissime petiolata, elliptica seu lanceolato-oblonga, obtusiuscula, integra margine reflexo, subparallelo-nervosa, patentia, inferne decidua, digitalia vel longiora. *Flores* in axillis foliorum minuti. *Pedunculi* rugosi, brevissimi, saepe aggregati.

CXXX. OLINIA.

Cal. 5-*dentatus.* *Petala* 5, *squamis totidem ad basin. Stigma subbifidum, pentagonum. Drupa in fundo calycis. Röm. Arch.* II. 1. *p.* 4.

1. O. (*cymosa.*) SIDEROXYLON *cymosum.* Prodr. p. 36. *Linn.* Suppl. p. 152. Syst. Veg. XIV. p. 232.

Crescit in fossis montis Tabularis ad latus occidentale. Floret Julio, Augusto.

Frutex totus glaber, laevis, inermis, orgyalis. *Rami* decussati, tetragoni, patentes, cinerei. *Folia* decussatim opposita, petiolata, ovata, integra margine parum reflexa; supra viridia, lucida; subtus pallidioria; pollicaria et sesquipollicaria. *Petioli* depressi, lineam longi, sensim in folium dilatati *Flores* in supremis axillis paniculati, albi. *Panicula* supradecomposita. *Pedunculi* et pedicelli tetragoni, sensim breviores. *Calyx* tubuloso-subcampanulatus, glaber, lineam longus, 5 dentatus: dentes rotundati, brevissimi. *Corolla* 5-petala: petala apici calycis inserta, linearia, obtusa, alba, intus supra basin subvillosa, lineam dimidiam longa, patentia. *Nectaria* squamulae 5, raro 6, obtusae, petalo insertae, antheris superimpositae, subconcavae, supra convexiusculae, pallide flavescentes. *Filamenta* 5, raro 6, brevissima, fere nulla, calyci sub nectariis inserta. *Antherae* parvae, globosae, didymae, flavae, inflexae. *Corolla* cum calyce videtur formare corollam 1-petalam, 5-partitam. *Germen* superum, concavum, glabrum. *Stylus* brevissimus. *Stigma* incrassatum, obtusum, bifidum. *Fructus* in fundo calycis. *Odor* florum gratus.

Obs. In fundo calycis nidulat saepe pupa Chermis vel Cicadae.

CXXXI. PLECTRONIA.

Pet. 5, calycis fauci inserta. Bacca 2-sperma, infera.

1. P. (*ventosa.*) Prodrom. p. 44. *Linn.* Mantiss. p. 52. Syst. Veget. XIV. p. 242.

Crescit in sylvis variis, Grootvadersbosch et aliis. Floret Januario.

Folia opposita et alternatim sparsa, saepe obtusa.

CXXXII. MYRSINE.

Cor. semi-5-fida, connivens. Germen corollam replens. Bacca 1-sperma, nucleo 5-loculari.

1. M. (*africana.*) foliis ellipticis, acutis. *Prod.* p. 36. *Linn.* Spec. Pl. p. 285. Syst. Veg. XIV. p. 236.

Crescit in collibus prope urbem Kap, et alibi in montibus, valde vulgaris. Floret Augusto et aliis mensibus pro diverso loco.

Caulis fruticosus, totus glaber, erectus, ramosissimus, quadripedalis. *Rami* sparsi, teretes, cinereo-fusci. *Ramuli* filiformes, virgati, similes. *Folia* sparsa, petiolata, ovata, serrata, supra viridia, subtus pallida, frequentia, semiunguicularia. *Petioli* foliis breviores. *Flores* in axillis glomerati, tetrandri et pentandri.

2. M. (*retusa.*) foliis obovatis, apice tridentatis.

Caulis fruticosus, totus glaber, ramosus. *Rami* alterni et sparsi, erectiusculi. *Folia* alterna, approximata, brevissime

petiolata, obtusissima, integra, margine parum reflexo et apice tenuissime denticulata, dentibus usque 5, crassa et rigida, subimbricata superne, unguicularia. *Flores* axillares.

CXXXIII. CEANOTHUS.

Petala 5 *saccata, fornicata. Bacca sicca,* 3*-locularis,* 3*-sperma.*

1. C. (*africanus.*) foliis lanceolatis, enerviis; stipulis subrotundis. *Prod.* p. 42. CEANOTHUS *africanus*, *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 236. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1115.

Crescit satis vulgaris in variis sylvis, trans Goudsrivier, prope Stoningklipp copiose, juxta Kap et alibi non infrequens. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Caulis fruticosus, erectus, totus glaber, orgyalis. *Folia* alterna, petiolata, retusa, serrata, glabra; subtus pallidiora, venosa, pollicaria.

CXXXIV. RHAMNUS.

Cal. tubulosus. Cor. squamae stamina munientes, calyci insertae. Bacca.

1. R. (*tetragonus.*) inermis; foliis ovatis, integris, sessilibus; ramis tetragonis. *Prod.* p. 44. Act. Gorengk. 1812. c. fig. RHAMNUS *tetragonus*. *Linn.* Suppl. p. 153. Syst. Veg. XIV. p. 233. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1095.

Crescit in variis sylvis. Floret Novembri usque in Januarium.

Frutex erectus, glaber, orgyalis vel ultra. *Rami* oppositi, elongati, divaricato-patuli. *Ramuli* similes ramis. *Folia* opposita, subdecussata, acuta, glabra, nervosa, patentia, pollicaria. *Flores* in ramulis terminales, subpaniculati. *Stylus* unicus stigmatibus tribus. *Bacca* ovata, glabra, calyce coronata, infera, unilocularis, monosperma.

2. R. (*celtifolius.*) inermis; foliis ovatis, serratis, glabris; floribus axillaribus, solitariis. *Prod.* p. 44. Celtis foliis subrotundis, dentatis, flore viridi, fructu luteo. *Burman. Afric.* p. 242. tab. 88. Ejusd. *Prodrom. Afric.* p. 27.

Crescit prope rivulum Valsrivier et alibi. Floret Octobri, Novembri.

Caulis arboreus, erectus, inermis, ramosissimus, orgyalis. *Rami* et ramuli alterni, foliis deciduis tuberculati, inermes, glabri, erecti. *Folia* alterna, petiolata, acuta, supra saturate viridia, impresso-venosa, subtus pallidiora venis elevatis, erecta, pollicaria; suprema minora. *Petioli* subtrigoni, glabri, semiunguiculares. *Flores* pedunculati, erecti. *Pedunculus* filiformis, subpubescens, semiunguicularis. *Perianthium* monophyllum, subcampanulatum, viride, 5-dentatum: dentibus acutis. *Corolla* nulla, et squamae calycis nullae. *Filamenta* basi

calycis inserta, calyce breviora. *Germen* superum, ovatum. *Stylus* simplex, erectus, staminibus brevior. *Stigmata* tria, patula.

3. R. (*capensis.*) armatus; aculeis solitariis, recurvis; foliis cordatis, excisis, glabris; umbellis axillaribus. Prod. p. 44. RHAMNUS *capensis. Willd.* Sp. I. 2. p. 1101.

Crescit in Grootvadersbosch aliisque sylvis. Floret Januario.

Arbuscula erecta, glabra, ramosissima. *Rami* et ramuli decussati, divaricato-erecti, obsolete angulati, cinerei, aculeati. *Folia* opposita, petiolata, ovata*), obtusissima, integra, subtus pallidiora, inaequalia, erecto-patentia, unguicularia usque pollicaria. *Petioli* lineam longi. *Flores* subumbellato-aggregati. *Umbellae* pedunculatae. *Perianthium* 1-phyllum, tubulosum. Tubus ovatus, brevis, viridis, glaber, subangulatus. Limbus 5-partitus: laciniae ovatae, acutae, rufescentes, erectae. *Corolla* nulla, nisi calycis limbus, qui secedit et decidit exactâ florescentiâ. *Filamenta* nulla, sed squamae 5, divisuris limbi calycis insertae, brevissimae, bifidae. *Antherae* ovatae, squamis intrusae. *Germen* superum, convexiusculum, glabrum. *Stylus* simplex, brevissimus. *Stigmata* plerumque duo, raro tria, obtusa. *Bacca* subglobosa, glabra, calyce cincta, bilocularis.

CXXXV. CALODENDRUM.

Cal. 5-partitus. Cor. 5-petala. Nectarium 5-phyllum. Caps. 5-locularis.

1. C. (*capense.*) Nov. Plant. Gener. P. 2. p. 41. 42. 43. Prodr. p. 44. PALLASIA. *Houttuyn* Nat. Hist. P. II. Tab. 22. DICTAMNUS *capensis. Linn.* Suppl. p. 232. Syst. Veg. XIV. p. 397.

Incolis Africanis: Wilde Kastanien. Crescit in sylva Grootvadersbosch dicta trans Swellendam. Floret Decembri, Januario.

Arbor excelsa, valde crassa. *Rami* et ramuli oppositi vel terni, cicatricibus foliorum scabri, striati, teretes, fusci, divaricati. *Folia* decussata, petiolata, ovata, obtusa, integra, parallelo-nervosa, sempervirentia, supra viridia, subtus pallida, palmaria. *Petioli* crassi, breves, supra plani, subtus convexi, lineam longi. *Flores* paniculati, terminales. *Pedanculi* breves, villosi, oppositi cum impari.

CXXXVI. GARDENIA.

Antherae sessiles medio sui in ore tubi corollae! Stigma clavatum. Bacca seminibus imbricatis.

1. G. (*Thunbergia.*) inermis; corollis obtusis; calyce te-

*) Supra in diagnosi *cordata. Editor.*

reti; foliis ovatis, acutis. THUNBERGIA *capensis*. *Montin*. Act. Stockholm 1773. p. 268. T. 11. GARDENIA *Thunbergia*. Dissertat. de Gardenia p. 13. Prod. p. 41. *Linn.* Suppl. p. 162. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1226.

Hollandis Caput bonae spei incolentibus: Wilde Katjepin. Colitur in Horto Societatis ob elegantiam florum. Crescit in sylvis prope van Stades rivier et alibi rarius. Floret Januario et sequentibus mensibus

Caulis arboreus, glaber, ramosissimus, biorgyalis. *Rami* alterni, teretes, rudimentis foliorum annulati, cinerei, glabri, erecti, ramulosi. *Folia* verticillata terna, vel quaterna, petiolata, utrinque acuminata, integra, concava, subundulata, parallelo nervosa, glabra, notata glandulis pilosis in axillis nervorum paginae inferioris, patentia, inaequalia, internodiis longiora, bipollicaria et ultra. *Petioli* breves, sensim dilatati in folium, subtus callosi, glabri, lineam longi. *Stipulae* intrafoliaceae, vaginantes; obtusae, membranaceae. *Calyx* cylindricus, superne ampliatus, glaber, apice oblique dehiscens, coronatus foliolis 4 vel 6 petiolatis, cucullatis; intus villosus, melleque madidus, tubo corollae triplo brevior. *Corolla* coriacea, alba, tubulosa, speciosa. Tubus cylindricus, parum incurvatus, obsolete striatus, sensim paulo ampliatus, glaber, palmaris. Limbus septem usque novem-partitus: laciniae ovatae, obtusae, margine reflexae, integrae, imbricatae, patentes, pollicares. Os tubi villosum, sulcatum. Raro limbus corollae 8- vel 10-partitus, cum Antheris totidem. *Antherae* 7, 8 vel 10, saepissime vero 9, adeoque numero valde variantes, semper plures, quam 5. *Germen* planum, coronatum tuberculis rotundatis melliferis, glabrum. *Stylus* inferne filiformis, glaber; superne clavatus, villosus, tubo corollae longior. *Stigma* oblique truncatum, sulcatum, sulcorum marginibus reflexis, raro quadrisulcatum. *Bacca* ovata, subrugosa, glabra, virescens; dein albida, 1-locularis, 5-valvis, polysperma, magnitudine ovi gallinacei, per annos persistens, lignosa, dura, nec decidua, nec dehiscens. Pulpa vix ulla. *Semina* lenticularia, imbricata, in singula plica solitaria. *Sensim* per plures menses flores suas explicat. *Odor* corollae parum ingratus, Daturae similis, sed debilior. *Lignum* durum clavis fabricandis inservit.

2. G. (*Rothmannia.*) inermis; corollis acutis, subcampanulatis; calyce glabro; foliis oblongis, acutis. ROTHMANNIA *capensis*. Act. Stockholm. 1776. p. 65. T. 2. GARDENIA *Rothmannia*. Dissert. de Gardenia p. 19. *Linn.* Suppl. p. 165. Syst. Veg. XIV. p. 252. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1228.

Crescit in sylva Grootvadersbosch dicta, et in sylvis juxta fluvium Zonder End. Floret Januario, Februario.

Caulis arboreus, erectus, ramosus, sesquiorgyalis. *Rami* et ramuli oppositi, subangulati, striati, scabri, erecti, ferruginei. *Folia* opposita, brevissime petiolata, integra, nervosa, glabra, supra laete viridia, subtus pallidiora, semper virentia, notata subtus glandulis pilosis in axillis nervorum, digitalia. *Stipulae* intrafoliaceae, subulatae, breves. *Flores* in ramulis termina-

les, solitarii, sessiles. *Calyx* cylindricus, obsolete pentagonus, erectus, intus pilosus, corollâ triplo brevior, 5-partitus: laciniae filiformes, acutae, erectae, semiunguiculares. *Corolla* extus albido-flavescens, intus triste flava maculis purpureis. Limbus 5-partitus: laciniae ovatae, acuminatae, reflexae, unguiculares. *Antherae* quinque, rarius sex cum calyce 6-fido et Corolla sexfida. *Germen* convexiusculum, inaequale, angulatum, glabrum. *Stylus* filiformis, sensim incrassatus, albus, longitudine fere corollae. *Bacca* ovata, carnosa, costis circiter 12 obsoletis angulata, glabra, bivalvis, unilocularis, polysperma, pulposa, magnitudine Pyri minoris, immatura viridis, matura nigra, siccata altero latere debiscens deque arbore decidens. Pulpa fusca, mollis instar pulpae Tamarindorum. *Semina* lentiformia, imbricata, brunea, in singula plica solitaria. *Flos* et tota planta siccatione nigrescit. *Flores* vesperi et nocte fragrantes. *Lignum* pro Axibus currorum expetitum et usitatum est.

CXXXVII. PHYLICA.

Perianthium 5-*partitum, turbinatum. Petala* o. *Squamae* 5 *stamina munientes. Caps. tricocca, infera.*

1. P. (*glabrata.*) foliis lanceolatis, subtus tomentosis; capitulis lanatis. *Dissert. de Phylica.*

Caulis fruticosus, teres, cinereo-fuscus, erectus, vix villosus, ramosus. *Rami* et ramuli sparsi, approximati, subfastigiati, superne pubescentes. *Folia* sparsa, brevissime petiolata, acuta; supra obsolete scabra, viridia; margine revoluta; patula, unguicularia. *Capitula* terminalia, globosa, magnitudine pisi. *Corollae* albae, lanatae.

2. P. (*ericoides.*) foliis lanceolatis, glabris; ramis subumbellatis; capitulis terminalibus, tomentosis. PHYLICA *ericoides.* Prodr. p. 44. *Linn.* Spec. Pl. p. 283. Syst. Veget. XIV. p. 235. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1108.

Crescit in campis sabulosis extra Hap, urbem, vulgaris. Floret Majo, Junio.

Frutex erectus, cinereo-fuscus, tenuissime subvillosus, tripedalis et ultra. *Rami* et ramuli per intervalla umbellato-aggregati, fastigiati, erecti. *Folia* sparsa, in ramis et ramulis frequentia, breviter petiolata, obtusiuscula, supra plana, subtus sulcata, margine reflexo, erecta, lineam longa. *Flores* in ramulis terminales, capitati. *Capitula* albo-tomentosa, piso minora.

3. P. (*parviflora.*) foliis lanceolatis, acutis, scabris; ramis virgatis; capitulis terminalibus tomentosis. *Prodr.* p. 44. PHYLICA *parviflora. Linn.* Mantiss. p. 209. Syst. Veget. XIV. p. 235. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1113.

Crescit in campis arenosis extra urbem Hap, valde vulgaris. Floret Junio et sequentibus mensibus.

Fratex erectus, fuscus, scaber, glaber, spithamaeus, usque pedalis et ultra. *Rami* sparsi, aggregati, ramulosi. *Ramuli* sparsi, ultimi brevissimi, filiformes, pubescentes. *Folia* sparsa, breviter petiolata, acutiuscula, subpilosa, subtus sulcata, margine reflexa, patentia, vix lineam longa. *Flores* in ultimis ramulis terminales, capitati. *Capitula* albo-tomentosa, minima.

4. P. (*lanceolata.*) foliis lanceolatis, subtus tomentosis; capitulis terminalibus, hirsutis. *Prod.* p. 44. *Willd.* Spec. I. 2 p. 1108.

Crescit in collibus inter alias frutices, extra urbem Kap.

Caulis suffruticosus, suberectus, teres, foliosus, glaber, apice ramosus, palmaris. *Rami* breves, alterni, cauli similes, ramulosi. *Folia* sparsa, sessilia, lineari-lanceolata, breviter petiolata; supra convexa, viridia, glabra; subtus albo-tomentosa, marginibus reflexa; erecto-patentia, subsecunda seu ad alterum latus flexa, frequentia, internodiis multo longiora, pollicaria. *Petioli* breves, adpressi, pallidi, semiunciales. *Flores* in ramulis capitati. *Capitula* albo-tomentosa, magnitudine pisi. *Receptaculum* commune, flores colligens in capitulum monophyllum bracteatum. *Corolla* 1-petala, tubulosa, extus albo-hirsuta, intus glabra, persistens. Tubus ovatus, brevis. Limbus 5 fidus: laciniae ovatae, acutae, aequales, erectae, longitudine tubi, intus carinatae, extus apice valde hirsutae. *Nectarium*: squamulae cucullatae ore obliquo, laciniis-limbi insertae. *Differt* a PHYLICA *eriophora*, cui similis.

5. P. (*strigosa,*) foliis linearibus, hirsutis; capitulis terminalibus, lanatis. *Prod.* p. 44. PHYLICA *bicolor. Linn.* Mant. p. 208. Syst. Veg. XIV. p. 235. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1108.

Frutex erectus, fuscus, nodoso-scaber, inconspicue pubescens, bipedalis et ultra, ramulosus. *Rami* et ramuli per intervalla subumbellati, erecti, subfastigiati, hirsuti. *Folia* linearia seu lineari-lanceolata, obtusiuscula, margine revoluta, subtus albo-tomentosa, inferiora supra scabra, superiora hirsuta pilis cinereis, erecto-patentia, unguicularia, brevissime petiolata. *Capitula* florum in ramulis cinereo-albida, valde hirsuta seu lanata, magnitudine pisi majoris.

6. P. (*eriophoros.*) foliis lanceolatis, acutis, subtus tomentosis; capitulis terminalibus, tomentosis. *Prodr.* p. 44. PHYLICA *eriophoros*, *Willd.* Spec. I. 2. p. 1109. *Berg.* Cap. p. 52.

Caulis fruticosus, cinereo-fuscus, erectus, ramosus. *Rami* sparsi, flexi, cauli similes, ramulosi. *Ramuli* sparsi et subverticillati, fastigiati, pubescentes. *Folia* sparsa, brevissime petiolata, scabriuscula; supra sulcata, viridia; margine reflexa, patula, unguicularia. *Flores* terminales, capitati. *Calyx* albo-subtomentosus.

7. P. (*stipularis,*) foliis lineari-lanceolatis, stipulatis; capitulis terminalibus. *Prod.* p. 44. PHYLICA *stipularis. Linn.* Mant. p. 208. Syst. Veg. XIV. p. 235. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1110.

Crescit in collibus infra Taffelberg et alibi vulgaris. Floret Majo.

Frutex erectus, cinereus, nodoso-scaber, bipedalis et ultra. *Rami* sparsi et oppositi, teretes, albo-tomentosi, erecto-patentes, ramulis similibus. *Folia* brevissime petiolata, sparsa, linearia, acutiuscula, supra convexa, subtus tomentosa, margine reflexa, patentia, unguicularia. *Petioli* adpressi, tomentosi. *Flores* in ultimis ramulis terminales. *Capitula* saepe terna, tomentosa, piso majora.

8. P. (*imberbis.*) foliis lanceolatis, villosis; capitulis terminalibus. *Prod.* p. 44. PHYLICA *imberbis. Linn.* Mant. p. 209. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1109.

Caulis frutescens, erectus, ramulosus. *Rami* et ramuli subumbellati, pubescentes. *Folia* subsessilia, sparsa, obtusiuscula, margine revoluta, pubescentia, imbricato-erecta, unguicularia. *Flores* in ultimis ramulis terminales, capitati. *Capitula* tomentosa, magnitudine pisi.

9. P. (*trichotoma.*) foliis trigonis, obtusis, glabris; capitulis terminalibus, hirsutis; caule trichotomo.

Crescit in campis, rarius occurrens.

Fratex erectus, hirtus, trichotomus, tripedalis vel ultra. *Rami* trichotomi, hirti, iterum trichotome ramulosi, erecto-patuli, laxi. *Folia* sparsa, breviter petiolata, integra, patulo-imbricata, lineam longa. *Capitula* magnitudine pisi.

10. P. (*secunda.*) foliis linearibus, mucronatis, glabris; capitulis terminalibus hirsutis. *Prod.* p. 44.

Crescit in collibus prope urbem Hap, inter frutices, infra Constantiam et alibi. Floret Junio.

Caulis fruticosus, suberectus, teres foliosus vel aphyllus, apice ramosus, fuscus, glaber, palmaris vel spithamaeus. *Rami* subverticillato-terni vel alterni, cauli similes, iterum ramulosi. *Ramuli* breves, subfastigiati, floriferi. *Folia* sparsa, petiolata, supra convexa, viridia, subtus albo-tomentosa, margine reflexa, erecto-patentia, subsecunda seu ad alterum latus flexa, internodiis multo longiora, semipollicaria. *Petioli* breves, adpressi, pallidi, lineam dimidiam longi. *Flores* in ramulis terminales, capitati. *Capitula* albo-tomentosa, magnitudine pisi. *Receptaculum* commune in capitulum colligens flores. *Corolla* 1-petala, turbinata, persistens, extus villosa. Limbus semiquinquefidus: laciniis sublanceolatis, erectis, acutis, aequalibus, longitudine tubi, intus carinatis, extus apice valde hirsutis. Tubus ovatus, brevis. *Nectaria*: squamulae 5, cucullatae ore obliquo, laciniis limbi insertae. *Diversa* a P. *eriophora* foliis inferne attenuatis, mucronatis et magis planis.

11. P. (*pinea.*) foliis lanceolatis, mucronatis, subtus tomentosis; floribus spicatis.

Frutex flexuoso-erectus, ramulosus. *Rami* et ramuli sparsi, tomentosi. *Folia* sparsa, brevissime petiolata; supra viridia, glabra; subtus albo-tomentosa marginibus revolutis; unguicularia, superioribus sensim minoribus. *Flores* terminales.

12. P. (*villosa.*) foliis linearibus, superioribus villosis; floribus racemosis. *Prod.* p. 44. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1109.

Crescit in Monte Piket-berg. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Frutex erectus, nodulosus, fusco-cinereus, bipedalis et ultra. *Rami* et ramuli, subumbellati, fastigiati, erecto-patentes, supremi tenuissime pubescentes. *Folia* sparsa, petiolata, acuta, margine revoluta; subtus sulcata; inferiora glabra, scabriuscula; patentia, semiunguicularia. *Petioli* tomentosi. *Flores* in ramulis ultimis. *Pedunculi* uniflori, villosi, foliis breviores. *Calyx* extus valde hirsutus.

13. P. (*hirsuta.*) foliis lanceolatis, acutis, hirsutis; racemo folioso. *Prod.* p. 44.

Caulis fruticosus, totus pilis mollibus longis hirsutus, teres, rufescens, erectus, ramosus, tripedalis et ultra. *Rami* sparsi, valde hirsuti, virgati, parum ramulosi. *Folia* alterna, brevissime petiolata, inermi-acuminata; supra convexiuscula, viridia; subtus tomentosa margine revoluto; erecto-patentia, unguicularia. *Flores* spicati seu racemosi, a medio ad apices ramorum in axillis foliorum.

14. P. (*pinifolia.*) foliis subtrigonis, obtusis, glabris; floribus spicatis. *Prodr.* p. 44. PHYLICA *pinifolia. Linn.* Suppl. p. 153. Syst. Veget. XIV. p. 235. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1110.

Crescit prope rivulos montium vulgaris. Floret Octobri, Novembri.

Caulis fruticosus, cinereus, erectus, glaber, ramulosus. *Rami* et ramuli alterni, cauli similes; supremi filiformes et frequentiores, erecto-patuli, tenuissime villosi, foliosi. *Folia* sparsa, sessilia lineâ decurrente, trigona, apice nigra, integra, supra plana, leviter sulcata; subtus obsolete carinata; patula et reflexa, unguicularia. *Flores* in ramulis terminales. *Spicae* unguiculares, in ramulis paniculatae. *Calyx* apice membranaceus. *Corolla* flavescens.

15. P. (*racemosa.*) foliis ovatis, glabris; floribus racemosis. *Prodr.* p. 45. PHYLICA *racemosa. Linn.* Mant. p. 209. Syst. Veg. XIV. p. 235. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1112.

Crescit in summitate montis Rode Sand juxta Waterfall prope ipsum rivum et alibi. Floret Septembri, Octobri.

Frutex erectus, fusco-cinereus, totus glaber, bipedalis et ultra. *Rami* sparsi, aggregati, cauli similes. *Ramuli* filiformes, sparsi, frequentissimi, ultimi sensim breviores et brevissimi, erecto-patentes, virgati. *Folia* in ramis et ramulis frequentissima, omnium brevissime petiolata, obtusa, plana, integra, laevia, imbricato-erecta, suprema minora, lineam longa. *Flores* in ultimis ramulis paniculatis albi, glabri, racemulis ovatis.

16. P. (*imbricata.*) foliis ovatis, cordatis, glabris; flori-

bus racemosis. *Prodr.* p. 45. BECKEA *cordata. Burman.* Prod. Afric. p. 12. *Willd.* Spec. Plant. I. 2. p. 1112.

Frutex erectus, fusco-ferrugineus; hirtus, pedalis et ultra. *Rami* et ramuli filiformes, aggregato-subverticillati, hirti, erecto-patuli, virgati. *Folia* sparsa, brevissime petiolata, obtusiuscula, rarius subciliata, imbricata, lineam longa. *Flores* in ultimis ramis paniculatis albidi, glabri.

17. P. (*plumosa.*) foliis lineari-lanceolatis, subpubescentibus; bracteis lanatis; spicâ oblongâ. *Prodr.* p. 45. PHYLICA *plumosa. Linn.* Spec. Pl. p. 263. Syst. Veget. XIV. p. 235 *Willd.* Spec I. 2. p. 1109.

Crescit in collibus infra Taffelberg et alibi. Floret Majo, Junio, Julio.

Frutex erectiusculus, debilis, cinereo-fuscus, pedalis et ultra. *Rami* et ramuli alterni, pauci, remoti, flexuoso-erecti. *Folia* sparsa, approximata, breviter petiolata, acuta; supra obsolete sulcata, viridia, subtus albo-tomentosa marginibus reflexis, subsecunda, patentia, unguicularia vel paulo longiora. *Flores* in ramulis terminales, spicati, bracteis cincti. *Bracteae* seu folia suprema lineari-lanceolata, villo cinereo-albo, floribus multo longiores, patentes, unguiculares.

18. P. (*capitata.*) foliis lineari-lanceolatis, villosis; bracteis lanatis; capitulis terminalibus. *Prodr.* p. 45. PHYLICA *capitata. Willd.* Spec. I. 2. p. 1109.

Crescit in collibus, montibus, rarior. Floret mediâ in his terris aestate.

Frutex flexuoso-erectus, subsimplex vel rarius ramosus, rufescens, infra pubescens, supra hirsutus, ramosus, pedalis et ultra. *Rami* pauci, alterni, cauli similes, breves. *Folia* subsessilia, lanceolata, acuta, imbricata, apice patula, subtus tomentosa margine revoluto, sesquiunguicularia. *Capitula* globosa, magnitudine castaneae. *Bracteae* capitulum obvallantes, lanceolatae, pollicares.

19. P. (*rosmarinifolia.*) foliis ellipticis, subtus tomentosis; floribus racemosis.

Caulis fruticosus, erectus, pubescens, ramosus, bipedalis et ultra. *Rami* sparsi, simplices, filiformes, tomentosi, virgati, breves. *Folia* alterna, brevissime petiolata, acuta, integra margine revoluto, supra glabra, subtus albo-tomentosa, patentia, inaequalia, unguicularia, usque pollicaria. *Flores* in axillis foliorum, sessiles.

20. P. (*paniculata.*) foliis ovatis, mucronatis; supra nitidis; racemis paniculatis. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1112.

Frutex basi decumbens, dein erectus, ramosus. *Rami* flexuoso-erecti, laxi, interdum reflexi, supremi virgati. *Folia* breviter petiolata, acuta, integra; supra glabra, viridia; subtus albo-tomentosa, reflexa, inaequalia, unguicularia. *Flores* in ultimis ramulis axillares inter folia.

21. P. (*globosa.*) foliis ovatis, concavis, glabris; capitulis solitariis.

Frutex erectus, ramosus. *Rami* pauci, alterni, simplices, villosi. *Folia* sparsa, breviter petiolata, integra, supra concava, subtus carinata, imbricata, lineam longa. *Capitula* terminalia, magnitudine pisi.

22. P. (*buxifolia.*) foliis cordato-ovatis, obtusis, subtus tomentosis; capitulis terminalibus. *Prodr.* p. 45. PHYLICA *buxifolia. Linn.* Spec. Pl. p. 283. Syst. Veg. XIV. p. 235. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1111.

Crescit in collibus infra Montem Tabularem, in ipso Monte Taffelberg, Leuweberg et Duyvelsberg, alibique. Floret Junio et sequentibus mensibus.

Frutex erectus, cinereo-fuscus, bipedalis et ultra. *Rami* et ramuli sparsi, saepe verticillati, erecto-patentes, subfastigiati, infra villosi, supra tomentosi. *Folia* sparsa, frequentia, petiolata; supra plana, muricata, pubescentia; subtus margine revoluta, albo-tomentosa; inferiora majora, superiora minora, subunguicularia. *Petioli* foliis multoties breviores, tomentosi. *Capitula* nuce avellanâ majora, tomentosa. PHYLICA *cordata, dioica* et *buxifolia* valde similes et affines sunt.

23. P. (*callosa.*) foliis cordato-ovatis, acutis, subtus tomentosis; capitulis terminalibus. *Prodr.* p. 45. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1112.

Frutex erectus, pedalis et ultra. *Rami* sparsi, flexuoso-erecti, virgati, pubescentes. *Folia* subsessilia, cordata, oblonga; supra scabra, fusca; subtus albo-tomentosa, margine revoluta, patenti-reflexa, unguicularia. *Capitala* magnitudine pisi.

24. P. (*spicata.*) foliis ovatis, acuminatis, subtus tomentosis; spicis cylindricis. *Prod.* p. 45. PHYLICA *spicata. Linn.* Suppl. p. 153. Syst. Veg. XIV. p. 235. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1111.

Crescit in Monte Paardeberg. Floret Augusto.

Frutex erectus, cinereo-villosus, pedalis et ultra. *Rami* pauci, versus summitates aggregati, subumbellati, subsimplices, purpurascentes, cinereo-pubescentes. *Folia* sparsa, breviter petiolata, sagittato-ovata; supra viridia, tenuissime villoso-scabra; subtus albo-tomentosa; integra margine revoluto, imbricato-erecta, unguicularia. *Spicae* terminales, lanatae, digitum crassae, pollicares.

CXXXVIII. BRUNIA.

Flores aggregati. Filamenta unguibus petalorum inserta. Stigma 2-fidum. Sem. solitaria, bilocularia.

1. B. (*laevis.*) foliis linearibus, convexis, incurvis; capitulis terminalibus. *Dissert. de Brunia.*

Frutex erectus, ramulosus. *Rami* et ramuli breves, subter-

nati. *Folia* sparsa, sessilia, obtusa, integra, imbricata, laevia, subtomentosa, vix lineam longa. *Capitulum* tomentosum, nuce avellanâ majus.

2. B. (*nodiflora.*) foliis trigonis, incurvis, acutis; floribus in ramis lateralibus terminalibus. *Prodr.* p. 41. Brunia *nodiflora. Linn.* Sp. Pl. p. 288. Syst. Veg. XIV. p. 240. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1141.

Crescit in collibus infra montes prope Kap vulgatissima, in Groene Kloof, Swartland et alibi. Floret Junio et insequentibus mensibus.

Caulis fruticosus, fere orgyalis, erectus, ramosus. *Rami* cinereo-fusci, glabri, teretes, remote foliosi, ramulosi. *Ramuli* sparsi, et subverticillati, patenti-erecti, foliis imbricatis tecti. *Folia* sessilia, quinquefariam imbricata, acutiuscula, integra, glabra, internodiis, longiora, basi latiora, vix lineam longa. *Floram* capitula globosa, hirsuta.

3. B. (*globosa.*) foliis trigonis, incurvis; capitulo terminali.

Frutex erectus, ramulosus. *Rami* filiformes, erecti, foliis tecti. *Folia* quinquefariam subverticillata, acuta, imbricata, villosa, vix lineam longa. *Capitulum* glabrum, nuce fere majus.

4. B. (*deusta.*) foliis trigonis, apice nigris, glabris; capitulis terminalibus.

Frutex erectus, cinereo-fuscus, glaber, superne ramosus, pedalis et ultra. *Rami* sparsi, frequentes, filiformes, erecti, subfastigiati, parum ramulosi. *Folia* sparsa, brevissime petiolata, obtusa, imbricato-patula, vix semilineam longa. *Capitula* glabra, magnitudine pisi.

5. B. (*lanuginosa.*) foliis trigonis, patulis, apice fuscis; capitulis globosis, fastigiatis. *Prodr.* p. 41. Brunia *lanuginosa. Linn.* Spec. Pl. p. 288. Syst. Veget. XIV. p. 240. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1142.

Crescit prope Cap et alibi in montibus. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Caulis fruticosus, erectus, tripedalis et ultra. *Rami* teretes, cinerei, scabri, flexuosi. *Ramuli* sparsi, frequentes, virgati, supremi fastigiati, laxi, foliis tecti. *Folia* sessilia, vix petiolata, apice fusco callosa obtusa, supra unisulcata, subtus bisulca, glabra, imbricata, apice patula, lineam longa. *Flores* in ramulis supremis terminales, globosi, magnitudine pisi.

6. B. (*comosa.*) foliis trigonis, glabris, patulis; capitulis terminalibus et axillari-sessilibus.

Caulis fruticosus, totus excepto flore glaber, teres, a casu foliorum nodulosus, erectus, ramulosus, tripedalis et ultra. *Rami* et ramuli verticillati, quaterni et terni, fastigiati, cauli similes. *Folia* sparsa, brevissime petiolata, obtusa, apice ustulato, integra, patentia, lineam longa. *Petioli* folio quadruplo

breviores, adpressi, pallidi. *Capitula* in ramulis solitaria, magnitudine pisi. *Calyx* pallidus. *Flos* hirsutus lanugine densa.

7. B. (*capitella.*) foliis trigonis, glabris, ustulatis; capitulis terminalibus et axillaribus.

Frutex erectus, glaber, ramulosus, tripedalis et ultra. *Rami* et ramuli verticillati, tres et quatuor, filiformes, scabri, erecti, fastigiati. *Ramuli* ultimi tomentosi *Folia* sparsa, et subverticillata, patentia, lineam longa. *Capitula* in ramulis hirsuta, magnitudine pisi.

8. B. (*verticillata.*) foliis trigonis, obtusis, glabris; capitulis terminalibus; ramulis verticillatis, fastigiatis. Prod. p. 41. Brunia *verticillata. Linn.* Suppl p. 156. Syst. Veget. XIV. p. 241. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1142.

Crescit in summitate montis Rode Sand supra Waterfall. Floret Octobri.

Caulis fruticosus, erectus, glaber, tripedalis et ultra. *Rami* et ramuli verticillati, fastigiati, erecti, foliis imprimis superne tecti. *Folia* sparsa, petiolata, recta, erecto-imbricata, obtusa apice nigro, integra, vix lineam longa. *Petioli* flavescentes, adpressi, foliis duplo breviores. *Capitula* in ramulis terminalia, piso minora.

9. B. (*squarrosa.*) foliis lanceolatis, ustulatis, reflexis; capitulis hirsutis, terminalibus.

Frutex erectus, glaber, ramosus. *Rami* rufescentes, inferne glabri, superne tomentosi, flexuoso-erecti, laxi, simplices. *Folia* brevissime petiolata, subquaterna, acuta, apice ustulato, glabra, unguicularia. *Capitula* aggregata, piso minora.

10. B. (*alopecuroidea.*) foliis trigonis, acutis, glabris; capitulis lateralibus, globosis, glabris.

Frutex erectus, glaber, ramosus, pedalis. *Folia* sparsa, incurva, imbricata, lineam longa. *Capitula* subracemosa in ultimis ramulis, piso duplo minora.

11. B. (*laxa.*) foliis trigonis, glabris; floribus spicatis, glabris.

Crescit in interioribus provinciis.

Frutex erectus, glaber, ramosus, bipedalis. *Rami* sparsi, aggregati, filiformes, parum ramulosi, laxi, virgati, glabri. *Folia* sparsa, obtusa, frequentia, adpressa, imbricata, lineam longa. *Flores* in apicibus ramulorum albidi.

12. B. (*paleacea.*) foliis trigonis, apice fuscis; paleis capitulorum coloratis. Prod. p. 41. Brunia *paleacea. Linn.* Mant. p. 559. Syst. Veg. XIV. p. 240. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1142.

Caulis fruticosus, erectus, bipedalis et ultra, ramulosus. *Rami* et ramuli sparsi, erecti, foliis tecti. *Folia* sessilia, apice acuto parum incurva, quinquefariam imbricata, subvillosa, in-

ternodiis longiora, lineae longitudine. *Flores* in ramis supremis terminales. *Bracteae* et paleae trigonae, apice fusco acutae, erectae, coloratae, capitulo longiores.

13. B. (*abrotanoides.*) foliis lanceolatis, glabris, squarrosis; capitulis subfastigiatis. Prodr. p. 41. Brunia *abrotanoides. Linn.* Spec. Pl. p. 288. Syst. Veget. XIV. p. 240. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1143.

Caulis fruticosus, cicatricibus foliorum scaber, teres, striatus glaber, ramosus. *Rami* sparsi, supremi, subfastigiati, foliis tecti, infra glabri, superne pilosi. *Folia* sparsa, frequentia, brevissime petiolata, apice fusca, recurvato-squarrosa, internodiis longiora, subcarinata, integra, lineam longa. *Flores* in ramulis terminales, capitati, magnitudine pisi.

14. B. (*microphylla.*) foliis ovato-trigonis, carnosis, glabris; capitulis terminalibus; ramis divaricatis.

Crescit in interioribus et remotioribus provinciis.

Frutex erectus, fuscus, ramulosus, pedalis. *Rami* alterni, cauli similes. *Ramuli* aggregati, plurimi, incurvi, subfastigiati, brevissimi, iterum ramulosi. *Folia* sessilia, laevia, dense imbricata, brevissima. *Capitula* villosa, alba, piso minora.

15. B (*phylicoides.*) foliis ovatis, convexis, imbricatis; capitulis terminalibus, hirsutis.

Caulis fruticosus, totus foliis tectus, flexuoso-erectus, ramulosus. *Rami* et ramuli verticillati, villosi, breves. *Folia* sessilia, obtusa, crassa, extus convexa, villosa, lineam longa. *Capitula* lanata, magnitudine pisi.

CXXXIX. STAVIA.

Cor. supera 5-petala. Stam. calyci inserta. Stylus bifidus.

1. S. (*glutinosa.*) foliis lineari-lanceolatis, trigonis, patulis; radio calycis colorato, capitulo longiore. *Prod.* p. 41. Brunia *glutinosa. Linn.* Mant. p. 210. Syst. Veg. XIV. p. 240. Stavia *glutinosa. Willd.* Spec. I. 2. p. 1144. Dahl. Dissert. p. 17.

Crescit in summo Taffelberg satis copiose cum sequente. Floret Majo et Junio.

Caulis fruticosus, erectus, glaber, tripedalis et ultra. *Rami* et ramuli subverticillati, teretes, fusco-purpurascentes, incurvato-erecti, subfastigiati, glabri. *Folia* sparsa, in ramulis frequentiora, petiolata, integra, acuta apice saepius fusco, patentia, inferiora glabra, superiora villosa, unguicularia. *Petioli* flavescentes, foliis pluries breviores. *Flores* terminales in ramulis, magnitudine fere Cerasi. *Radius* foliolis trigonis, patulo-reflexis, flavescentibus, apice deustis, capitulo longioribus.

2. S. (*radiata.*) foliis lanceolato-trigonis, patulis; calycis radio colorato, capitulo breviore. *Prod.* p. 41. Phylica

radiata. Linn. Spec. Pl. p. 283. BRUNIA *radiata. Linn.* Syst. Veg XIV. p. 240. STAVIA *radiata. Dahl.* Dissert. p. 15. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1144.

Crescit in campis arenosis inter urbem Kap, et montium series, in summo etiam Taffelberg, copiosissime. Floret Majo, Junio, ceterisque mensibus.

Caulis fruticosus, inferne simplex, superne magis magisque ramosus, erectus, bipedalis et paulo ultra. *Rami* trichotomi, fusco cinerei, scabri, glabri. *Ramuli* trichotomi et superne dichotomi, filiformes, laxi, inferne glabri, superne villosi, erecti, subfastigiati. *Folia* sparsa, petiolata, acuta apice fusco, subimbricato-approximata, apice patula, inferiora glabra, superiora villosa, lineam longa. *Flores* terminales, in supremis ramulis, piso minores. *Calycis* radius albus: apice foliolis patulis, deustis, capitulo brevioribus. *Usus:* pro foco alendo lignum.

CXXXX. THESIUM.

Cal. 1-*phyllus, cui stamina inserta.* *Nux infera*, 1-*sperma.*

1. T. (*spinosum.*) foliis subulatis, spinosis; floribus axillaribus. *Prod.* p. 45. *Dissert. de Thesio.* THESIUM *spinosum. Linn.* Suppl. p. 161. Syst. Veg. XIV. p. 250. *Willd.* Spec. I 2. p. 1217.

Crescit in Saldanha bay, juxta Companies post. Floret Septembri, Octobri.

Frutex totus glaber, teres, cinereo-albus, decumbens. *Rami* alterni, cauli similes. *Ramuli* secundi, angulati, ultimi filiformes, flexuosi, virides, frequentes, diffusi, iterum ramulosi. *Folia* sparsa, frequentia, sessilia, trigona, spinâ terminali flavescente, horizontaliter patentia, vix lineam longa. *Flores* in axillis foliorum pedunculati, solitarii *Nux* globosa, cinerea, unilocularis.

2. T. (*imbricatum.*) foliis trigonis, acutis, serrato-scabris; floribus terminalibus, solitariis.

Caulis fruticosus, rigidus, flexuosus, fuscus, scaber, ramosus, palmaris vel ultra parum. *Rami* alterni, flexuosi seu retroflexi, cauli similes, iterum ramulosi, subfastigiati. *Folia* sparsa, sessilia, glabra, imbricato-patula, frequentia, semilineam longa. *Flores* in ramulis.

3. T. (*fragile.*) foliis trigono-ovatis; caule angulato, floribus axillaribus. *Prodr.* p. 45. THESIUM *fragile. Linn.* Suppl. p. 162. Syst. Veg. XIV. p. 250. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1215.

Crescit in Saldanha bay, et arenosis Helenae bay. Floret Septembri.

Fruticulus totus glaber, erectus, virescens, angulatus angulis pallidioribus, fragilis, pedalis vel ultra. *Rami* et ramuli sparsi, superne frequentiores, erecto-patentes, cauli similes.

Folia sparsa, sessilia, remota, inermia, integra, dorso decurrentia, minutissima, vix lineam dimidiam longa. *Flores* in ramulis in axillis foliorum sessiles, minuti.

4. T. (*spicatum.*) foliis ovato-trigonis; caule erecto; floribus imbricato-spicatis. THESIUM *spicatum*. *Linn.* Mant. p. 214. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1214.

Caulis frutescens, subangulatus, prolifer. *Folia* subulata *), laevia, minutissima. *Spica* obovata, pollicaris.

Obs. Caulis in hoc strictior, quam in *funali.*

5. T. (*scabrum.*) foliis trigonis imbricatis, scabris; caule tereti; floribus terminalibus. *Prod.* p. 45. THESIUM *scabrum*. *Linn.* Sp. Pl. p. 302. Syst. Veget. XIV. p. 249. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1215.

Crescit in summo Monte Middelste Roggefeld. Floret Septembri, Octobri.

Frutex teres, fuscus, flexuoso-erectus, a casu foliorum nodosus, parvus, spithamaeus, ramulosus. *Rami* et ramuli cauli similes, divaricato-patentes, sensim breviores, summi fastigiati. *Folia* frequentissima, subverticillata, sessilia, trigono-subulata, ciliato-scabra, apice patula, vix lineam longa.

6. T. (*capitatum.*) foliis trigonis, mucronatis, laevibus; capitulis terminalibus; bracteis ciliatis. *Prod.* p. 46. THESIUM *capitatum*. *Linn.* Spec. Pl. p. 302. Syst. Veg. XIV. p. 249. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1214.

Crescit in lateribus Taffelberg. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Frutex erectus, teres, fuscus, nodulosus, bipedalis et ultra. *Rami* subumbellato-aggregati, elongati, striati. *Ramuli* versus apices ramorum aggregati, subumbellati, virgati. *Folia* sparsa, frequentia, sessilia, decurrentia, trigono-lanceolata, integra, inferiora reflexa, suprema imbricato-patula, unguicularia. *Flores* in apicibus ramulorum spicati. *Spica* subglobosa. *Bracteae* ovatae, margine membranaceae. *Corollae* barbatae.

7. T. (*funale.*) foliis lineari-lanceolatis, acutis; ramis striatis, elongatis; floribus subspicatis. *Prod.* p. 45. THESIUM *funale*. *Linn.* Spec. p. 302. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1213.

Crescit in collibus prope Kap, infra Taffelberg, inque ejus lateribus prope Constantiam, alibique. Floret Majo, Junio.

Fruticulus brevissimus, ramis filiformibus, laxis, rarius ramosis apice, teretibus, tenuissime striatis, patenti-erectis, glabris, spithamaeis. *Folia* sparsa, remota, sessilia, lanceolata, basi adpressa, apice patentia, integra, glabra, lineam longa vel ultra. *Flores* in ramis subverticillato-aggregati. *Spica* vel densa, vel remotis floribus interrupta, bracteata, pollicaris et ultra. *Bracteae* ovatae, acutae. *Corollae* barbatae.

Obs. Valde affinia sunt T. funale et spicatum, sic ut mihi videantur unum

*) Supra *ovato-trigona*. *Editor.*

idemque, varians: 1. caulibus elongatis et apice ramosis; 2. spicâ densiori et tenuiori.

8. T. (*frisea.*) foliis lineari-lanceolatis; caule decumbente; floribus spicatis. *Prod.* p. 46. THESIUM *frisea. Linn.* Mant. p. 213. Syst. Veget. XIV. p. 249. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1213.

Crescit in maritimis sabu losis prope exitum Verlooren Valley. Floret Octobri.

Radix descendens, longa, fibrosa. *Planta* tota carnosa, decumbens, apicibus florentibus erectis. *Caules* e radice plurimi, filiformes, ramosi et simplices, saepe radicantes, palmares usque pedales. *Rami* alterni, elongati, teretes, obsolete striati, prostrati, glabri, rarius ramulosi. *Folia* alterna, subpetiolata, valde crassa, subtus convexa, supra plana, oblongo-lanceolata, integra, frequentia, patentia, unguicularia. *Petiolus* brevissimus vel vix ullus. *Spicae* florum terminales, ovatae. *Corolla* barbata.

9. T. (*strictum.*) foliis lanceolatis, decurrentibus; floribus terminalibus, subumbellatis. *Prodr.* p. 45. THESIUM *strictum. Linn.* Mant. p. 214. Syst. Veget. XIV. p. 249. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1214.

Crescit in collibus prope urbem inque montibus variis. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Fruticulus erectus, fuscus, totus glaber, pedalis et ultra. *Rami* sparsi, elongati, subsimplices vel apice ramulosi, subangulati, fusci, subfastigiati. *Folia* remota, sparsa, sessilia, integra, glabra, supra plana, subtus convexa, basi adpressa, apice patula, lineam longa. *Flores* in apicibus ramorum subumbellati, vel paniculati. *Nux* globosa, cinerea, reticulata. *Maltum* variat: 1. foliis frequentioribus et remotis. 2. caule magis vel minus paniculato.

10. T. (*lineatum.*) foliis lanceolatis, remotis; ramis striatis, erectis. Prod. p. 45. THESIUM *lineatum. Linn.* Suppl. p. 162. Syst. Veg. XIV. p. 250. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1212.

Crescit in Carro infra Bockland. Floret Octobri.

Caulis fruticosus, totus glaber, striatus, aphyllus, erectus, pedalis et ultra. *Rami* et ramuli alterni, cauli similes, divaricato-patuli, foliosi, virentes. *Folia* sparsa, sessilia, ultima lanceolato-subulata, integra, glabra, erecto-patentia, lineam longa.

11. T. (*paniculatum.*) foliis lanceolatis, remotis; ramis angulatis, diffusis; floribus terminalibus. *Prodr.* p. 45. THESIUM *paniculatum. Linn.* Mant. p. 51. Syst. Veg. XIV. p. 250. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1215.

Crescit in Monte Bockland. Floret Septembri, Octobri.

Fruticulus totus decumbens, brevis, ramulosus. *Rami* et ramuli alterni, copiosissimi, paniculati, filiformes, et capillares, subangulato-striati, pubescenti-scabridi, rufo-fuscescentes.

Folia sparsa, sessilia, inermia, reflexo-patentia, lineam longa. *Flores* in ultimis ramulis terni vel plures, sessiles.

12. T. (*squarrosum.*) foliis lanceolatis, reflexis; floribus axillaribus, pedunculatis. *Prodr.* p. 46. THESIUM *squarrosum. Linn.* Suppl. p. 162. Syst. Veget. XIV. p. 250. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1213.

Crescit in interioribus Africae regionibus.

Frutex erectus, totus glaber, teres, cinereus, pedalis *Rami* et ramuli sparsi, frequentes, filiformes, striati, paniculati, virgati. *Folia* sparsa, sessilia, acuta, integra, patentia et reflexa, vix lineam longa. *Flores* solitarii, breviter pedunculati.

13. T. (*triflorum.*) foliis lanceolatis; caule angulato; pedunculis trichotomis. *Prodr.* p. 46. THESIUM *triflorum. Linn.* Suppl. p. 162. Syst. Veget. XIV. p. 250. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1216.

Crescit in Kraka Kama. Floret Novembri, Decembri.

Frutex erectus, totus glaber, pedalis. *Rami* sparsi, subsecundi, angulati, patentes. *Folia* ovato-lanceolata, acuta, plana, integra, glabra, patentia, unguicularia, superioribus sensim minoribus. *Flores* in ramis alterni, paniculati. *Panicula* trichotoma, divaricata.

14. T. (*euphorbioides.*) foliis ovatis, acutis, carnosis; ramis dichotomis; floribus terminalibus. *Prodr.* p. 46. THESIUM *euphorbioides. Linn.* Mant. p. 214. Syst. Veg. XIV. p. 250. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1216.

Crescit in montibus prope Platte Kloof, Hottentots Hollandsberg et aliis. Floret Decembri, Januario.

Frutex erectus, totus, glaber fusco rufescens angulatus, pedalis et ultra. *Rami* cauli similes, dichotome alterni, erecti. *Folia* alterna, sessilia, subrotundo-ovata, integra, plana, imbricata, unguicularia. *Flores* in ramis subpaniculati. *Panicula* triflora. *Bracteae* foliis similes. *Nuces* angulatae.

15. T. (*colpoon.*) foliis ovatis, mucronatis; ramis trichotomis; paniculis terminalibus. *Prodr.* p. 46. THESIUM *colpoon. Linn.* Suppl. p. 161. Syst. Veg. XIV. p. 250. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1216.

Crescit in collibus infra Taffelberg versus occidentem et alibi, satis vulgare. Floret Majo et sequentibus mensibus.

Frutex erectus, totus glaber, bipedalis et ultra. *Rami* trichotomi uti et ramuli, compresso-angulati, erecti, virescentes. *Folia* petiolata, acuminata, integra, plana, erecto-patula, pollicaria. *Petioli* trigoni, vix lineam dimidiam longi. *Flores* in apicibus ramulorum paniculati. *Panicula* trichotoma, decomposita. *Nux* ovata, laevis.

CXLI. CARISSA.

Cor. 1-petala. Stigma bifidum. Bacca 2-locularis. Sem. solitaria.

1. C. (*Arduina.*) spinis bis bifidis. Arduina *bispinosa*. *Linn.* Mant. p. 52. Syst. Veget. XIV. p. 236. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1117.

Hottentottis: Nom Nom. Crescit inter frutices in montibus et collibus variis, vulgaris. Floret Novembri et sequentibus mensibus.

Caulis fruticosus, totus glaber, quadripedalis vel paulo ultra. *Rami* et ramuli oppositi, teretes, virides, divaricati; ultimi ramuli compressiusculi. *Spinae* oppositae, rigidae, tereti-subulatae, virides, divaricati, pollicares; superioribus minoribus. *Folia* opposita, petiolata, ovata, acuta, integra, margine reflexo, nervosa, glabra, inaequalia, subpollicaria. *Flores* in ultimis ramulis verticillati, albi. *Fructus* rubri, Hottentottis edules.

CXLII. VITIS.

Petala apice cohaerentia, emarcida. Bacca 5-*sperma, supera.*

1. V. (*capensis.*) foliis quinquangularibus, dentatis, subtus ferrugineo-tomentosis; floribus subcapitatis. *Prod.* p. 44.

Crescit in sylvis hinc inde. Floret Octobri et sequentibus mensibus.

Caulis teres costis obsoletis, geniculatis, flexuosus, scandens, cinereus, punctatus, glaber, indeterminatus. *Rami* alterni, cauli similes, divaricati, apice tomentosi. *Folia* alterna, petiolata, subcordata, 5- vel 7-angulata, palmam fere magna, superioribus sensim minoribus. Folia adultiora saepe omnino glabra dentibus rotundatis, rugoso-venosa; juniora et superiora imprimis subtus ferrugineo-tomentosa dentibus acutis. *Petioli* semiteretes, inferiores glabri, supremi tomentosi, patentissimi, longitudine foliorum. *Flores* axillares, aggregato-subcapitati. *Capitula* pedunculata pedunculis tomentosis unguicularibus. *Pedicelli* floseculorum brevissimi, tomentosi. *Bacca* globosa, piso major. Differt a Cisso *Vitiginea*, cui similis: 1. foliis 5-angularibus, subtus ferrugineis. 2. floribus glomeratis, subsessilibus. 3. fructu globoso.

2. V. (*cirrhosa.*) foliis ternatis, villosis; foliolis ovatis, serratis *Prodr.* p. 46.

Crescit prope sylvas juxta van Stades et Söndags rivier. Floret Decembri et subsequentibus mensibus.

Tota planta succulenta. *Caulis* carnosus, compressiusculus, cinereus, flexuoso-scandens, villosus. *Rami* alterni, divaricati, cauli similes. *Folia* alterna, petiolata, inferiora majora, superiora sensim minora. Foliola obovata, acuta, serraturis acutis, subtus pallidiora, pollicaria. *Petioli* compressi, pubescentes, foliis paulo breviores. *Stipulae* in geniculis sub foliis binae, oppositae, sessiles seu amplexicaules, subrotundae, integrae. *Cirrhi* geniculorum simplices. *Flores* paniculati. *Paniculae* e geniculis laterales, patentissimae. *Perianthium* 1-phyllum, subintegrum vel vix perspicue 4-dentatum, brevissimum, persistens. *Corolla* ante aperturam subquadrata, truncata, cruciata; florens

4-petala, alba. Petala ovata, obtusa; concava, apice inflexo-fornicato, antheras fovente; decidua, semilineam longa. *Filamenta* 4, receptaculo inserta, linearia, subulata, alba, cum nectariis alternantia, longitudine corollae. *Antherae* ovatae, didymae, flavae. *Nectarii* glandulae 4, receptaculo seu lateribus germinis insertae, subquadratae, truncatae, intra petala sitae, calyce paulo longiores. *Germen* superum. *Stylus* unicus, subulatus, erectus, longitudine petalorum. *Stigma* simplex, truncatum, subtrifidum. *Bacca* ovata, calyce inferne styloque coronata, succulenta, virescens, hirsuta. *Duplex* varietas: a. glabra caule, foliis, fructibus. b. villosa caule, foliis fructuque.

Obs. CISSUS et VITIS cum varient numero staminum et seminibus Baccae, idem constituere debent Genus, nec separari merentur.

CXLIII. CHIRONIA.

Cor. rotata. Pistillum declinatum. Stam. tubo corollae insidentia. Antherae demum spirales. Pericarpium 2 loculare.

1. C. (*baccifera.*) foliis lineari-lanceolatis; fructu baccato. CHIRONIA *baccifera. Prodr.* p. 35. *Linn.* Spec. Pl. p. 273. Syst. Veg. XIV. p. 229. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1070.

Crescit in collibus prope Kap, extra urbem et alibi vulgaris. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Radix perennis. *Caulis* fruticosus, totus glaber, subtetragonus, ramosissimus, bipedalis et ultra. *Rami* et ramuli alterni, sexangulati, virentes, virgati, divaricato-patuli. *Folia* opposita, sessilia, decurrentia supra convexiuscula sulco longitudinali, subtus concaviuscula marginibus reflexis costâque elevatâ, integerrima, glabra, decussata, horizontaliter patentia, internodiis longiora, subpollicaria. *Flores* in ultimis ramulis terminales, solitarii, flavi. *Perianthium* 1-phyllum, ad basin fere 5-partitum, glabrum, persistens; laciniae ovatae, acutae, supra convexae, subtus costâ carinatae, viridia, lineâ breviora. *Germen* inferum. *Stylus* simplex, filiformis, erectus. *Stigma* obtusum. *Bacca* globosa, glabra, sanguinea, carnosa. *Semina* plurima, compressiuscula, subglobosa, atra, punctato-rugosa.

2. C. (*linoides.*) foliis linearibus, glabris; caule herbaceo, fastigiato. CHIRONIA *linoides. Prodr.* p. 35. *Linn.* Spec. Pl. p. 272. Syst. Veget. XIV. p. 229. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1070.

Crescit in regionibus graminosis trans Swellendam. Floret Octobri, Novembri.

Radix fibrosa, filiformis. *Caulis* uti tota planta, glaber, brevis, erectus, mox a radice ramosus, palmaris. *Rami* ab inferiori parte plantae elongati, frequentes, filiformes, dichotomi ramulis capillaribus, erecti, angulati, subfastigiati. *Folia* opposita, sessilia, lineari-subulata, integra, erecta, inferiora subpollicaria, superiora unguicularia. *Flores* in ramulis terminales, solitarii, purpurei. *Calycis* laciniae lanceolatae, corollâ

duplo breviores. Valde affinis Chironiae *lychnoidi*, cujus forsan sola varietas.

3. C. (*lychnoides.*) foliis lineari-lanceolatis, glabris; caule herbaceo; ramis patulis. *Prodr.* p. 35. Chironia *lychnoides*. *Linn.* Mantiss. p. 207. Syst. Veg. XIV. p. 229. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1068.

Crescit in summitate montis Hottentotts Holland. Floret Decembri, Januario.

Caulis uti tota planta glaber, subtetragonus, flexuoso-erectus, laxus, spithamaeus. *Rami* alterni, simplices, remoti, pauci, patentes vel cernui, cauli similes. *Folia* opposita, sessilia, utrinque attenuata, integra, patentia, pollicaria. *Flores* in ramis terminales, solitarii, purpurei. *Calycis* laciniae ovatae, acutae.

4. C. (*jasminoides.*) foliis lanceolatis, glabris; caule herbaceo, cernuo. *Prod.* p. 35. Chironia *jasminoides*. *Linn.* Sp. Pl. p. 272. Syst. Veget. XIV. p. 229. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1066.

Crescit in regionibus Swellendam. Floret Octobri, Novembri.

Caulis totus glaber, tetragonus, curvato-erectus, apice cernuus, parum ramosus, pedalis et ultra. *Rami* pauci, alterni, divaricato-patentes, simplices, cauli similes. *Folia* opposita, sessilia, apice marginibusque reflexis, utrinque glabra, integra, internodiis duplo breviora, patentia, vix pollicaria. *Flores* in ramis terminales, solitarii, purpurei. *Pedunculi* e ramis continuati, hexagoni, parum incrassati. *Calyx* angulatus: laciniis ovatis, acutis, erectis.

5. C. (*frutescens.*) foliis lanceolatis, tomentosis; caule fruticoso. *Prodr.* p. 35. Chironia *frutescens*. *Linn.* Spec. 273. Syst. Veget. XIV. p. 229. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1070.

Crescit in oris maritimis, in littore infra Leuwekopp, in montibus Hottentotts Holland et alibi, frequens. Floret ab Augusto ad Decembris usque mensem.

Radix perennis. *Caulis* subangulatus, ramosus, erectus, totus cinereo-tomentosus; pedalis et ultra. *Rami* lignosi, obsolete tetragoni, alterni, foliis deciduis annulati, ramulosi ramulis superne aggregatis, fastigiatis. *Folia* decussatim opposita, sessilia, obtusa cum acumine, integerrima, carnosa, frequentissima, erecta, subtomentosa, pollicaria vel paulo longiora. *Flores* in ramulis terminales, solitarii, magni. *Perianthium* inflatum, apice connivens, subtomentosum, semiquinquefidum: laciniae oblongae, concavae, acutae. *Corolla* 1-petala, tubulosa. Tubus cylindricus, ampliatus, albus, rugosus, longitudine calycis, unguicularis. Limbus campanulato-patens, quinquepartitus: laciniae ovatae, obtusae cum acumine, membranaceae, pollicares. *Filamenta* 5, tubo corollae infra faucem insertae, linearia, erecta, alba, limbo triplo breviora. *Antherae* oblongae, flavae, spiraliter tortae. *Germen* superum, acutum, glabrum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum, utrin-

que sulco longitudinali notatus, albus. *Stigma* simplex, obtusum, didymum, incurvatum, villosum, album. *Capsula* oblonga, compressa, acuta, didyma, glabra, bivalvis.

Obs. Cum valde variare deprehendatur Genus GENTIANAE, facile ad illud referi posset CHIRONIA, vel etiam GENTIANAE in plura, non Naturalia Genera, lacerandae.

6. C. (*nudicaulis.*) foliis ellipticis, obtusiusculis, glabris; caule herbaceo; calycibus subulatis. *Prodr.* p. 35. CHIRONIA *nudicaulis. Linn.* Suppl. p. 151. Syst. Veg. XIV. p. 229. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1066.

Crescit in summitate Taffelberg. Floret Januario, Februario.

Caulis totus glaber, mox a radice ramosus. *Rami* subradicales, frequentes, sparsi, simplices, elongati, raro superne divisi, laxi, flexuoso-erecti, subtetragoni, pedales. *Folia* opposita, sessilia, oblonga, integra; inferne aggregata, pollicaria; superne remotissima; suprema lanceolata. *Flores* in ramis terminales, solitarii, purpurei. *Calycis* laciniae lanceolatae, elongato-subulatae, erectae, longitudine tubi corollae. Differt a CHIRONIA *trinervia:* 1. foliis obtusioribus. 2. ramis elongatis. 3. calyce subsetaceo.

7. C. (*tetragona.*) foliis ovatis, glabris; caule suffruticoso; calycibus ovatis, carinatis. *Prod.* p. 35. CHIRONIA *tetragona. Linn.* Suppl. p. 151. Syst. Veget. XIV. p. 229. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1071.

Crescit prope Puspas rivier. Floret Octobri.

Caulis basi frutescens, totus glaber omnibus partibus. *Rami* radicales saepe plures, tetragoni, erecti, pedales, ramulosi. *Ramuli* alterni, tetragoni, flexuoso-erecti, fastigiati. *Folia* opposita, sessilia, obtusiuscula, integra, trinervia, frequentia, erecta, imbricata, internodiis longiora, unguicularia. *Flores* in ramulis terminales, solitarii, purpurei. *Calycis* laciniae ovatae, carinatae, viscosae. Differt a CHIRONIA *angulari* corollâ purpureâ, et imprimis calycis laciniis carinatis, ovatis.

CXLIV. ACHYRANTHES.

Cal. 5-phyllus. Cor. o. *Stigma 2-fidum. Sem. solitaria.*

1. A. (*aspera.*) foliis obovatis, acutis; fructibus reflexis. ACHYRANTHES *aspera. Prodr.* p. 45. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1191.

CXLV. AMARANTHUS.

♂. *Cal.* 3-5-*phyllus. Cor.* o. *Stam.* 3-5.

♀. *Cal. Cor. ut in* ♂. *Styli* 3. *Caps.* 1-*locularis, circumscissa. Sem.* 1.

1. A. (*albus.*) floribus glomeratis, axillaribus; bracteis

subulato-setaceis; foliis ovatis, excisis, mucronatis. *Prodr.* p. 45.

2. A. (*sanguineus.*) racemis compositis, erectis, lateralibus patulis; foliis ovato-oblongis. *Prod.* p. 45.

CXLVI. STRELITZIA.

Cor. 3-petala. Nectarium hastatum. Caps. trilocularis.

1. S. (*angusta.*) foliis simpliciter nervosis. *Prod.* p. 45. HELICONIA *alba. Linn.* Suppl. p. 157. Syst. Veg. XIV. p. 245.

Crescit in humidis umbrosis sylvis in Houtniquas in regionibus Pisang rivier. Floret Octobri, Novembri. Europaeis incolis: Witte Pisang.

Caulis simplex, vaginatus, crassitie brachii et ultra, altitudine circiter 18 pedum. *Folia* petiolata, erecta, vaginantia, lato ovata, obtusa, tenuia, tenuissime et simpliciter nervosa, glabra, integra, pedalia et ultra. *Petioli* teretes, striati. *Flores* intra Spatham plures, circiter duodecim, erecti, florentes primum in basi, continuata sensim florescentia ad apicem, sessiles intra spathas partiales. *Corolla* tripetala: Petala duo superiora approximata; inferius remotum, infra nectarium situm; ovato-lanceolata, acuminata, concava, integerrima, consimilia et aequalia, digitalia. *Nectarium* diphyllum, inter petala situm: folium superius minimum, concavum, alterum amplexans: apice obtusum, carinatum, crassiusculum, emarginatum, unguiculare: inferius petalis paulo brevius, genitalia includens. Carina dorsalis sulcata sulcis quatuor, a medio ad apicem hastatum: alis interne et superne marginibus elevatis, intra quas stamina et pistillum. *Filamenta* 5, filiformia, alba, longitudine dimidia hastae. *Antherae* lineares, longitudine hastae, eique longitudinaliter imprimis apice cohaerentes, albae. *Pollen* a latere antico album, viscidum. *Germen* infra receptaculum floris. *Stylus* longitudine hastae, filiformis, albus. *Stigma* cylindricum, viscosum, unguiculare, trifidum, extra apicem hastae exsertum, fuscum. *Capsula* sessilis in fundo spathae, ovata, trigona, glabra, trivalvis, trilocularis. *Semina* subglobosa, columnae affixa, plurima, alba, basi barbà cincta. *Corolla* tota alba, uti etiam Nectarium. *Spatha* horizontalis, connivens, continens plures spathas partiales, flores fructusque, multiflora, glabra. *Spathae* partiales, flores et fructum cingentes, concavae, lanceolatae, acutae, bruneae, gelatinà viscidae. *Gelatina* albida vel subflava. *Similis* valde MUSAE *paradisiacae.*

2. S. (*Reginae.*) foliis reticulato-nervosis. *Prod.* p. 46.

Europaeis: Geele Pisang. Crescit in montibus ad Kamtousrivier. Floret Octobri, Novembri.

Radix fibrosa. *Scapus* simplex, vaginatus, bipedalis, longitudine foliorum. *Folia* plura radicalia, petiolata, erecta, oblonga, obtusa, coriacea, tenuissime nervosa et reticulata, inferne undulata, integerrima, glabra. *Rhachis* crassa. *Petioli* teretes, inanes, striati, glabri, digitum crassi. *Corolla* aurantiaca. *Nectarium* coeruleum. *Florescentia* convenit cum priori. *Differt* a priori: minori mag-

nitudine, colore corollae et nectarii atque foliis crassioribus, acutioribus, reticulatis.

CXLVII. CELASTRUS.

Cor. 5-petala, patens. Caps. 3-angularis, 3-locularis. Sem. calyptrata.

* *inermes:*

1. C. (*filiformis.*) inermis; foliis lanceolatis, integris; ramis filiformibus; floribus axillaribus. *Prod.* p. 42. CELASTRUS *filiformis. Linn.* Suppl. p. 153. Syst. Veg. XIV. p. 237.

Crescit in sylvis variis. Floret Decembri, Januario.

Frutex erectus, scandens, totus glaber. *Rami* teretes, striato-rugosi, brunei. *Ramuli* oppositi, filiformes, flexuosi, laxi. *Folia* opposita, brevissime petiolata, subtus pallida, patentia, pollicaria. *Flores* in axillis foliorum solitarii vel pauci, subsessiles. *Corolla* 5-petala, patens, alba. *Stylus* simplex, stigmate capitato, obtuso.

2. C. (*crispus.*) inermis; foliis obovatis, obtusis, integris, undulatis; floribus axillaribus, umbellatis, hirtis.

Crescit in sylvis.

Caulis fruticosus, teres, erectus, ramosissimus. *Rami* alterni, cauli similes. *Ramuli* filiformes, pubescentes, flexuosi. *Folia* alterna, brevissime petiolata, oblongo-ovata, margine revoluto undulato, glabra, erecta, subpollicaria. *Umbellae* pauciflorae. *Pedunculi* foliis multo breviores.

3. C. (*obtusus.*) inermis; foliis obovatis, obtusis, integris; paniculâ axillari, simplici.

Caulis fruticosus, totus omnibus partibus glaber, ramosus. *Rami* teretes, purpurascentes. *Folia* alterna, brevissime petiolata, obtusissima, margine revoluto, crassa, erecta, pollicaria vel paulo ultra. *Paniculae* dichotomae.

4. C. (*laurinus.*) inermis; foliis oblongis, integris; paniculis axillaribus. *Prodr.* p. 42. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1124.

Crescit prope Kap infra latus occidentale Taffelberg, in Paardeneyland et alibi. Floret Majo, Junio.

Caulis frutescens, erectus, cinereo-fuscus, totus glaber, pedalis et ultra. *Rami* alterni, angulati, erecto-patentes. *Ramuli* angulati, laxi, purpurascentes. *Folia* alterna, subpetiolata, ovato-oblonga, obtusa, subexcisa, integerrima, erecta, coriacea, sempervirentia, supra saturatius viridia, subtus pallidiora, margine subrevoluta, pollicem lata, bipollicaria, inaequalia. *Petioli* crassi, brevissimi, lateribus decurrentes, purpurascentes. *Flores* axillares, paniculati. *Panicula* parum composita floribus ultimis subglomeratis. *Pedunculi* oppositi, tetragoni, semiunguiculares. *Pedicelli* sensim breviores. *Perianthium* 1-phyllum, corollâ duplo brevius, 5-partitum: laciniae ovatae, obtusiusculae, erectae. *Nectarii* sertum intus a Calyce formatum, complanatum, pro petalis excipiendis excisum, margine tenuissimo rufescente. *Petala* 5, suborbiculata, basi attenuata, remota

erecta, alba, semilineam longa. *Filamenta* 5, inter petala calyci inserta, subulata, petalis triplo breviora, alba. *Antherae* minimae, didymae, erectae, flavae. *Germen* superum. *Stylus* brevissimus vel nullus. *Stigma* obtusum, concavum, glabrum.

5. C. (*rostratus.*) inermis; foliis ovato-oblongis, integris; paniculis axillaribus; fructibus spinosis. *Prodr.* p. 42. *Willd.* Spec. Plant. I. 2. p. 1124.

Cressit in Sylvis prope rivier Zonder End juxta Zoete Melks valley. Defloruit mense Januario.

Caulis fruticosus, erectus, totus glaber. *Rami* alterni uti et ramuli, angulati, erecti. *Folia* alterna, petiolata, ovata et oblonga, obtusiuscula, laevia, parallelo-nervosa, inaequalia, patentia, pollicaria usque palmaria. *Petioli* semiteretes, semiunguiculares. *Pedunculi* dichotomi, divaricati. *Corollae* albae. *Capsula* subcarnosa, squamis compressis inermibus aculeata, ovato-globosa, glabra, trilocularis, magnitudine pisi. *Semen* in uno saepe loculamento, reliquis sterilibus.

6. C. (*lucidus.*) inermis; foliis ovatis, glabris, integris, marginatis; floribus axillaribus. *Prod.* p. 42. *Linn.* Mant. p. 49. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1123. *Meerburg* Pl. t. 12.

Crescit prope urbem Kap.

Frutex pedalis vel ultra, erectus, cinereo-fuscus, totus glaber, ramulosus. *Rami* alterni, similes nodosi. *Ramuli* alterni, superne angulati. *Folia* alterna, brevissime petiolata, ovata seu subrotunda, obtusa, margine revoluto, nervosa, lucida, inaequalia, unguicularia. *Flores* pedunculati. *Pedunculi* uniflori vel partiti. *Capsulae* fuscae, glabrae, trivalves et quadrivalves.

7. C. (*microphyllus.*) inermis; foliis ovatis, obtusis, integris; paniculis terminalibus. *Prodr.* p. 42. Celastrus *microphyllus. Linn.* Suppl. p. 154. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1123.

Frutex humilis, rigidus, flexuosus, cinereus, totus glaber. *Rami* alterni, cinerei, patentes, apice foliosi et floriferi, pollicares usque digitales. *Folia* alterna, breviter petiolata, approximata, subexcisa, patentia, unguicularia. *Flores* in ramis terminales, paniculati. *Panicula* dichotoma.

8. C. (*ellipticus.*) inermis; foliis obovatis, obtusis; paniculis axillaribus, simplicibus.

Incolis africanis: Kamassie-hout. Crescit hinc inde in sylvis. Floret mensibus aestivalibus.

Caulis fruticosus, curvato-erectus, totus glaber, ramulosus. *Ramuli* summi angulati. *Folia* breviter petiolata, opposita, ellipticolanceolata, obtusiuscula, integra, sesquipollicaria. *Flores* axillares, paniculati.

9. C. (*acuminatus.*) inermis; foliis ellipticis, acutis, crenatis; floribus axillaribus, subbinis. *Prodr.* p. 42. Celastrus *acuminatus. Linn.* Suppl. p. 154. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1126.

Caulis fruticosus, cinereus, erectus, totus glaber, tripedalis et ul-

tra. *Rami* alterni, similes cauli, ramulis angulato-striatis. *Folia* alterna, breviter petiolata, elliptico-ovata, obtusiuscula, inaequalia, unguicularia usque pollicaria. *Flores* e gemma solitarii, bini, terni, cernui, pedunculati. *Pedunculi* vix lineam longi, capillares.

10. C. (*procumbens.*) inermis; foliis ovatis, dentatis; floribus axillaribus; caule decumbente. Prodr. p. 42. Celastrus *procumbens. Linn.* Suppl. p. 153. Syst. Veget. XIV. p. 237. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1125.

Crescit in Dunis arenosis Musselbay alibique.

Frutex spithamaeus, glaber. *Rami* alterni, pauci, erecti, angulati. *Folia* alterna, breviter petiolata, acuta, spinoso-dentata, margine revoluta, supra pallide viridia, lucida; subtus pallidiora, patula, pollicaria. *Flores* pedunculati, subsolitarii. *Capsula* ovata, trilocularis et quadrilocularis.

11. C. (*undatus.*) inermis; foliis obovato-subcuneiformibus, undato-dentatis; floribus, axillaribus, sessilibus. Celastrus *undatus. Prodr.* p. 42. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1126.

Caulis fruticosus, cinereus, glaber, ramosus. *Rami* alterni, erecti, subangulati. *Folia* alterna, breviter petiolata, seu inferne attenuata in petiolos, obovata, seu subcuneata, acutiuscula et obtusa, inaequalia, basi integra, superne undata et dentata, reticulato-nervosa, pallida, pollicaria et ultra. *Flores* minuti.

** *armati.*

12. C. (*excisus.*) aculeatus; foliis orbiculatis, excisis, integris; pedunculis axillaribus, subumbellatis.

Caulis fruticosus, omnibus partibus glaber, angulatus, flexuoso-erectus, ramosus. *Rami* cauli similes, alterni, patentes, subreflexi, aculeati aculeis recurvis. *Folia* alterna, raro opposita, brevissime petiolata, rotundata, vix pollicaria. *Flores* axillares, subumbellati, brevissime pedunculati.

13. C. (*linearis.*) spinosus; foliis linearibus, integris; paniculis axillaribus. *Prodr.* p. 42. Celastrus *linearis. Linn.* Suppl. p. 153. Syst. Veg. XIV. p. 237. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1128.

Crescit in sylvis. Floret Novembri.

Caulis fruticosus, cinereus, glaber. *Rami* flexuosi, cinerei, spinosi. *Spinae* alternae, foliosae foliis deciduis, patentes, cinereae, bipollicares seu digitales. *Ramuli* pauci, obsolete angulati, erecti, virescentes. *Flores* paniculati, minuti, albi. *Paniculae* in axillis foliorum ramulorum, patulae.

14. C. (*integrifolius.*) spinosus; foliis ovatis, integris, reflexis; paniculis axillaribus. *Prodr.* p. 42. Celastrus *integrifolius. Linn.* Suppl. p. 153. Syst. Veget. XIV. p. 237. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1128.

Crescit in frutetis Carro trans Hexrivier. Floret Octobri.

Caulis fruticosus, spinosus, rigidus, glaber, ramosus. *Rami* alterni, cinereo-rufescentes, inferne spinosi, apice inermes, flexuoso-

erecti. *Spinae* alternae, horizontales, foliosae, unguiculares. *Folia* in spinis subopposita, in ramis alterna, brevissime petiolata, obtusa, superiora reflexa, unguicularia. *Flores* paniculati, albi. *Pedunculi* et pedicelli capillares, patentes.

15. C. (*buxifolius.*) spinosus; ramis angulatis; foliis oblongis, obtusis, crenatis; paniculis axillaribus. *Prod.* p. 42. Celastrus *buxifolius. Linn.* Spec. Plant. p. 285. Syst. Veg. XIV. p. 237. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1128.

Crescit in frutetis Carro trans Hexrivier alibique. Floret Octobri, Novembri.

Caulis fruticosus, erectus, glaber, cinereus. *Spinae* foliosae, patentes, pollicares. *Rami* alterni, subtetragoni, flexuoso-erecti, subsimplices, saepe inermes. *Folia* alterna, breviter petiolata, obovato-oblonga, inferne valde attenuata, saepe subexcisa, patentia, pollicaria, digitalia usque. *Flores* paniculati, albi. *Paniculae* decompositae. *Pedunculi* et pedicelli compressi. *Variat* spinis et foliis majoribus vel minoribus, magis vel minus obtusis et excisis.

16. C. (*pyracanthus.*) spinosus; foliis obovatis, integris, marginatis; paniculis axillaribus. *Prodr.* p. 42. Celastrus *pyracanthus. Linn.* Spec. Plant. p. 285. Syst. Veg. XIV. p. 237. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1129.

Crescit in Houtbay, in fossis infra Taffelberg latus occidentale, in dunis extra Zoutrivier et alibi. Floret Aprili, Majo.

Caulis fruticosus, ramosus, fuscus, glaber, bipedalis et ultra, valde ramosus *Rami* alterni, flexuosi. *Spinae* caulinae et rameae aphyllae, semipollicares. *Folia* in axillis spinarum aggregata, inferne attenuata in petiolum brevissimum, obtusa, margine revoluto, reticulato-venosa, subtus pallida, patenti-erecta, inaequalia, pollicaria. *Flores* paniculati. *Capsula* ovata. trigona angulis obtusis, glabra, obtusa, rubra, sublignosa, trivalvis, trilocularis, apice et lateribus trifariam dehiscens. *Semina* plura, circiter tria imposita, arillo involuta, ovata, glabra. *Arillus* tenuis, plicatus, sanguineus.

Obs. Capsula interdum tetragona, 4-valvis, 4-locularis.

17. C. (*integer.*) spinosus; foliis ovatis, integris, marginatis; paniculis axillaribus.

Caulis fruticosus, fusco-cinereus, glaber, teres, flexupsus, erectus, rigidus, spinis horridus, tripedalis et ultra. *Rami* similes, erecto-patentes, virgati. *Ramuli* valde spinosi, spinis pollicaribus. *Flores* axillares, paniculati, albi. *Panicula* subdichotoma, supradecomposita. *Pedunculi* et pedicelli capillares.

18. C. (*flexuosus.*) spinosus; ramis flexuosis; foliis ovatis, undato-serratis; pedunculis axillaribus, unifloris.

Caulis fruticosus, cinereo-albidus, glaber, flexuosus, tripedalis et ultra. *Rami* alterni, similes cauli, flexuoso-subscandentes. *Spinae* filiformes, acutissimi, bipollicares, patentissimi.

19. C. (*rigidus.*) spinosus; ramis subsecundis; foliis ovatis, integris, excisis; floribus axillaribus, sessilibus.

Caulis fruticosus, cinereus, glaber, ramosus, bipedalis et ultra. *Rami* secundi, alterni, angulati, spinescentes. *Ramuli* sparsi, spinescentes. *Folia* sparsa, decidua, brevissime petiolata, obovata, obtusa, glabra, vix unguicularia. *Flores* pauci, brevissime pedunculati.

20. C. (*rotundifolius.*) spinosus; foliis subrotundis, dentatis. Celastrus *rotundifolius. Prod.* p. 42. *Willd.* Spec. Plant. I. 2. p. 1129.

Crescit in sylvis variis.

Caulis fruticosus, cinereus, glaber. *Spinae* horizontales, digitales. *Folia* alterna, petiolata, suborbiculata, obsolete dentata, vix pollicaria. *Petioli* unguiculares. *Differt* a C. *pyracantho*, cui nonnihil similis: 1. foliis petiolatis nec in foliolum attenuatis. 2. foliis subrotundis, nec oblongis. 3. foliis aequaliter obsoleteque dentatis vel crenatis.

Obs. Ad Celastros retuli fruticem hunc, licet flores non contigerit mihi videre.

CXLVIII. DIOSMA.

Caps. monosperma. Nectarium germen coronans. Sem. arillatum.

1. D. (*rubra.*) foliis trigonis, mucronatis, glabris, subtus bifariam punctatis. *Prod.* p. 42. *Diss. de Diosmate.* Diosma *rubra. Linn.* Spec. Pl. p. 287. Syst. Veg. XIV. p. 239. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1134.

Crescit prope Kap in collibus et alibi vulgatissima. Floret Junio et toto fere anno occurrit florens.

Frutex bipedalis et ultra, totus glaber, erectus, ramosissimus. *Rami* sparsi et subverticillati vel decussati, erecti, cinereo-rufescentes, inaequales, ramulis similibus. *Folia* breviter petiolata, sparsa, integra, subtus duplici ordine glanduloso-punctata, incurvata, imbricata, unguicularia. *Flores* versus summitates ramulorum axillares et terminales. *Variat* foliis majoribus et minoribus magis vel minus mucronatis.

2. D. (*alba.*) foliis trigonis, acutis, punctatis; bracteis calyceque ciliatis. *Prodr.* p. 84.

Crescit hinc inde in montium collibus. Floret Julio.

Caulis fruticosus, totus glaber, erectus, spithamaeus et ultra. *Rami* et ramuli sparsi, flexuosi, laxi, divaricato-erecti, virgati. *Folia* sparsa, integra, mucronata mucrone glanduloso, subtus bifariam punctata, subimbricata, unguicularia. *Flores* in ramulorum summitatibus terminales, solitarii, albi. *Perianthium* 1-phyllum, ad basin fere 5-partitum: laciniae ovatae, connatae, virides, diaphano-punctatae, margine tenuissime ciliatae. *Nectarii* sertum brevissimum, undulato-denticulatum. *Petala* 5, ovato-lanceolata, acuta, concava, alba, calyce duplo longiora. *Filamenta* 5, serti nectarii margini inserta, subulata, brevissima, alba. *Antherae* ovatae, didymae, obtusae cum acumine minimo, simplices, flavae. *Germen*

superum, quinquenodulosum, glabrum. *Stylus* nullus. *Stigma* obtusum, sessile inter acumina capsulae. *Capsulae* 5, connatae, obtusae, glabrae, basi crassiores.

Obs. Praeter Stamina ordinaria quinque, adhuc quinque alia adsunt absque Antheris castrata, subulata, alba, petalorum unguibus adnata, vix observanda. Differt a D. *rubra* floribus albis; bracteis et calyce ciliatis.

3. D. (*obtusata.*) foliis trigonis, acutis, punctatis; calyce petalisque ciliatis; ramulis pubescentibus. *Prodr.* p. 84. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1134.

Frutex strictus, flexuosus, erectus, pedalis et ultra. *Rami* per intervalla aggregato-subverticillati, inaequales, flexuosi et retroflexi, tuberculati, pubescentes, fusci, virgati. *Folia* in caule et inferiori ramorum parte nulla; in apicibus ramorum et ramulorum approximata, imbricata, breviter petiolata, integra, subtus bifariam punctata, semiunguicularia. *Flores* in apice ramulorum solitarii. *Corolla* rubra, petalis basi ciliatis. *Bracteae* margine membranaceae, ciliatae.

4. D. (*pectinata.*) foliis trigonis, acutis, punctatis, ciliatis. Diosma *pectinata. Prodr.* p. 84. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1135.

Frutex erectus, fusco-sanguineus, glaber, pedalis et ultra. *Rami* et ramuli filiformes, erecti, fastigiati, pubescentes. *Folia* in ramulis frequentia, sparsa, brevissime petiolata, subulata, mucrone glandulosa, margine eleganter ciliata: ciliis albis, unguicularia. *Flores* in ramulis terminales.

5. D. (*hirsuta.*) foliis trigonis, mucronatis, hirsutis; floribus terminalibus, subsolitariis. *Prodr.* p. 42. Diosma *hirsuta. Linn.* Spec. Pl. p. 286. Syst. Veget. XIV. p. 238. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1134.

Frutex erectus, fusco-cinereus, ramulosus. *Rami* filiformes, sparsi et oppositi, cinerei, villosi. *Ramuli* similes, subfastigiati. *Folia* sparsa, sessilia; trigona, seu supra plana, glabra; subtus convexa, punctata, hirsuta pilis cinereis, integra, imbricata, incurva, unguicularia. *Flores* in ultimis ramulis subsolitarii vel cum duobus lateralibus terni, incarnato-albidi.

6. D. (*bisulca.*) foliis trigonis, acutis, hirsutis; racemis terminali-subumbellatis. *Prodr.* p. 84. Diosma *bifurca. Willd.* Sp. I. 2. p. 1136.

Frutex scabridus, fuscus, erectus, glaber, pedalis et ultra. *Rami* flexuosi, villosi, ramulosi. *Ramuli* frequentes, hirsuti, flexuosi. *Folia* acumine glanduloso, supra concava, subtus bisulca, tota pilis brevissimis hirsuta, imbricato-erecta, incurvata, unguicularia. *Petioli* breves, pallidi. *Flores* in apicibus racemosi, subumbellati. *Corollae* albae antheris exsertis. *Differt* a D. *hispida:* 1. foliis longioribus acutioribus, curvatis. 2. floribus racemosis. 3. staminibus longioribus.

7. D. (*hispida.*) foliis trigonis, muticis, villoso-hispidis, patulis; umbellis terminalibus. *Prod.* p. 42. *Willd.* Spec.

I. 2. p. 1135. Hartogia *capensis*. *Linn.* Sp. Pl. p. 288. Mant. p. 342. Diosma *capensis*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 239.

Crescit prope Kap, in arenosis inter Piketberg et Verlooren Valley, alibique vulgaris. Floret Junio et sequentibus mensibus.

Fruticulus pedalis et ultra, fusco-cinereus, ramosus. *Rami* sparsi et subumbellati, frequentes, patentes, purpurascentes, tenuissime pubescentes. *Folia* sparsa, frequentia, brevissime petiolata, supra plana, sulcata; subtus carinata, et sulco duplici exarata; tota tenuissime villoso-hispida et scabra, acuta, mutica, recurvato-patula, semiunguicularia. *Flores* plurimi, albi. *Pedunculi* et calyx purpurascentes, pubescentes. *Variat* foliis subtus magis convexis et minus sulcatis. *Capsulae*, quae in hoc Genere variant ab una ad quinque, in hac specie saepe tres.

8. D. (*virgata.*) foliis trigonis, obtusis, punctatis, glabris; floribus subracemosis, fastigiatis. *Prod.* p. 84. Diosma *virgata*. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1134.

Totus fruticulus glaber, spithamaeus vel paulo ultra. *Caulis* filiformis, erectus, ramosus. *Rami* pauci, elongati, superne ramulosi. *Ramuli* aggregato-subverticillati, subfastigiati, saepe iterum similiter ramulosi. *Folia* in caule et ramis remota, pauciora; in ramulis frequentiora, subimbricata; brevissime petiolata, sparsa, obtusiuscula, subtus bifariam glanduloso-punctata, laete viridia. *Petioli* nodosi, adpressi, pallidiores. *Flores* in ultimis ramulis plurimi, albi, glabri.

9. D. (*ericoides.*) foliis trigonis, obtusis, glabris; floribus terminalibus, subsolitariis. *Prodr.* p. 43. Diosma *ericoides*. *Linn.* Spec. p. 287. Syst. Veg. XIV. p. 239. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1135.

Frutex erectus, totus glaber. *Rami* subtrichotomi et dichotomi. *Folia* sparsa, ramos et ramulos tegentia, brevissime petiolata, ovato-oblonga, integra, seu supra plana; subtus carinata sulco prope carinam utrinque et praeterae quasi costae duae intra margines, punctata, imbricata, apice patula, lineam longa. *Flores* in ultimis ramulorum apicibus solitarii et bini.

10. D. (*capitata.*) foliis trigonis, obtusis, villoso-hispidis, imbricatis; floribus spicato-capitatis. *Prodr.* p. 43. Diosma *capitata*. *Linn.* Mant. p. 210. Syst. Veg. XIV. p. 239. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1136.

Crescit in montibus inter Nord-hoek et Bayfals. Floret Aprili, Majo.

Frutex prolifer, erectus, ramosus, fuscus, tripedalis. *Rami* et ramuli per intervalla ramulosi, ramulis subverticillatis, brevibus, erectis, villosis foliis tectis, subfastigiatis. *Folia* sparsa, conferta, sessilia lineâ decurrente, lineari-trigona; supra plana costâ elevata, subtus trigono-carinata, bisulca, undique scabra, incurva, octofariam imbricata, lineam longa. *Flores* in ramulis terminales, sessiles. *Bracteae* exteriores 5, calyci approximatae, aequales, concavae supra, subtus valde carinatae, margine tenui subvillosae, glabrae, calyce breviores; interiores similes, quinque, duplo latiores et longiores. *Perianthium* 5-phyllum: foliola lanceolato-oblonga, obtusa,

margine villosa, extus parum carinata, intus concava, erecta, glabra, longitudine unguium corollae. *Petala* 5, obovata; ungues lineares, concavi, incarnati, longitudine dimidiâ petali. Lamina latoovata, subrotunda, obtusissima, integra, venosa, venis saturatioribus, purpurea, patula. *Filamenta* 5, germinis lateri inserta, filiformia, erecta, albida, petalis paulo breviora. *Antherae* oblongae, erectae, fuscae, excisae. *Stylus* filiformis, erectus, longitudine filamentorum. *Stigma* simplex, obtusum, subtrifidum. *Capsula* saepe tantum bilocularis, vel capsulae binae.

11. D. (*succulenta.*) foliis trigonis, obtusis, ciliatis; floribus terminalibus. *Berg. Pl. cap.* p. 62. Diosma *oppositifolia. Linn.* Sp. p. 286. Syst. Veg. XIV. p. 238.

Crescit prope Kap in collibus. Floret Junio et sequentibus mensibus.

Frutex erectus, fuscus, glaber, bipedalis et ultra. *Rami* trichotomi et dichotomi, a casu foliorum nodulosi, fusci, erecti. *Ramuli* similes, subfastigiati. *Folia* sparsa, sessilia vel omnium brevissime petiolata, decussata, carnosa, supra concava; subtus convexo-carinata, punctato-rugosa; glabra, integra, margine eleganter ciliis albis, imbricata, lineam longa. *Flores* in ultimis ramulis pauci. *Variat* ramulis villosis et foliis margine scabridis, etiam in eodem frutice.

12. D. (*ustulata.*) foliis ovatis, trigonis, imbricatis, glabris; flore terminali, solitario.

Caulis fruticosus, erectus, rufescens, glaber, ramulosus. *Rami* et ramuli similes, sparsi. *Folia* obtusa, superiora acutiora, nigro-ustulata, integra. *Flos* in ramulis terminalis.

13. D. (*deusta.*) foliis lanceolatis, trigonis, ustulatis, glabris; floribus capitatis.

Caulis fruticosus, scaber, cinereus, pubescens. *Rami* similes, curvato-erecti. *Ramuli* alterni et superne subverticillati, fastigiati. *Folia* brevissime petiolata, integra, apice ustulata, imbricato-patula, lineam longa. *Flores* in apice ramulorum aggregati, subcapitati.

14. D. (*umbellata.*) foliis trigonis, obtusis, punctatis, ciliatis; umbellis terminalibus.

Caulis fruticosus, nodosus, glaber, erectus, apice ramosus. *Rami* oppositi et verticillati, fastigiati. *Folia* sparsa, approximata, brevissime petiolata, carnosa, subtus punctata, margine ciliata, imprimis superiora, imbricata, vix unguicularia. *Florum* umbellae multiflorae. *Pedunculi* purpurei. *Corollae* albae. *Variat* foliis inferioribus vix ciliatis.

15. D. (*tetragona.*) foliis ovatis, carinatis, ciliatis, quadrifariam imbricatis; floribus terminalibus, solitariis. *Prod.* p. 43. Diosma *tetragona. Linn.* Suppl. p. 155. Syst. Veget. XIV. p. 239. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1139.

Crescit in campis inter Kap et Paarl, alibique rarior. Floret Junio.

Frutex erectus, spithamaeus. *Rami* subumbellati, foliis tecti,

curvato-erecti, inaequales. *Folia* decussata, sessilia vel brevissime petiolata, basi exciso-cordata, convoluto-navicularia seu supra canaliculata, subtus carinata, acuta, apice patula, lineam longa. *Flores* in ramorum apicibus majusculi, incarnati. *Perianthium* 5-phyllum: laciniae ovatae, concavae, acutae, ciliatae. *Petala* 5, lanceolata, acuta, glabra, alba, intus supra basin lanata. *Nectaria* petaliformia, barbata. *Filamenta* 5, lateribus germinis inserta, subulata, brevissima. *Antherae* ovatae, basi trifidae, sulcatae. *Germen* superum, angulatum, obtusum. *Stylus* brevissimus, Stigmate obtuso. *Variat* foliis ciliatis et scabris.

16. D. (*cupressina.*) foliis ovatis, trigonis, imbricatis; floribus terminalibus, solitariis, sessilibus. *Prodr.* p. 43. Diosma *cupressina*. *Linn.* Mant. p. 50. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1136.

Rami alterni, filiformes, erecti, foliis tecti. *Folia* alterna, minuta, subscabra, sessilia, erecta, apice calloso-colorata.

17. D. (*pubescens.*) foliis lanceolato-trigonis, muticis, villosis, imbricatis; umbellis terminalibus. *Prodr.* p. 43. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1138.

Crescit ubique in montibus prope et extra Kap, vulgatissima. Floret Majo et sequentibus mensibus.

Fruticulus palmaris vel spithamaeus, simplex vel ramosus, erectus, cinereus. *Rami* pauci, plerumque in summitate terni, hirti, subfastigiati. *Folia* sparsa, caulem superne et ramos tegentia, breviter petiolata, lanceolata, obtusiuscula; subtus convexa et carinata, hirsuta; supra plana, glabra; integra, lineam longa. *Flores* plurimi, umbellati, albi et coerulescentes. *Pedunculi* et calyces villosi.

18. D. (*villosa.*) foliis lanceolatis, carinatis, imbricatis, villosis; capitulis terminalibus. *Prodr.* p. 43. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1136. Hartogia *villosa*. *Berg. Plant. Capens.* p. 70.

Frutex cinereus, subdecumbens, spithamaeus, ramulosus. *Rami* pauci, alterni, flexuoso-erecti, cinereo-fuscescentes, glabri, nodulosi, aphylli. *Ramuli* dichotomi et subverticillati, cernui, foliis tecti, subfastigiati. *Folia* frequentissima, sparsa, brevissime petiolata, acuta, mutica, integra; supra plana costâ mediâ elevata, glabra; subtus carinata, rugosa, villoso-scabra pilis brevibus, albis, recurvis; semiunguicularia. *Flores* in ramulis aggregati, subsessiles, capitati. *Corollae* incarnatae, intus barbatae. *Nectaria* quinque, barbata.

19. D. (*ciliata.*) foliis lanceolatis, carinatis, ciliatis; umbellis terminalibus. *Prodr.* p. 43. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1135.

Frutex erectus, cinereus, bipedalis et ultra. *Rami* sparsi, oppositi, subverticillati, elongati, laxi, cinereo-flavescentes, glabri. *Ramuli* similes, capillares, subfastigiati, tenuissime pubescentes, foliosi. *Folia* sparsa, brevissime petiolata, acuta, imutica, supra plana; subtus carinata, glanduloso-punctata, ciliis albis, imbricato-patula, internodiis longiora, lineam longa. *Flores* plurimi, umbellati, albi. *Petioli* et Calyx purpurascentes, villosi.

20. D. (*linearis.*) foliis linearibus, obtusis, glabris, patulis; floribus terminalibus, subsolitariis. *Prodr.* p. 43. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1134.

Frutex erectus, cinereus, totus glaber, pedalis et ultra. *Rami* dichotomi et trichotomi, divaricati. *Ramuli* similes, filiformes, laxi. *Folia* decussata, petiolata, mutica, integra, supra plana, subtus a marginibus revolutis sulcata, patentia vel reflexa, unguicularia. *Petioli* semiteretes, pallidi, semilineam longi. *Flores* in ramulis pedunculati. *Pedunculus* filiformis, glaber, foliis paulo brevior. *Differt* a D. *succulenta:* foliis obtusis, glabris, planis, D. *hirsuta:* foliis glabris et obtusis, D. *rubra:* foliis planis, obtusis, impunctatis, D. *ericoide*: foliorum margine revoluto.

21. D. (*ensata.*) foliis lanceolato-ensatis, crenatis, glabris; capsula solitaria. *Prod.* p. 43. Diosma *unicapsularis*. *Linn.* Suppl. p. 155. Syst. Veg. XIV. p. 239. Empleurum. *Jussieuii Gener. Plant.* p. 330.

Crescit in summitate montis ad Rode Sand supra Waterfall prope rivulum, et in Lange Kloof. Floret Augusto, Septembri.

Frutex erectus, totus glaber, purpurascens, tripedalis et ultra. *Rami* sparsi, angulati, nodosi, flavescentes laxi, elongati. *Ramuli* filiformes, sparsi, virgati, angulati, erecti, flavescentes. *Folia* sparsa, brevissime petiolata, lineari ensiformia, acuta, plana, crenis pellucido-glandulosis, nitida, erecto-patula, pollicaria et ultra. *Flores* in ramulis laterales, erecti, pedicellati. *Pedunculi* incrassati, foliis multoties breviores. *Capsula* oblonga, apice compresso-membranacea, subfalcata, punctata, unilocularis.

Obs. Variat Diosmae genus capsulis 1 usque 5; incongruum duxi, hanc speciem a Genere Naturali separare.

22. D. (*lanceolata.*) foliis lanceolatis, obtusis, subpilosis; floribus axillaribus, geminis. *Prod.* p. 43. Diosma *lanceolata*. *Willd.* Spec. Plant. T. I. p. 2. p. 1137.

Crescit in montibus Lange Kloof, prope Wolwekraal. Floret Octobri, Novembri.

Caulis fruticosus, cinereo-fuscus, glaber pedalis et ultra. *Rami* et ramuli dichotomi et subverticillati, cauli similes, virgati, patentes. *Folia* sparsa, brevissime petiolata, ovata, margine reflexo marginata et undulato-subcrenata, obsolete rugosa, subtus glanduloso punctata, glabra, erecto patentia, semiunguicularia. *Flores* in summitatibus ramulorum pedunculati, solitarii et gemini, rarius plures terminales. *Pedunculi* filiformes, purpurascentes, foliis breviores.

23. D. (*rugosa.*) foliis ovatis, rugosis, villosis, reflexis; umbellis terminalibus. *Prodr.* p. 43. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1139.

Frutex erectus, pedalis et ultra. *Rami* et ramuli subverticillati, terni et quaterni, purpurascentes, pubescentes, erecti. *Folia* sparsa, brevissime petiolata, ovato oblonga, obtusa, integra; supra plana, concava, glabra; subtus leviter carinata, scabra; utrinque rugosa, patentia et reflexa, frequentia, internodiis longiora, semiunguicularia.

Flores plurimi, umbellati, albi. *Petioli* valde hirsuti. *Calyces* pubescentes. *Filamenta* capillaria, alba, corollâ longiora.

24. D. (*cuspidata.*) foliis lanceolatis, carinatis, glabris; floribus lateralibus, aggregatis, sessilibus.

Caulis fruticosus, erectus, rufescens, glaber, superne ramosus, bipedalis et ultra. *Rami* subverticillati, subfastigiati, proliferi. *Folia* sparsa, brevissime petiolata, obtusiuscula cum mucrone nigro, integra, supra sulcata, approximata, patentia, unguicularia. *Flores* infra apices ramulorum.

25. D. (*oblonga.*) foliis oblongo-ellipticis, glanduloso-crenatis, rugosis; floribus lateralibus.

Caulis fruticosus, erectus, purpurascens, glaber, ramulosus, bipedalis et ultra. *Rami* cauli similes. *Ramuli* subverticillati, filiformes, subpubescentes. *Folia* sparsa, ovata-oblonga, obtusa, punctata, glabra, erecto-patentia, lineam longa usque unguicularia. *Flores* in ultimis ramulis, inter folia lateralia-axillares, pedunculati, solitarii.

26. D. (*ovata.*) foliis ovatis, glabris, marginatis; floribus axillaribus, solitariis et geminis. *Prod.* p. 54. *Willd.* Spec. l. 2. p. 1139.

Fruticis rami dichotomi et trichotomi, cinerei, scabridi, flexuoso-erecti, ramulis similibus. *Folia* decussata, subrotunda, tenuissime glanduloso-crenata, subtus punctata, imbricata. *Flores* in ramulis laterales, albi.

27. D. (*betulina.*) foliis subcuneatis, crenatis, subtus punctatis; floribus lateralibus, solitariis. *Prodr.* p. 43. *Willd.* Spec. l. 2. p. 1140.

Crescit in montibus Rode Sand, aliisque. Floret Octobri, Novembri.

Frutex erectus, totus glaber ramosissimus, orgyalis. *Rami* sparsi, purpurascentes, elongati. *Ramuli* sparsi et oppositi, filiformes, frequentes, virgati, erecti, breves. *Folia* sparsa et subopposita, breviter petiolata, obverse ovata, seu cuneiformia, obtusissima, supra viridia; subtus pallida, margine obsolete reflexa; utrinque glabra, lucida, erecto-patentia, frequentia, inaequalia, semiunguicularia et unguicularia. *Flores* in ultimis ramulis axillares, pedunculati, albi. *Pedunculi* foliis breviores. *Calyx* villosus. *Capsulae* punctato-muricatae. *Odor* fortis et usus idem ac D. *pulchellae* aliorumque.

28. D. (*crenata.*) foliis ovatis, crenatis, subtus punctatis; floribus axillaribus, solitariis. *Prodr.* p. 43. Diosma *crenata.* *Linn.* Spec. Pl. p. 287. Syst. Veg. XIV. p. 239. *Willd.* Sp. l. 2. p. 1138.

Crescit in summitate Taffelberg, in praeruptis imprimis lateribus montis, in Swartland et alibi. Floret Septembri, Octobri.

Frutex erectus, totus glaber, bipedalis et ultra. *Rami* teretes, purpurascentes, elongati, laxi. *Ramuli* subverticillati, terni vel sparsi, angulati, purpurei, virgati, incurvi, laxi. *Folia* sparsa, breviter

petiolata, ovata et ovato-oblonga, obtusa, plana, glabra, supra saturate viridia; subtus pallidiora, punctato-glandulosa, costâ mediâ subcarinata; crenata crenis glanduloso-punctatis, lucida, erecto-patula, unguicularia. *Flores* in ramulis, pedunculati, albi, majusculi. *Pedunculi* filiformes, foliis breviores. *Nectaria* 5, petaliformia, lanceolato-linearia. *Odor* fortis, graveolens. *Usus:* idem Hottentottis ac D. *pulchellae.*

Obs. Calycis laciniae huic lineares.

29. D. (*uniflora.*) foliis oblongis, subtus punctatis; floribus terminalibus; calycibus ciliatis. *Prodr.* p. 43. Diosma *uniflora. Linn.* Spec. p. 287. Syst. Veget. XIV. p. 239. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1139.

Crescit in collibus omnibus infra Taffelberg, circum urbem Hap et orientem versus, infraque latus occidentale; in Duyvelsberg, Leuwekopp et alibi, vulgaris. Floret Junio, Julio.

Radix filiformis, fibrosa. *Frutex* teres, cicatricibus foliorum scaber, raro simplex, saepe ramosus, spithamaeus usque pedalis. *Rami* subumbellati, divaricato-patentes, apice erecti, purpurascentes, glabri vel villosi, inaequales, rarius ramulosi. *Folia* ovato-oblonga, vel ovato-lanceolata, obtusa, sparsa, breviter petiolata, ovata, internodiis longiora, unguicularia, scabriuscula, margine integra, punctis marginalibus pellucidis; supra saturate viridia sulco longitudinali obtuso; subtus pallidiora punctis pellucidis plurimis; glabra vel ciliata. *Petioli* brevissimi, adpressi, flavescentes, subdecurrentes. *Flores* solitarii vel plures, in ultimis ramulis a 2 ad 9, erecti, pedunculati, magni. *Pedunculi* lineam longi vel breviores, bracteis aliquot vestiti, uniflori. *Perianthium* 1-phyllum fere ad basin 5-partitum: laciniae ovato-oblongae, acutae, concavae, erectae; intus glaberrimae, extus subvillosae, virides apice purpurascente; margine ciliatae, punctis diaphanis plurimis punctatae, corollâ breviores. *Sertum* Nectarii undulatum, purpureum, fructum cingens, brevissimum. *Petala* 5, obovata, lata, obtusa cum acumine, patentia, unguicularia; intus albâ lineâ basi purpurascentes extus incarnata carinâ saturatius purpureâ; margine ciliata. *Filamenta* 5, filiformia, nectarii sertiformis lateri inserta, geniculato-inflexa, pilosa, alba; extus apice purpurascentia glandulis antheriformibus, truncatis, pateriformibus, purpurascentibus. *Filamenta* 5, alia, subulata, incurva, pilosa, alba, brevissima, nectariis plus duplo breviora, nectarii sertiformis lateribus inserta, cum nectariis staminiformibus alternantia. *Antherae* oblongae, majusculae, erectae; extus planae, flavescentes; intus profunde trisulcatae, convexae, purpureae, apice glandulâ antheriformi oblongâ, glandulis priorum castratorum simili, subpetiolatâ, acutae. *Germen* superum, glandulis capitatis subpedicellatis plurimis virentibus cinctum. *Stylus* brevissimus, crassiusculus, virescens, sulcatus, glaber, erectus vel reflexus. *Stigma* obtusum, perforatum, 5-nodosum: nodulis globosis, glabris. *Potius* Stamina 10 dicenda, 5 sterilibus et tum sertum calycis hic uti in aliis nectarium. *Singulare* est, quod ipsae Antherae glanduliferae. *Odor* hujus fortis, ut plurimarum specierum. *Variat* ramis glabris et villosis; foliis glabris et ciliatis. *Corolla* hujus maxima, adeoque speciosa.

30. D. (*pulchella.*) foliis ovatis, glanduloso-crenatis, glabris; floribus axillaribus, geminis. *Prod.* p. 43. Diosma *pulchella.* *Linn.* Spec. Pl. p. 288. Syst. Veg. XIV. p. 239. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1140.

Hottentottis: Bukku. Crescit ad latera fluviorum infra montes Drakenstein et alibi, vulgaris. Floret Junio et sequentibus mensibus.

Frutex erectus, totus glaber, ramosissimus, tripedalis et ultra. *Rami* sparsi, elongati, purpurascentes. *Ramuli* filiformes, subverticillato-approximati, erecti, subfastigiati, villosi. *Folia* sparsa, brevissime petiolata, inferiora ovata-oblonga, superiora ovata, obtusa, crenis glandulosis, margine revoluta, supra plana, subtus longitudinaliter costata, lucida, patenti-erecta, semiunguicularia. *Flores* in apicibus ramulorum pedunculati, purpurascenti albidi. *Pedunculi* capillares, flavescentes, glabri, foliis longiores. *Nectaria* 5, petaliformia, lanceolato-linearia. *Capsulae* tres. *Usus:* Folia hujus imprimis inter lapides in pulverem redigunt Hottentotti, eoque corpus nudum, pinguedine ovinâ prius inunctum, adspergunt, unde odor eorum fortis, graveolens et insuetis valde ingratus, quin et quandoque omnino non tolerandus.

31. D. (*latifolia.*) foliis ovatis, crenatis, pubescentibus; pedunculis lateralibus, unifloris; ramis subtomentosis. *Prod.* p. 84. Diosma *latifolia.* *Linn.* Suppl. p. 154. *Willd.* Spec. Plant. I. 2. p. 1138.

Frutex totus villosus, pedalis et ultra, ramosus. *Rami* alterni, erecti. *Ramuli* sparsi, rariores, flexuosi, subtomentosi. *Folia* sparsa, subpetiolata, obtusiuscula, glanduloso-marginata, concaviuscula, subtus pallidiora, tenuissime pubescentia, patulo-imbricata, unguicularia. *Flores* versus summitates ramorum racemosi, foliis longiores, pedunculati. *Corolla* alba.

32. D. (*marginata.*) foliis cordatis, inferioribus ovatis, superioribus lanceolatis; umbellis terminalibus. *Prodr.* p. 43. Diosma *marginata.* *Linn.* Suppl. p. 155. Syst. Veg. XIV. p. 239. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1137.

Crescit in campis inter Kap et Drakenstein, prope Fransche Hoek, in Paardeberg et alibi, communis. Floret Junio et sequentibus mensibus.

Frutex erectiusculus, cinereo-purpurascens, spithamaeus et ultra, ramulosus. *Rami* et ramuli subumbellatim sparsi, filiformes, villosi, flexuosi, patentes. *Folia* sparsa et subopposita, sessilia, obtusiuscula integra, margine revoluto interdum membranaceo, glabra, supra viridia, subtus pallida, patentia; inferiora majora, suprema minora. *Flores* umbellati majusculi, incarnato-albi. *Pedunculi* filiformes, subvillosi, bracteis duabus in medio, foliis longiores. *Nectaria:* Filamenta 5, sterilia, barbata.

33. D. (*glandulosa.*) foliis ovatis, acutis, integris, rugosis, subtus, villosis; umbellis terminalibus. *Prod.* p. 187.

Fruticis rami teretes, cinerei, glabri, flexuoso-erecti. *Ramuli* subumbellati, erecto-incurvi, pubescentes, iterum ramulosi. *Folia*

in ramulis sparsa, margine revoluto, supra rugosa, patula. *Flores* umbellati, incarnati. *Pedunculi* villosi, unguiculares.

34. D. (*imbricata.*) foliis ovatis, acutis, ciliatis; umbellis terminalibus. *Prodr.* p. 43. Hartogia *imbricata. Linn.* Mantiss. p. 124. Diosma *imbricata. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 239. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1137.

Crescit in collibus Montis tabularis, in Swartland, Groene-Kloof, Saldanha-bay alibique. Floret Junio et pluribus mensibus.

Frutex fuscus, erectus, ramosissimus, tripedalis et ultra. *Rami* verticillati, cauli similes. *Ramuli* plurimi, verticillati, foliis tecti, villosi, subfastigiati, digitales. *Folia* sparsa, frequentissima in ramulis, acuminata, supra glabra; subtus punctata, villosa; margine ciliata, imbricata, semilineam longa. *Flores* in ramulis, umbellati. *Pedunculi* brevissimi. *Calyces* villosi.

35. D. (*barbigera.*) foliis cordatis, acutis, glabris; umbellis terminalibus. *Prodr.* p. 43. Diosma *barbigera. Linn.* Suppl. p. 155. Syst. Veg. XIV. p. 239. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1139.

Crescit in Swartland. Floret Octobri.

Frutex flexuosus, erectus, cinereus, totus glaber, pedalis et ultra. *Rami* et Ramuli sparsi, flexi et curvati, cinerei. *Folia* sparsa, sessilia vel omnium brevissime petiolata, integra, margine revoluto, supra subrugosa, subtus punctata, patula, inaequalia, subunguiclaria. *Flores* umbellati, plurimi, pedunculati. *Pedunculi* uti et calyces angulati glabri, purpurascentes, foliis longiores. *Petala* apice intus barbata.

36. D. (*orbicularis.*) foliis orbiculatis; ramis villosis. *Prodr.* p. 84. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1140.

Fruticulus erectus, ramosissimus, bipedalis vel paulo ultra. *Rami* filiformes, flexuoso-erecti, tenuissime pubescentes. *Ramuli* subverticillati, breves, incurvati, per intervalla remoti. *Folia* sparsa, subsessilia, orbiculata, vel parum ovata, integra, glabra, reflexa, subrugosa, minima vix dimidiam lineam longa. *Flores* versus summitates racemosi, albi. *Pedunculi* villosi, uniflori, foliis longiores. *Stamina* corollâ duplo longiora.

Obs. Diosmae Genus valde variat: *Nectario* sertiformi, filiformi et petaliformi. *Capsulis* solitariis usque quinque connatis. Neque itaque Nectarii structura, neque numerus Capsularum Genus constituunt, uti Hartogia et Empleurum ab Auctoribus constituta.

D I G Y N I A.

CXLIX. CEROPEGIA.

Contorta. Folliculi 2 erecti. Semina plumosa. Corollae limbus connivens.

1. C. (*tennifolia.*) floribus umbellatis; foliis linearibus, integerrimis. CEROPEGIA *tenuifolia. Prodr.* p. 37. *Linn.* Spec. Pl. p. 310. Syst Veg. XIV. p. 255. Mant. p. 215. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1276.

Crescit in collibus infra latus orientale Taffelberg, infra Duyvelsberg prope Kap, et alibi non infrequens. Floret Junio, Julio, Augusto.

Caulis simplex, filiformis, volubilis, glaber. *Folia* opposita, subpetiolata, acuta; supra longitudinaliter sulcata, viridia; subtus in medio costata; margine revoluto, albido-pilosa; patentia, internodiis breviora, bipollicaria vel pollicaria. *Petioli* brevissimi adpressi. *Umbellae* pedunculatae. *Pedanculi* oppositifolii, teretes, hirti, patentes, vix unguiculares. *Pedicelli* quatuor vel plures, villosi, uniflori semiunguiculares. *Bractea* sub singulo pedicello filiformis duplo brevior. *Perianthium* 5-phyllum, (vix 5-partitum) erectum, villosum; laciniae lanceolatae, acutae, corollâ breviores. *Corolla* 1-petala, 5-partita: *Tubus* basi latior, sulcatus, angulatus, angulis quinque longitudinalibus et totidem dimidiatis, sensim superne usque ad limbum attenuatus, glaber, sanguineus. Limbi laciniae alternatim incumbentes, contortae, obtusae, ore clauso, basi, intus villosae. Tubus infra os lineolis quinque pilosis pilis fulvis ornatur, et callis totidem albidis cum his alternantibus infra lineolas. *Filamenta* quinque, receptaculo inserta, in cylindrum connata, alba, brevissima. *Antherae* hastatae, acutae, connatae, flavescentes. *Germina* duo, acuta, supera. *Stylus* simplex, cylindro staminum inclusus, filiformis, longitudine staminum. *Stigma* capitatum, convexum, subquinquelobum. *Folliculi* duo.

2. C. (*sagittata.*) floribus umbellatis; foliis sagittatis. *Prodr.* p. 37. CEROPESIA sagittata. *Linn.* Mant. p. 215. Syst. Veg. XIV. p. 255. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1276.

Crescit prope Kap in collibus, in campis arenosis inter Kap et Drakenstein, inque montium fossa prope Houtbay, et alibi in campis ab urbe remotioribus. Floret Majo, Junio et sequentibus anni mensibus.

Radix perennis. *Caulis* volubilis, filiformis, herbaceus basi fructescente, villosus, ramosus, bipedalis et ultra. *Rami* oppositi, cauli similes. *Folia* opposita, petiolata, sagittata seu cordato-hastata, obtusa, acuta, integerrima; supra viridia tubo longitudinali, pubescentia; subtus virescentia, subtomentosa, marginibus, revolutis costâque longitudinali, internodiis breviora, semiunguicularia. *Petioli* breves, pubescentes, lineam longi. *Flores* umbellis axillaribus. *Pedanculi* et pedicelli filiformes, pubescentes, lineam longi; pedicelli uniflori. *Bracteae*

subulatae, ad basin pedicellorum, pubescentes. *Perianthium* 1-phyllum, profunde 5-partitum, corollâ duplo brevius: laciniae acutae, erectae, lineam longae. *Corolla* 1-petala, 5-angulata; basi virescens, purpurea; apice virescens, contorta, 5-dentata, semiunguicularis. *Filamenta* nulla. *Antherae* 5, pyramidi nectarii insertae cumque ea connatae, fuscae. *Nectarium* tubulosum, apice 5-angulato-pyramidale, acutum, pistillum tegens et includens, flavescens. Forsan potius hocce nectarium dicendum Filamenta monadelpha. *Germina* duo, supera, ovata, glabra. *Stylus* subnullus. *Stigmata* duo, brevissima, excisa, virescentia. *Folliculi* duo.

Obs. Videtur esse stylus unicus, germinibus duobus impositus, terminatus sub apice Nectarii.

CL. ECHITHES.

Contorta. Folliculi 2, *longi, recti. Sem. comâ instructa. Cor. infundibuliformis, fauce nudâ.*

1. E. (*succulenta.*) aculeis binis extrafoliaceis; foliis linearibus, subtus tomentosis; corollis infundibuliformibus. ECHITES *succulenta. Prodr.* p. 37. *Linn.* Suppl. p. 167. Syst. Veg. XIV. p. 254. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1241.

Crescit in aridissimis campis Carro dictis a Platte Kloof usque ad Sondags-rivier, prope Goudsrivier et alibi. Floret Novembri, Decembri, Januario.

Caulis fruticosus, erectus, pedalis et ultra. *Rami* sparsi, rugosi, glabri, flexuoso-erecti, aculeati. *Aculei* sub ramis et foliis, filiformi-setacei, patentes, unguiculares. *Folia* e gemmis plura, attenuata inferne in petiolos, lineari-lanceolata, integra margine revoluto; supra viridia, tenuissime villosa; patentia, pollicaria. *Flores* axillares, solitarii et aggregati, pedunculati pedunculis brevissimis. *Calyx* tomentosus. *Corolla* rufescens.

2. E. (*bispinosa.*) aculeis binis, extrafoliaceis; foliis lanceolatis, glabris; corollis hypocrateriformibus. *Prod.* p. 37. ECHITES *bispinosa. Linn.* Suppl. p. 167. Syst. Veg. XIV. p. 254. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1241.

Crescit in siccissimis Karro regionibus a Kam-tous-rivier usque ad Sondags-rivier. Floret Novembri, Decembri.

Caulis fruticosus, totus glaber, pedalis et ultra. *Rami* alterni, cinerei, rugosi, aculeati. *Aculei* connati, sub foliis inserti, setacei, recti; unguiculares. *Folia* alterna, sessilia, ovato-lanceolata, acuta, integra, margine revoluto, supra viridia, subtus pallida, vix pollicaria. *Flores* versus summitates, axillares, brevissime pedunculati, carnei. *Perianthium* 5-partitum: laciniae acutae, erectae, virides, tubo breviores. *Corolla* 1-petala. Tubus subcurvus, pentagonus, viridi-rufescens, albo-barbatus, lineam longus. Limbus inflatus, campanulatus, extus ruber, intus basi purpureus, ad medium 5 partitus: laciniae ovatae, albae, obtusae, unguiculares. *Filamenta* 5, ori tubi inserta, subulata, alba, brevissima, intus barbata. *Antherae* sagittatae, oblongae, obtusae cum acumine incurvo, flavae, erectae, leviter cohaerentes invicem et cum stigmate, limbo multo

breviores. *Germen* superum, glabrum. *Stylus* filiformis, viridis, staminibus paulo brevior. *Stigma* globosum, viride.

CLI. PERGULARIA.

Contorta. Nectarium ambiens genitalia cuspidibus 5 *sagittatis. Cal. hypocrateriformis.*

1. P. (*edulis.*) foliis ovatis, integris, glabris; caule herbaceo, volubili. *Prod.* p. 38. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1247.

Hottentottis: Ku. Incolis Europaeis: Hottentotts Waater-Melon. Crescit in Karro prope Gouds-rivier, juxta Swart Kopps Zout-pann et alibi inter frutices.

Radix globosa, succulenta, maxima, capite humano major. *Caulis* filiformis, uti tota planta glaber, cinereus, ramosus. *Rami* alterni, similes, sensim filiformes. *Folia* opposita, brevissime petiolata, acuminata, subundulata, supra viridia, pallida, utrinque glabra, patentia, unguicularia. *Flores* aggregati, pedunculati. *Pedunculi* capillares, vix lineam longi. *Perianthium* 5-partitum: laciniae acutae, brevissimae. *Corolla* pollicaris. Pergulariae generis esse ex habitu conjicio, cum flores apertos vel fructus videre nunquam mihi contigerit. *Usus:* Radix sapida editur ab Hottentottis.

CLII. PERIPLOCA.

Contorta. Nectarium ambiens genitalia, filiamenta 5 *exserens.*

1. P. (*africana.*) caule volubili; foliis ovatis, hirsutis. *Prodr.* p. 47. Periploca *africana. Linn.* Spec. Plant. p. 309. Syst. Veg. XIV. p. 256. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1251.

Crescit satis vulgaris in collibus infra montes urbis Kap et in pluribus aliis regionibus.

Tota planta hirsuta. *Caulis* filiformis, ramosus. *Rami* similes, oppositi, valde flexuosi. *Folia* opposita, petiolata, cordato-ovata, acuta, integra, patula. *Petiolus* folio brevior. *Flores* umbellati. *Umbellae* axillares, pedunculatae, multiflorae, patenti-pendulae. *Corolla* alba.

2. P. (*Secamone.*) caule volubili; foliis oblongis; floribus paniculatis, hirsutis. *Prodr.* p. 47. Periploca *Secamone. Linn.* Mant. p. 216. Syst. Veg. XIV. p. 256. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1249.

Europaeis Africam incolentibus: Babianstow. Crescit in sylvis Houtniquas et aliis, scandens et connectens arbuscula, taediosa intrantibus incomtas sylvas. Floret Octobri et sequentibus mensibus.

Caulis fruticosus, scandens, volubilisque, cinereus, glaber. *Rami* alterni et oppositi, similes cauli, patuli. *Folia* opposita, petiolata, acuta, integra margine revoluto, parallelo-nervosa, glabra, inaequalia, pollicaria et ultra. *Petioli* brevissimi. *Flores* minuti. *Paniculae* axillares, trichotomae, supra decompositae. *Pedicelli* rufescentes, pubescentes. *Corolla* intus albo-villosa.

CLIII. ASCLEPIAS.

Contorta. Nect. 5 ovata, concava, corniculum exserentia.

1. A. (*aphylla.*) caule aphyllo. *Prodr.* p. 47. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1262.

Crescit in Karro trans Hartequas Kloof, prope Hexrivier. Floret Novembri.

Caulis teres, glaber, laxus, erectus, lactescens, ramosus. *Rami* alterni, geniculato-flexuosi, aphylli. *Flores* sparsi solitarii, pedunculati. *Folliculus* lanceolatus, palmaris.

2. A. (*filiformis.*) foliis lineari-filiformibus; umbellis lateralibus, pedunculatis; caule erecto. *Prodr.* p. 47. Asclepias *filiformis. Linn.* Suppl. p. 169. Syst. Veg. XIV. p. 260. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1272.

Crescit in Krum-rivier, in collibus prope Kap, alibique. Floret Novembri et insequentibus mensibus.

Caulis filiformis, parum ramosus, glaber, pedalis et bipedalis. *Rami* cauli similes, elongati, *Folia* opposita, sessilia, acuta, integra margine revoluto, erecta, glabra, pollicaria et ultra. *Flores* umbellati. *Umbellae* axillares, intrafoliaceae, quinque- vel sex-florae *Pedunculi* longitudine foliorum. *Pedicelli* capillares, unguiculares. *Folliculi* solitarii, elliptici, digitales.

3. A. (*fruticosa.*) foliis lanceolatis, glabris; caule fruticoso. Asclepias *fruticosa. Linn.* Spec. Plant. p. 315. Syst. Veget. XIV. p. 260. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1271.

Crescit trans seriem montium primam, hinc inde satis vulgaris pluribus in locis. Floret Octobri, Novembri.

4. A. (*crispa.*) foliis lanceolatis, undulatis, pilosis; umbella terminali; corollis glabris. *Prodr.* p. 47. Asclepias *crispa. Linn.* Mant. p. 215. Syst. Veg. XIII. p. 258. *Willd.* Spec. I. 2 p. 1263.

Europaeis Bitter-Wortel. Crescit in collibus prope Paradys, cis Swellendam alibique. Floret Novembri et sequentibus mensibus usque ad Majum.

Caulis compressus, erectiusculus, totus pilis rigidis albis pilosus, pedalis, simplex vel ramosus. *Rami* alterni, pauci, elongati. *Folia* sessilia, opposita, basi rotundata, lanceolato-acuminata, bipollicaria. *Flores* umbellati. *Umbella* multiflora. *Pedunculi* et calyces pilosi.

5. A. (*undulata.*) foliis oblongo-lanceolatis, undatis; umbellis lateralibus; corollis barbatis. Asclepias *undulata. Linn.* Spec. Pl. p. 312. Syst. Veg. XIV. p. 258. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1262.

Crescit in collibus ad Paradys in Kamenasie et alibi. Floret Decembri et sequentibus mensibus.

Caulis digitum crassus, carnosus, teres, uti tota planta tenuis-

sime villosus, erectus, simplex, pedalis et ultra. *Folia* opposita et saepe alterna, sessilia, acuminata, undulata, patentia, spithamaea superioribus brevioribus. *Umbellae* frequentes, subsessiles, multiflorae. *Calyx* ciliatus. *Variat* foliis angustioribus et latioribus.

6. A. (*mucronata.*) foliis oblongis, mucronatis, glabris; umbellis axillaribus. *Prod.* p. 47. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1263.

Crescit trans Kamtous-rivier, et prope Krumrivier. Floret Decembri.

Caulis herbaceus, teretiusculus, flexuoso-erectus, pilosus, vix pedalis. *Folia* opposita, petiolata, obtusa cum acumine, integra, utrinque glabra, sesquipollicaria, superioribus minoribus. *Petioli* foliis multo breviores. *Umbellae* pedunculatae. *Pedunculi* foliis breviores, multiflori. *Pedicelli* pubescentes, unguiculares.

7. A. (*grandiflora.*) foliis oblongis, piloso-scabris; pedunculis axillaribus. *Prodr.* p. 47. Asclepias *grandiflora. Linn.* Suppl. p. 170. Syst. Veget. XIV. p. 269. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1264.

Crescit in Krum-rivier, Kamerasi, alibi. Floret Decembri, Januario.

Caulis fruticosus nisi basi, teres, erectus, simplex, villosus, pedalis. *Folia* opposita, petiolata, acuta, parum undulata, integra, utrinque scabrido papillosa et pilosa, patenti-erecta, bipollicaria. *Petioli* supra plani, subtus convexi vix lineam dimidiam longi. *Flores* axillares, pedunculati. *Pedunculi* bini vel tres, uniflori, pilosi, unguiculares. *Calyx* hirtus. *Corollae* grandes, purpurascenti-variegatae, glabrae.

8. A. (*arborescens.*) foliis alternis, ovatis, mucronatis; caule fruticoso, villoso. *Prodr.* p. 47. Asclepias *arborescens. Linn.* Mant. p. 216. Syst. Veg. XIV. p. 259. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1271.

Crescit prope Kap, in collibus infra montes urbis et alibi. Floret Aprili, Majo, Junio.

Radix perennis. *Caulis* erectus, ramosus, 4- vel 5-pedalis, crassitie digiti. *Rami* teretes, subflexuosi, villosi, foliosi, simplices. *Folia* obtusa cum acumine, brevissime petiolata, integerrima, nervosa, glabra, subimbricata, pollicaria. *Flores* umbellati, umbellis subterminalibus pedunculatis. *Pedunculi* angulati, pilosi, unguiculares. *Pedicelli* filiformes, villosi, uniflori, unguiculares. *Calyx* villosus. *Corolla* alba, glabra. *Folliculi* duo, ovati, acuti, ventricosi, angulati, dentati, villosi, 1-valves, 1-loculares. *Tota* planta lactescens.

CLIV. CYNANCHUM.

Contorta. Nectarium cylindricum, 5-dentatum.

1. C. (*filiforme.*) caule erecto, simplici; foliis linearibus, planis. *Prodr.* p. 47. Cynanchum *filiforme. Linn.* Suppl. p. 169. Syst. Veg. XIV. p. 257. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1253.

Crescit in Krum-rivier, in collibus infra montes. Floret Novembri.

Caulis teres, apice filiformis, pilosus, pedalis. *Folia* opposita, sessilia, acuta, integra, tenuissime pilosa, erecta, pollicaria vel paulo longiora, internodiis breviora. *Flores* umbellati. *Umbellae* axillares, hirsutae. *Nectarium* cylindricum, inter corollam et stamina germini insertum, 1 phyllum, erectum, corollâ brevius, lutescens, 5-dentatum dentibus acutis. *Folliculus* lineari-oblongus, glaber, digitalis.

2. C. (*crispum.*) caule erecto, herbaceo; foliis lanceolatis, crispis; floribus lateralibus. *Prodr.* p. 46. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1253.

Crescit in Swartland, inque Karro, rarissimum. Floret Octobri, Novembri.

Caulis simplex pubescens, vix bipollicaris. *Folia* opposita, attenuata in petiolos, acuta, undulata, patula, pilosa, unguicularia. *Flores* ex axillis foliorum pauci vel plures, subverticillati, pedunculati. *Pedunculi* foliis duplo breviores, capillares, pilosi. *Perianthium* 1-phyllum, erectum, brevissimum, ad basin fere 5-partitum: laciniae lineari-lanceolatae, pilosae, corollâ multoties breviores. *Corolla* 1-petala, flavo-albida, subcampanulata, 5-partita: laciniae ovatae, productae in apicem filiformem, purpureum, corollae totius longitudine. *Nectarium* cylindricum, intra corollam germini insertum, album, monophyllum, multidentatum.

3. C. (*obtusifolium.*) caule volubili, herbaceo; foliis subrotundis, glabris. *Prodr.* p. 46. CYNANCHUM *obtusifolium. Linn.* Suppl. p. 169. Syst. Veg. XIV. p. 257. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1253.

Crescit in sylvis variis. Floret Decembri. Incolis: Bavian's Tou.

Caulis teres, simplex. *Folia* opposita, petiolata, basi rotundata, ovata, obtusa cum acumine, integra, pollicaria. *Petioli* foliis paulo breviores. *Flores* umbellati. *Umbellae* axillares, pedunculatae, cernuae. *Pedunculi* breves. *Pedicelli* longitudine pedunculi; quatuor vel plures. *Perianthium* 1-phyllum, erectum, glabrum, corollâ triplo brevius, profunde 5-partitum: laciniae ovatae. *Corolla* 5-petala, campanulata, viridis, glabra, profunde 5-partita: laciniae ovatae. *Nectarium* cylindricum, album, extra stamina, corollâ brevius, profunde 5-partitum, dentatum.

4. C. (*capense.*) caule volubili, herbaceo; foliis ovatis, glabris; umbellis lateralibus. *Prodr.* p. 47. CYNANCHUM *capense. Linn.* Suppl. p. 168. Syst. Veg. XIV. p. 257. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1253.

Floret Decembri.

Caulis basi decumbens, teres, totus glaber, pedalis et ultra. *Rami* alterni secundi, volubiles. *Folia* opposita petiolata, acuminata, integra, unguicularia vel paulo ultra, inaequalia, patentia. *Petiolus* folio paulo longior. *Flores* umbellati. *Umbellae* axillares, pedunculatae, erectae. *Pedunculus* longitudine petioli. *Pedicelli* quinque et plures, capillares, pedunculo paulo breviores.

CLV. APOCYNUM.

Cor. campanulata. Filamenta 5, *cum staminibus alterna.*

1. A. (*filiforme.*) caule decumbente, herbaceo, hirto; foliis lineari-filiformibus; floribus umbellatis. *Prodr.* p. 47. APOCYNUM *filiforme. Linn.* Suppl. p. 169. Syst. Veg. XIV. p. 258. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1262. *Act. nov.* Petrop. 14. p. 511.

Crescit in arenosis campis Swartland. Floret Octobri.

Caulis totus decumbens, ramosus. *Rami* cauli similes, diffusi, divaricati, pubescentes. *Folia* opposita, sessilia, acuta, integra, glabra, laxa, pollicaria. *Umbellae* laterales, pedunculatae. *Pedunculi* teretes, villosi, digitales. *Pedicelli* pubescentes, lineam longi.

2. A. (*lineare.*) caule volubili, herbaceo, glabro; foliis lineari lanceolatis; floribus paniculatis. APOCYNUM *lineare. Linn.* Suppl. p. 169. Syst. Veget. XIV. p. 258. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1262. *Act. nov.* Petrop. 14. p. 511.

Crescit cum priori in Swartland. Floret Octobri.

Caulis filiformis, totus glaber. *Rami* alterni, pauci, similes vel capillares. *Folia* opposita, breviter petiolata, integra margine revoluto, reflexa, pollicaria. *Petioli* breves, tenuissimi. *Flores* laterales et terminales. *Panicula* capillaris, trichotoma. *Perianthium* 1-phyllum, erectum, brevissimum, pilosum, ad basin fere 5 partitum: laciniae acutae, lineari-filiformes. *Corolla* 1-petala, subcampanulata, alba, patens, ad basin fere 5-partita: laciniae lanceolatae, acutae. *Nectarii* foliola 5, alba, lanceolata, inter corollam et stamina germini inserta, erecta, corollâ breviora, staminibus paulo longiora.

3. A. (*triflorum.*) caule volubili, herbaceo, piloso; foliis lanceolatis; umbellis lateralibus, subtrifloris. APOCYNUM *triflorum. Prodr.* p. 47. *Linn.* Suppl. p. 169. Syst. Veg. XIV. p. 258. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1261. *Act. nov.* Petropolit. 14. p. 512.

Caulis filiformis, pubescens. *Rami* alterni, pauci. *Folia* brevissime petiolata, opposita, integra margine revoluto, subtus villosa, patula, vix unguicularia. *Flores* umbellati. *Umbellae* axillares, pedunculatae, biflorae et triflorae. *Pedunculi* et pedicelli capillares, divaricati, folio breviores. *Perianthium* 1 phyllum, ad basin fere 5-partitum: laciniae lanceolatae, acutae, glabrae, erectae, corollâ duplo breviores, semilineam longae. *Corolla* 1-petala, alba, 5-partita: laciniae ovatae, obtusae, erectae, longitudine dimidiae corollae. *Nectarium* foliola 5, lanceolata, corollâ duplo breviora, albida, erecta, inter corollam et stamina germini inserta. *Filamenta* 5, connata cum antheris connatis.

4. A. (*lanceolatum.*) caule volubili, herbaceo, striato, glabro; foliis lanceolatis, umbella triflora. APOCYNUM *lanceolatum. Prodr.* p. 47. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1261. *Act. nov.* Petrop. 14. p. 512.

Crescit in Groot Vaders bosch. Floret Januario.

Caulis filiformis, striatus, totus glaber, ramosus. *Rami* vix ulli. *Folia* opposita, petiolata, basi rotnndata, acuminata, integra, glabra, patula, laxa, bipollicaria. *Petioli* unguiculares. *Flores* umbellati. *Umbellae* axillares, biflorae et triflorae. *Pedunculi* et pedicelli capillares, unguiculares. *Perianthium* 1-phyllum, erectum, glabrum, brevissimum, ad basin fere 5-partitum: laciniae linearifiliformes. *Corolla* 1-petala, alba, subcampanulata, profunde 5-partita: laciniae lanceolatae, acutae. *Nectarii* folia 5, lanceolata, alba, tenuissima, erecta, distincta, germini inserta inter corollam et stamina, corollâ breviora staminibus paulo longiora.

5. A. (*cordatum.*) caule volubili, hirto; foliis ovatis, subtus villosis. *Prod.* p. 47. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1261. *Act. nov.* Petrop. 14. p. 513.

Crescit in sylvis variis. Floret Decembri.

Radix perennis. *Caulis* teres, rugosus, villosus imprimis superne, vix ramosus. *Folia* opposita, petiolata, basi rotundata, acuta, integra, marginatà, supra glabra, subtus tenuissime villosa, pollicaria et ultra. *Petioli* reflexi, folio triplo breviores. *Flores* umbellati. *Umbellae* in axillis foliorum superiorum pedunculatae. *Pedunculi* folio breviores. *Pedicelli* unguiculares. *Perianthium* 1-phyllum, ovatum, glabrum, corollâ multo brevius, ad basin fere 5 partitum: laciniae lanceolatae, acutae. *Corolla* 1-petala, virescens, glabra, ad basin fere 5-partita, patula: laciniae ovatae, concavae, obtusae, lineam longae. *Filamenta* 5, linearia, distincta, corollâ breviora, apice aucta membranâ subrotundâ concavâ, pellucidâ. *Antherae* subbinae, intra membranam apicibus filamentorum insertae, subconnatae. *Germina* duo, supera. *Styli* duo, filiformes, erecti, glabri, filamentis breviores. *Stigmata* simplica, obtusa. *Folliculi* duo, oblongi.

6. A. (*hastatum.*) caule decumbente, herbaceo; foliis hastatis. APOCYNUM *hastatum. Prodr.* p. 47. *Linn.* Suppl. p. 169. Syst. Veg. XIV. p. 258. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1259. *Act. nov.* Petropol. 14. p. 514. T. IX. f. 6.

Crescit infra Leuweberg. Floret Augusto.

Radix perennis, suffructicescens. *Caules* plures, radicales, inferne parum ramosi, filiformi-teretes, pubescentes, purpurascenti-virides, palmares. *Folia* sparsa, opposita et alterna, subsessilia, dente infra medium unico subhastata, acuta in petiolum attenuata, supra longitudinaliter sulcata, glabra, patenti-reflexa, frequentia, internodiis longiora, ultima approximata, vix unguicularia. *Flores* umbellati. *Umbellae* laterales, pedunculatae. *Pedunculus* communis, teres, glaber, subvillosus, erectus, pollicaris, umbellifer. *Pedicelli* duo, tres vel saepius quatuor, erecti, uniflori, semiunguiculares. *Bractea* in pedunculis solitaria, sub pedicellis tres vel quatuor, minimae, erectae. *Perianthium* 1-phyllum, corollâ multoties brevius, 5-fidum, laciniae ovatae, obtusae, patentes, purpurascentes. *Corolla* 1-petala, campanulata, ad basin fere 5-fida: Laciniae ovatae, obtusae, margine revolutae, virides, patentes, lineam longae. *Nectarium:* corpuscula 20, corolliformia, erecta, nivea, dissimilia, corollâ breviora; quinque breviora, subquadrata, truncata, basi parum angustata, ex-

tus sulco impressa, intus apice gibba; quinque longiora, cum brevioribus alterna, linearia, obtusa; extus plana, intus medio gibba; decem mediocria, cum brevioribus et longioribus alterna, filiformia, basi cum longioribus lateri utroque connata. *Filamenta* intra Nectarium, vix ulla. *Antherae* minimae, truncatae, virescentes. *Germina* duo, ovata, glabra, cruciato-sulcata, supera. *Stylus* unicus, teres, carnosus, basi antheris cinctus, viridis; apice albus, obtusus.

CLVI. STAPELIA.

Contorta. Nectarium duplici stellulâ tegente genitalia.

1. S. (*pilifera.*) caule aphyllo, tereti; mammillis ciliato-aristatis; flore sessili. *Prodr.* Fl. cap. p. 46. STAPELIA *pilifera. Linn.* Suppl. p. 171. Syst. Veg. XIV. p. 260. *Willd.* Sp. I. 2. p. 1286. *Masson.* Stapel. p. 17. N. 23. t. 23.

Crescit in Karro trans Hartequas Kloof et infra Roggefeld. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Radix fibrosa, tenuis. *Caulis* unus vel plures radicales, simplex vel ramosus, obtusus, totus callis tectus, lacunosus, erectus, pedalis. *Calli* frequentissimi, convexi, acutiusculi, apice piliferi: pilis simplicibus, solitariis. *Flores* in summitate caulis laterales, sparsi, approximati. *Perianthium* 1-phyllum, 5-partitum: laciniae ovatae, acutae, corollâ multoties breviores, virides, fuscescentes. *Corolla* 1-petala, subcampanulata, crassa, magnitudine corollae ANEMONES *nemorosae*, 5-partita: Tubus intus introrsus margine plano, pentagonus, genitalia excipiens. Limbi laciniae latae ovatae, aristato-acuminatae, campanulato-patentes, marginibus extrorsum flexis, duas lineas latae, unicam longae. *Color* corollae extus incarnato-purpureus, uti et intus. *Corolla* extus laevis, intus callis elevatis muricata. *Nectarium* germen coronans: squamae 5, ovatae, apice parum patentes, erectae, bifidae dentibus divaricatis, acutis uti mandibulae *Lucani Cervi*, purpureae. *Filamenta* 5, basi squamarum nectarii inserta, acuta, parum incurva, purpurea, nectarii squamis breviora. *Antherae* dorso affixae, inflexae, minutae, lutescentes. *Germen* superum. *Styli* nulli; sed *Stigmata* duo staminibus incumbentibus seu conniventibus tecta.

2. S. (*mammillaris.*) caule aphyllo, hexagono; denticulis reflexis; flore subpedunculato; laciniis limbi acutis. STAPELIA *mammillaris. Prodr.* p. 46. *Linn.* Mant. p. 216. Syst. Veg. XIV. p. 260. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1287.

Crescit in rupibus collium prope Olyfantsrivier versus septentrionem, in Karro juxta Hexrivier et alibi. Floret Aprili et aliis mensibus.

Radix fibrosa, perennis. *Caulis* carnosus, glaber, basi teretiusculus, mox ramosus, curvato-erectus, sulcatus sulcis obliquis. *Rami* alterni, hexagoni, sulcati sulcis inter angulos profundis, erecti, simplices, vel ramosi. *Anguli* sinuati, mammillato-aculeati; aculei acuti, recurvati. *Flores* e sinubus ramorum inter angulos subquaterni. *Pedunculus* teres, vix lineam longus. *Corolla* brunea, glabra, minuta: laciniae margine revoluto. *Folliculi* duo, calyce persistente

coronati, teretes, acuti, glabri, virides maculis purpureis, erecti, digitales.

3. S. (*incarnata.*) caulo aphyllo, tetragono; denticulis patentibus; flore sessili; limbi laciniis obtusis. STAPELIA *incarnata. Prodr.* p. 46. *Linn.* Suppl. p. 171. Syst. Veg. XIV. p. 260. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1289. *Masson.* Stapel. p. 22. No. 34. tab. 34.

Incolis Europaeis: Duykers-horen. Crescit in Saldanha bay, in montibus juxta Compagnies post, prope Verlooren Valley et alibi. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Caulis exacte tetragonus, laevis, obsolete sulcatus; anguli mammillato-tuberculati. Mammillae aculeatae; aculeis brevibus, rufis. *Flores* ex planis lateribus subsessiles, quaterni, horizontales. *Perianthium* 1-phyllum, erectum, 5-partitum: laciniae ovatae, acutae, virescentes, tubo corollae breviores. *Corolla* 1-petala, campanulata: Tubus ovatus, pallide incarnatus. Limbus erecto-patens, 5-partitus: laciniae lanceolatae, obtusiusculae, lineam longae, intus convexae, extus concavae margine subrevoluto, pallide incarnatae. *Nectarium* tegens genitalia, centro pistilli imposita margine virescenti: Laciniae 5, flavae, erectae, bifidae et quinque aliae ad centrum inflexae, lineares. *Germen* oblongum in fundo calycis corollaeque. *Antherae* subsessiles inter lacinias inflexas nectarii, minimae, didymae. *Styli* nulli, sed stigmata duo. *Folliculi* duo. *Usus*: Editur caulis, ob Hottentottis demtis dentibus angulorum.

4. S. (*hirsuta.*) caule aphyllo, tetragono; denticulis acutis; flore pedunculato; corollâ hirsutâ. *Prodr.* p. 46. STAPELIA *hirsuta. Linn.* Spec. p. 316. Syst. Veg. XIV. p. 260. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1278.

Crescit in Montibus prope Hap, juxta Paart et alibi. Floret Augusto, Septembri.

Caulis carnosus, denticulatus, totus hirsutus, ramosus. *Rami* alterni, tetragoni, dentati denticulis subulatis, erectis. *Flores* laterales. *Pedunculi* striati, uniflori, palmares. *Perianthium* profunde 5-partitum: laciniae lanceolatae, unguiculares. *Corolla* magna, speciosa, 5-partita; extus, tenuissime villosa, intus lanata villo ferrugineo, margine ciliata cilis albis, longis; plana, magnitudine ROSAE *gallicae. Odor* corollae cadaverosus, insecta et muscas allicit.

5. S. (*ciliata.*) caule aphyllo, tetragono: denticulis patentibus; floribus pedunculatis; laciniis limbi ovatis, squamosis, ciliatis. *Prodr.* p. 46. STAPELIA *ciliata. Willd.* Spec. I. 2. p. 1277. *Masson.* Stapel. p. 9. Tab. I.

Crescit in siccissimis regionibus Karro inter Roggefelt et Paardeberg. Floret Novembri, Decembri.

Radicis fibrae filiformes, simplices. *Caules* decumbentes, radicantes, ramosi, palmares. *Rami* tetragoni, erecti, glabri, pollicares, sulcati angulis denticulato-tuberculatis dentibusque patentibus, acutis. *Folia* nulla. *Flores* in ramulis laterales, erecti, magni, solitarii. *Pedunculus* teres, flexuoso-erectus, glaber, uniflorus, unguicularis. *Perianthium* 5-partitum: laciniae lanceolatae, acutae, glabrae, vires-

centes, lineam longae. *Corolla* 1-petala, rotata; extus laevis, glabra, viridi-purpurascens; intus cinerea, papilloso-scabra, papillis apice rufescentibus; profunde 5-partita: limbi laciniae acutae, margine ciliis subclavatis, patentibus, niveis; patentes, subpollicares, magnitudine corollae STAPELIAE *variegatae* et multo minor corolla STAPELIAE *hirsutae*. *Nectarium* exterius: sertum pateriforme seu campanulatum, crassum, integerrimum, intus extusque papillis apice purpurascentibus muricatum, cinereum, longitudine tubi corollae, crassum, tubi basi corollae connatum. *Nectarium* interius in fundo serti. *Filamenta* 5, stellae inserta, brevissima. *Antherae* ovatae, didymae, minutae. *Odor* corollae minime foetens, vix ullus.

6. S. (*fasciculata.*) caule aphyllo, subhexagono: denticulis patentibus, acutis; flore pedunculato. *Prodr.* p. 46.

Crescit in collibus Hantum prope Roggefeltsberg.

Radix filiformis, alba, raro fibrosa longa, perennis. *Caulis* statim a radice in plurimos ramos fasciculatos divisus. *Rami* sparsi, iterum ramulosi, decumbentes, carnosi; tereti-subhexagoni, tuberculis patulis acutis, inermibus, glabri, apice rufescentes, pollicares. *Pedunculus* teres, glaber, longitudine articulorum ramorum. *Perianthium* profunde 5 partitum: laciniae ovatae, acutae, glabrae, persistentes, lineam longae. *Folliculi* duo, pedunculati, erecti, medio crassiores, acuti, fusco-purpurei, calyce pentaphyllo basi cincti, palmares.

7. S. (*variegata.*) caule aphyllo, tetragono; denticulis patentibus; flore pedunculato; laciniis limbi ovatis, maculatis. *Prodr.* p. 46. STAPELIA *variegata*. *Linn.* Pl. p. 316. Syst. Veg. XIV. p. 269. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1202. STAPELIA foliis oblongis, dentatis, flore glabro, intus sulphureo, punctato, extus purpureo, striato. *Burmann. African. Dec.* 2. p. 30. T. 12. f. 2.

Crescit in montium lateribus ad Leaweberg, prope Hafferkeuls rivier et alibi vulgaris. Floret Majo, Junio, Julio.

Caulis succulentus, denticulatus, glaber, crassitie digiti, ramosus. *Rami* alterni, similes patentes: denticuli erecti, mucronati. *Flores* axillares, solitarii, magni, speciosi, cernui. *Pedunculi* teretes, nutantes, uniflori, digitales *Perianthium* 5-partitum: laciniae vix unguiculares. *Corolla* 1-petala, plana, glabra, intus undulato-squamosa, sulphurea, variegato-maculata, extus purpurea, magnitudine ROSAE *Eglanteriae*.

8. S. (*caudata.*) caule folioso; foliis linearii oblongis; flore pedunculato; laciniis limbi linearibus. *Prodr.* p. 46.

E Prom. bonae spei a me missa florait in Horto Amstelodamensi Medico, anno 1779.

Rami oppositi, erecto-patentes. *Folia* sessilia, inferne attenuata, superne dilatata, obtusissima, integra, erecto patentia, pollicaria. *Flores* axillares. *Pedunculus* solitarius, uniflorus, cernuus, corolla duplo brevior. *Corolla* plana, purpurea, intus squamosa: laciniae falcatae, acutae, pollicares.

CLVII. GENTIANA.

Cor. monopetala. Caps. 2-valvis, 1-locularis, receptaculis 2, longitudinalibus.

1. G. (*aurea.*) caule simplici; foliis lanceolato-ovatis. EXACUM *sessile. Linn.* Spec. Plant. p. 183. EXACUM *aureum. Linn.* Suppl. p. 123. Syst. Veg. XIV. p. 155. *Willd.* Spec. I. 2. p. 655.

Crescit in arenosis, verno tempore inundatis campis. Floret tempore vernali.

Radix fibrillosa annua. *Caulis* filiformis, glaber, erectus, palmaris *Folia* opposita, amplexicaulia, glabra, integra, semiunguicularia. *Flores* in summitate caulis paniculati. *Panicula* trichotoma pedicellis capillaribus. *Corollae* luteae vel aureae.

2. G. (*albens.*) caule trichotomo, tetragono; foliis ovatis, amplexicaulibus. *Prodr.* p. 48. EXACUM *pedunculatum. Linn.* Syst. Vegat. XIII. p. 131. EXACUM *albens, Linn.* Suppl. p. 125. Spec. Pl. p. 163. Syst. Veg. XIV. p. 155. *Willd.* Spec. I. 2. p. 634.

Crescit in collibus circum Kap urbem, in arenosis Groene Kloof, Gansekraal et Swartland, vulgatissime. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Radix fibrosa. *Caulis* herbaceus, erectus, glaber, palmaris. *Rami* dichotomi ramulique fastigiati. *Folia* opposita, subdecurrentia, cordato-ovata, acuta, integra, glabra, vix unguicularia. *Flores* pedunculati, albi. *Stamina* inclusa.

3. G. (*exacoides.*) foliis cordatis; calycibus carinatis. *Prodr.* p. 47. GENTIANA *exacoides. Linn.* Sp Pl p. 332. Syst. Veg. p. 268. EXACUM *cordatum. Linn.* Suppl. p. 124. Syst. Veg XIV p. 155. *Willd.* Sp. I. 2. p. 636.

Crescit in collibus capensibus vulgaris, in Swartland et alibi. Floret Augusto, Septembri, Octobri.

Planta annua, tota glabra. *Radix* fibrosa. *Caulis* tetragonus, erectus, inferne simplex, superne ramosus, palmaris. *Rami* versus summitatem caulis trichotomi *Folia* opposita, sessilia, subamplexicaulia, cordato-ovata, acuta, integra, internodiis breviora, superiora sensim minora vix unguicularia. *Flores* terminales in caulis summitate et ramis trichotomis, erecti. *Perianthium* 1-phyllum, 5-angulatum ad basin fere 5-partitum, glabrum, tubo corollae paulo brevius: laciniae lanceolatae, acutae; carinâ dorsali latâ, membranaceâ; inferne rotundatae, conniventes, striatae. *Corolla* 1-petala, tubulosa. Tubus cylindricus, flavus, unguicularis. Limbus 5-partitus: laciniarum ungues erecti, tubum ventricosum formantes. Laminae alternatim incumbentes, oblongae, obtusae cum acumine, patentes, subunguiculares, flavae, supra unguem lineolâ quadruplici aurantiacâ, quarum intermediae duae paulo longiores. *Filamenta* nulla. *Antherae* basi laciniarum limbi insertae, sessiles, flavae, oblongae. *Germen* superum, oblongum, glabrum. *Stylus* fili-

formis, tubo longior, albus, medio glanduliferus. Glandulae duae, oppositae, oblongae, virides, adnatae. *Stigma* clavatum, obtusum, simplex, quadrifidum, virescens. *Capsula* oblonga, subcompressa, glabra, quadristriata, bivalvis, bilocularis. *Semina* duo, oblonga.

4. G. (*dubia.*) foliis .-. . .; corollis 4 fidis; calyce lanceolato; paniculâ terminali, trichotomâ, supradecompositâ. *Prodr. Flor. Cap.* p. 48.

Crescit inter Sondags-rivier et Visch-rivier. Floret Novembri, Decembri.

Caulis fructiferus aphyllus fuit, foliis dudum deciduis, teres, simplex, erectus, spithameus. *Florum* panicula erecta, subfastigiata. *Calyx* 4-partitus: laciniis lanceolatis, acutis, minimis. *Corolla* 4-partita, purpurea: laciniis acutis. *Capsula* oblonga, 4-mucronata, stylis duobus bipartibilibus.

CLVIII. LINCONIA.

Petala 5, *foveolis nectarii basi insculpta. Caps. seminifera*, 2-*locularis.*

1. L. (*alopecuroidea.*) *Prodr.* p. 48. *Linn.* Mant. p. 216. Syst. Veg XIV. p. 261. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1296.

Crescit in montibus variis. Floret Octobri, Novembri.

Frutex erectus, totus glaber, bipedalis et ultra. *Rami* verticillati, elongati, virgati, raro ramulosi. *Folia* sparsa, frequentia, subverticillata, imbricata, apicibus parum patulis, breviter petiolata, trigona, obtusa, integra, inferiora glabra, superiora pilosa, unguicularia. *Petioli* pallidi seu flavescentes, trigoni, adpressi. *Flores* comosi seu infra apices ramorum laterales, aggregati. De Genere nihil dicere valeo, cum nunquam flores explicatos invenire mihi contigerit.

CLIX. SALSOLA.

Cal. 5-*phyllus. Cor.* 0. *Caps.* 1-*sperma. Sem. cochleatum.*

1. S. (*diffusa.*) herbacea, tomentosa, decumbens; foliis lanceolatis. *Prodr.* p. 48. CHENOLEA *diffusa. Nov. Gen.* Plant. P. 1. p. 9. 10. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 247.

Crescit in depressis prope Kap, in maritimis Saldanha bay, alibique. Floret Martio et pluribus insequentibus mensibus.

Caules plures radicales, filiformes, herbacei, simplices et ramosi, decumbentes, purpurei, basi glabri, apice subtomentosi, inaequales, apicibus erectis, palmares et ultra. *Rami* alterni, pauci, brevissimi, cauli similes. *Folia* decussata, sessilia, ovato-lanceolata, obtusa cum acumine, carnosa, integra, supra plana, subtus convexa, frequentia, suprema imbricata, erecto patentia, argenteo-tomentosa, internodiis longiora, semiunguicularia. *Flores* axillares, solitarii vel bini, sessiles in omni axilla

foliorum versus apices ramorum. *Perianthium* 1-phyllum, concavum, subcarnosum, intus glabrum, extus argenteo-tomentosum, profunde 5-partitum. *Corolla* nulla. *Filamenta* 5, basi calycis inserta, filiformia, erecta, longitudine calycis. *Germen* superum. *Stylus* unicus, vix lineam longus. *Stigmata* duo, subulata, patenti-reflexa. *Semen* subrotundum, depressum, glabrum nigrum, membranâ tenui tectum.

Obs Revera ad SALSOLAS referri debet, aeque ac CAROXYLON et forsan ANABASIS; licet in multis differre videantur. SALSOLAE vero character emendandus erit. Species enim variae variant flore, stylo, ceteris.

2. S. (*fruticosa*) fruticosa, erecta; foliis filiformibus, obtusis. SALSOLA *fruticosa*: *Prodr.* p. 48. *Linn.* Sp Pl. p. 324. Syst. Veg. XIV. p. 263. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1316.

Crescit in Mimosae sylvulis juxta Karro trans Platte-Kloof et alibi. Floret Octobri, Novembri.

Frutex fere orgyalis, totus glaber, cinereus. *Rami* sparsi, frequentes, similes. *Flores* axillares.

3 S. (*aphylla.*) arborescens, subaphylla. *Prodr.* p. 48. CAROXYLON *Salsola. Nov Plant. Gener.* P. 2. p 37. SALSOLA *aphylla. Linn.* Suppl p. 173. Syst. Veg. XIV. p. 264. *Willd* Spec. I. 2. p. 1316.

Incolis Africae, Europaeis: Kanna-bosch. Crescit in omnibus desertis, Karro dictis, communis. Floret Octobri et aliis mensibus.

Arbor orgyalis et ultra, erecta, glabra, ramosissima. *Rami* sparsi, rigidi, exaridi, flexuosi, cinerei, ramulosi *Ramuli* ultimi sparsi, teretes, flexiles, subfoliosi, albo-tomentosi; floriferi, pollicares et ultra. *Folia* vel si mavis, squamae foliaceae in ultimis ramis frequentissimae, imbricatae, sessiles, carnosae, subgloboso-ovatae; intus concavae, glabrae, extus gibbae, obtusae; cinereo-tomentosae, adpressae, minutissimae. Axillae foliolis aliis onustae. *Perianthium* diphyllum, suborbiculatum, rude, intus concavum, extus carinatum, margine tenuissimum, erectum, corollâ brevius. *Corolla* 1-petala, fere ad basin 5-partita: Tubus nullus. Limbi laciniae obtusae, laxae, subrotundae, concavo-crispae, membranaceae, patentes, flavescentes, vel parum obscure purpurascentes. *Nectarium:* squamae 5, corollae mediae insertae, corollâ pauló angustiores et breviores, cumque ea inferne connatae; fructui conniventi impositae, ovatae, acutiusculae concavae, membranaceae, flavescentes basi virescente. *Filamenta* 5, lateri germinis inserta, corollâ breviora, alba, capillaria. *Antherae* minimae. *Germen* superum, conicum, glabrum. *Stylus* simplex, erectus, albus, corollâ brevior. *Stigmata* duo, revoluta, albida; raro stigma simplex. *Semen* unicum, depressum, rotundum, viride, spirale, membranâ tenuissimâ vestitum, nectarioque filamentis persistentibus tectum. *Usus:* in campis peregrinantibus inservit tempore nocturno igni alendo, uti et in Colonia, ubi Colonis europaeis cineres adhibentur ad saponem cum pinguedine ovina conficiendum.

CLX. HERNIARIA.

Cal. 5-*partitus.* *Cor.* o. *Stam.* 5, *sterilia.* *Caps.* *monosperma.*

1. H. (*lenticulata.*) suffruticosa, hirsuta, foliis ovatis. HERNIARIA *lenticulata.* *Prodr.* p. 48 *Linn.* Spec. p. 317. Syst. Veg. XIV. p. 261. *Willd.* Spec. I. 2 p. 1297.

Crescit in koude Bockefeld. Floret Octobri.

Tota decumbens, villo brevissimo, cinereo, ramulosa. *Rami* et ramuli filiformes, diffusi. *Folia* opposita, subpetiolata, carnosa, integra, tenuissime villosa.

CLXI. CHENOPODIUM.

Cal. 5-*phyllus*, 5-*gonus.* *Cor.* o. *Sem.* 1, *lenticulare*, *superum.*

1. C. (*portulacoides.*) foliis obovatis, cinereis, pulverulentis, integris; caule fruticoso. ATRIPLEX *portulacoides.* *Linn.* Syst. Veg. per Gmelin. p. 450. *Willd.* Spec. Tom. 4. P. 2. p. 957.

2. C. (*sinuatum.*) foliis oblongis, subhastatis, sinuato-dentatis; caule erecto, herbaceo; capitulis spicatis, aphyllis. CHENOPODIUM *laciniatum.* *Prodr.* *Flor.* *cap.* p. 48.

Caulis simplex vel superne parum ramosus, obsolete angulatus, parum pulverulentus, subglaber, pedalis vel paulo ultra. *Rami* supra medium pauci, alterni, patenti-erecti *Folia* alterna, petiolata, obtusa, supra glabra, subtus argenteo-punctata, patentia et reflexa, pollicaria. *Petiolus* unguicularis. *Florum* glomeruli in racemis elongatis alterni, aphylli. Similis ATRIPLICI *tataricae;* distincta racemis aphyllis.

3. C. (*vestitum.*) foliis ovatis, obtusis, glaucis; caule fruticoso, decumbente. *Prodr.* p. 48. ATRIPLEX *glauca.* *Linn.* Spec. Pl. p. 1493. Syst. Veg. XIV. p. 909. *Willd.* Spec. 4. 2. p. 958.

Tota planta cinereo-glauca, decumbens, apice erecta, suffruticosa. *Folia* ovata et deltoidea mixta, interdum mucronata. *Racemi* terminales, divisi, glomerati, aphylli.

4. C. (*microphyllum.*) foliis ovatis, integris, glaucis; caule fruticoso. *Prodr.* p. 48. ATRIPLEX *microphylla.* *Willd.* Spec. 4. 2. p. 958.

Caulis mox a basi ramosus, cinereo-glaucus, erectus, vix pedalis. *Rami* teretes, aphylli, ramulosi. *Ramuli* similes, sparsi, flexuosi, virgati. *Folia* sparsa in ramulis, obtusa, lineam longa. *Flores* in axillis foliorum.

5. C. (*halimus.*) foliis rhombeis integris, glaucis; caule fruticoso. *Prodr.* p. 48. ATRIPLEX *halimus.* *Linn.* Spec.

Pl. p. 1492. Syst. Veg. XIV. p. 909. *Willd.* Spec. 4. 2. p. 95.

Colonis Europaeis: Specke-bosches. Crescit in oris maritimis, inque omni Karro prope rivulos, solo salso. Floret Octobri et sequentibus mensibus.

Caulis erectiusculus, glaber, pedalis et ultra. *Rami* alterni, tetragoni, divaricati, incurvato erecti, simplices. *Folia* alterna, petiolata, triangulari rhomboidea, acuta, unguicularia. *Petiolus* longitudine folii. *Florum* racemi versus apices glomerati.

6. C. (*murale.*) foliis ovatis, dentatis, acutis; racemis ramosis, aphyllis. *Prodr.* p. 48. CHENOPODIUM *murale*, *Linn.* Spec. Pl. p. 318. Syst. Veg. XIV. p. 261. *Willd.* Spec. 1. 2. p. 1301.

Crescit in collibus infra Taffelberg latere occidentali, forsan e seminibus ex Europa huc allatis. Floret Julio, Augusto.

7. C. (*mucronatum.*) foliis triangularibus, hastatis, obtusis, mucronatis; racemis foliosis. *Prodr.* p. 48. *Willd.* Sp. 1. 2. p. 1299.

Caulis herbaceus, erectus, striato-angulatus, tenuissime pubescens, apice parum ramosus, sesquipedalis. *Rami* alterni, versus apicem caulis, pauci. *Folia* alterna, petiolata, angulis et apice rotundatis obtusissimis, integra, nervosa, glabra, unguicularia. Axillae foliolis onustae. *Petiolus* longitudine folii. *Racemi* florum in summitate laterales, pulverulento-tomentosi.

8. C. (*ambrosioides.*) foliis lanceolatis, subdentatis, summis integris; racemis foliosis. *Prodr.* p. 48. CHENOPODIUM *ambrosioides.* *Willd.* Syst. Pl. I. 2. p. 1304.

CLXII. VAHLIA.

Cal. 5-*phyllus.* *Cor.* 5-*petala.* *Caps. infera*, 1-*locularis*, *polysperma.*

1. V. (*capensis.*) Nov. Gen. Plant. P. 2. p. 36. *Prodr.* p. 48. VAHLIA *capensis* et RUSSELIA *capensis.* *Linn.* Suppl. p. 24. 175. Syst. Veg. XIV. p. 270. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1354.

Crescit prope Verheerde Valley, locis sabulosis. Floret Decembri.

Tota planta villosa. *Radix* perennis. *Caules* subradicales plures, herbacei, erecti, simplices vel ramosi, teretes, spithamaei. *Rami* oppositi, fastigiati, cauli similes. *Folia* opposita, sessilia, lanceolata, acuta, integra, concava, erecta, longitudine internodiorum, pollicaria. Axillae onustae foliis minoribus. *Flores* axillares, pedunculati. *Pedunculus* teres, erectus, biflorus, in medio bracteatus, bracteâ lanceolatâ. *Facies* AIZOI.

CLXIII. CUSSONIA.

Cal. 1-*phyllus*, *subdentatus*. *Cor.* 5-*petala*. *Involucrum* 0. *Semina bilocularia*.

1. C. (*thyrsiflora.*) foliis quinatis: foliolis simplicibus ternatisque, cuneatis, apice dentatis. *Prodr.* p. 49. Cussonia *thyrsiflora*. *Act. Nov.* Upsal. Vol. 3. p. 212. T. 12. *Linn.* Syst. Veg. XIV. per *Gmelin.* p. 492. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1355.

Incolis Speckebosch. Habitat in littore Hout-bay, in proclivis Taffelberg, prope Zecko-rivier, alibique. Floret Junio; defloruit Julio.

Tota planta omnino glabra. *Caulis* frutescens, succulentus, erectus, orgyalis. *Folia* in summitatibus approximata, alterna, petiolata, erecta. Foliola obovata, obtusissima, saepe retusa, apice dentibus aliquot notata, saepius simplicia, rarius ternata: pinnis lateralibus minutis, decurrentibus: subcoriacea, pollicem lata, digitalia et ultra. *Petioli* teretes, striato-angulati, erecti, semispithamaei. *Flores* racemosi. *Racemi* oblongi, obtusi, digitales. *Pedunculi* umbellati, tres vel plures, striati, digitales. *Pedicelli* sparsi, patentes, semiunguiculares.

2. C. (*spicata.*) foliis septenis: foliolis simplicibus ternatisque, lanceolatis, apice serratis. *Prodr.* p. 49. Cussonia *spicata*. *Act. Nov. Upsal.* Vol. 3. p. 212. T. 13. *Linn.* Syst. Veg. per *Gmelin.* p. 492. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1355.

Crescit trans Hexrivier, in Swarte Valley, juxta Valsrivier alibique.

Tota planta glabra caule ut in priori. *Folia* in summitatibus approximata, alterna, longius petiolata, erecta. Foliola inferne attenuata in petiolos proprios, acuminata, a medio ad apicem argute serrata; vel simplicia, vel ternata pinnis lateralibus decurrentibus. *Petioli* teretes, erecti, spithamaei. *Flores spicati:* spicis oblongis, cylindricis. *Pedunculi* umbellati, tres vel plures, digitales.

CLXIV. BUPLEURUM.

Involucra umbellulae majora, 5-*phylla*. *Petala involuta*. *Fructus subrotundus*, *compressus*, *striatus*.

1. B. (*arborescens.*) frutescens; foliis petiolatis, ovatis, glabris. *Prodr.* p. 50. Bupleurum *arborescens*. *Linn.* Syst. Veg. per *Gmelin.* 2. 1. p. 471. *Willd.* Spec. Plant. 1. 2. p. 1376.

Crescit in Krum-rivier prope ipsum rivum et alibi. Floret Januario, Februario.

Caulis fruticosus, erectus, purpurascens, totus glaber, pedalis et ultra, omnino inermis. *Rami* alterni, divaricati, caule similes. *Folia* sparsa, mucronata, integra, marginata, tenuissime parallelo nervosa; supra viridia, subtus pallidiora, patentia, inaequalia, pollicaria et unguicularia. *Petioli* supra sul-

cati, striati, unguiculares. *Umbellae* terminales. *Involucrum* universale et partiale e parvis foliolis ovatis, brevissimis. Differt a B. *fraticoso* imprimis foliis petiolatis et minoribus.

2. B. (*difforme.*) frutescens; foliis filiformibus, trifidis. *Prodr.* p. 50. Bupleurum *difforme*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 274. *Willd* Spec. I. 2. p. 1378.

Crescit in montium lateribus in Krum-rivier et alibi. Floret Novembri et Decembri.

Caulis frutescens, erectus, ramosus, totus glaber, pedalis et ultra. *Rami* paniculati, divaricati, aphylli, ultimi capillares. *Folia* gemmis fasciculata, sulcata, apice trifida, glabra, erecto patentia, palmaria et ultra. *Umbellae* in ultimis ramulis terminales. *Involucrum* universale et partiale circiter 5-phyllum, glabrum, brevissimum: foliola subulata.

CLXV. HERMAS.

Polygama. ☿. *Umbella terminalis involucro universali et partiali. Umbellulae radiis truncatis; centrali florifero. Pet.* 5. *Stam.* 5 *sterilia. Sem bina suborbiculata.*

♂. *Umbellae laterales involucro universali partialique: umbellulae multiflorae. Pet.* 5. *Stam.* 5, *fertilia.*

1. H. (*ciliata.*) foliis ovatis, ciliatis, subtus tomentosis. *Prodr.* p. 50. Scabiosa hirsuta, foliis nervosis, subrotundis; floribus proliferis. *Burman. African.* p. 199. T. 72. f 3. Hermas *ciliata*. *Linn.* Syst. Veg XIV. p. 913. Suppl. p. 436. *Nov. Act. Petropol.* T. 14. p. 531.

Crescit in summitate montis Hottentotts-holland. Floret Januario, Februario.

Caulis teres, striatus, erectus, glaber, aphyllus, pedalis et ultra. *Rami* pauci, alterni, cauli similes. *Folia* radicalia, aggregata, plurima, petiolata, obovata, supra glabra, subtus albo-tomentosa, patenti-expansa, sesquipollicaria. *Petioli* depressi, plani, lineares, pilosi, longitudine foliorum. *Stipulae* in caule alternae, lineari-lanceolatae, erectae, unguiculares. *Flores* umbellati. *Umbellae* terminales, subrotundae. *Involucrum* universale, polyphyllum, glabrum: foliola circiter decem, ovata, acuta, umbellâ breviora; partialia oblonga, apice purpurascentia. *Corolla* alba.

2. H. (*capitata.*) foliis erectis, inciso-crenatis, subtus tomentosis. Bupleurum *capitatum*. *Prodr.* p. 50 Hermas *capitata*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 913. Suppl. p. 435. *Nov. Act. Petropolit.* Tom. 14. p. 332. T XII.

Crescit in proclivis altioribus frontis Taffelberg. Floret Januario, Februario.

Folia radicalia, plurima, petiolata, cordato-ovata, obtusa, supra glabra, subtus albo-tomentosa, pollicaria. *Petioli* sub-

teretes, tomentosi, bipollicares. *Caulis* erectus, teres, tomentosus, pedalis. *Rami* alterni. filiformes, pauci, erecti *Stipulae* caulis subfiliformes. *Umbellae* terminales, subcapitatae. *Involucrum* universale polyphyllum: foliola ovato lanceolata, glabra, umbellâ breviora. Partiale e paucis foliolis purpurascens: foliola elliptica. *Corolla* alba. *Antherae* purpurascentes.

3. H. (*villosa.*) foliis sessilibus, oblongis, dentatis, subtus tomentosis. *Perfoliata* foliis oblongis, sinuosis, subtus incanis. *Burman. Afric. Decad* p. 190. T. 71 f 2. BUPLEURUM *villosum. Prodr.* p. 50. *Linn.* Spec. Plant. p. 343. HERMAS *depauperata. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 913. per *Gmelin.* 2. 1. p. 465. HERMAS *villosa. Nov. Act. Petropolit* T. 14. p. 551.

Crescit in summis lateribus Leuwekopp, Dayvelsberg et Taffelberg copiose. Floret Februario.

Caulis teres, erectus. basi tomentosus; superne glaber, striatus, purpurascens. *Folia* alterna, amplexicaulia, acuta. supra viridia, subtus albo-tomentosa, erecta, palmaria. *Umbellae* terminales. *Involucrum* universale polyphyllum, glabrum: foliola saltem duodecim, oblonga, acuta, umbellâ breviora; partiale circiter triphyllum foliolis obovato-oblongis.

4. H. (*quinquedentata.*) foliis ovatis, quinquedentatis, subtus tomento is. HERMAS *quinquedentata. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 913. Suppl. p. 436. *Thunb.* Nov. Act. Petrop. Tom. 14. 533. Tab. XII. BUOLEURUM *quinquedentatum. Prodr.* Flor. cap. p. 50.

Crescit in proclivis frontis Taffelberg. Floret mense Januarii.

Caulis filiformis, simplex, erectus, glaber, pedalis. *Folia* plura radicalia, vel in infima caulis parte approximato-alterna, raro ulla caulina; petiolata, supra viridia, subtus albo-tomentosa, semipollicaria. *Petioli* semiunguiculares. *Umbellae* terminales, subrotundae. *Involucrum* universale et partiale e paucis foliolis ovato-lanceolatis, acutis, glabris. *Corolla* alba.

5. H. (*gigantea.*) foliis oblongis, serratis, utrinque tomentosis. HERMAS *gigantea. Nov. Act. Petropol.* Tom. 14. p. 529. T. XI. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 913. Suppl. p. 435. BUPLEURUM *giganteum.* Prodr. p. 50.

Africanis incolis; Tundel-bloom. Crescit in lateribus summis montium Rode Sand, prope Winterhoek; juxta Mosterisaoek, in vicinia Franschehoek et alibi. Floret Januario.

Folia radicalia, petiolata, ovato oblonga, obtusa, serrulata, utrinque lanata, inaequalia, palmaria usque pedalia. *Petioli* lineares, lanati, palmares vel spithamaei. *Caulis* aphyllus, teres, erectus, striatus, purpurascens, pedalis et ultra, ramosus. *Rami* alterni et subopposite, divaricati, cauli similes. *Umbellae* terminales. *Involucrum* universale polyphyllum, umbella brevius: foliola lanceolata, glabra. *Pedunculi* filiformes, glabri, purpu-

rascentes, pollicares. *Pedicelli* vix unguiculares. *Corollae* purpureae. Usus: e tomentosa lana detracta foliorum juniorum alba Incolae et Hottentotti fomitem suum siccando conficiunt; inde quoque, scilicet e tomento totius folii integerrimo detracto, animi gratia, capitia, chirotecas, tibialia et cetera confi iunt minuta, quae e viridibus folii nervis, tomento adhaerentibus, latere altero pulchre reticulata et picta sunt.

CLXVI. HYDROCOTYLE.

Umbella simplex. Involucrum 4-phyllum. Petala integra. Sem. semiorbiculato-compressa.

1. H. (*virgata.*) foliis teretibus, sulcatis. *Prodr.* p. 9. *Diss. de Hydrocotyle.* Hydrocotyle *virgata. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 272. per *Gmelin.* p. 468. Suppl. p. 176. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1365.

Crescit in sylvis Africae australis rarior. Floret Octobri, Novembri.

Caulis suffruticescens, erectus, ramosus, totus glaber, pedalis et ultra. *Rami* dichotomi, cauli similes. *Folia* prope articulos duo, vel plura, subteretia, linearia, acuta, integra, erecta, internodiis longiora, palmaria, superioribus sensim brevioribus. *Umbellae* axillares, sessiles, simplices, multiflorae. *Pedunculi* capillares.

2. H. (*linifolia.*) foliis lineari-lanceolatis, integris, hirsutis. *Prodr.* p. 49. *Diss. de Hydrocotyle.* Hydrocotyle *linifolia. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 272. Suppl. p. 176. *Willd.* Spec. Plant. I. 2. p. 1364.

Caulis filiformis, flexuosus, decumbens, striatus, totus tenuissime subtomentosus, ramosus. *Rami* pauci, alterni, cauli similes. *Folia* alterna, sessilia, vel in petiolos sensim attenuata, acuta, subfalcata, pollicaria. *Flores* verticillato-umbellati. *Umbella* pauciflora.

3. H. (*triloba.*) foliis cuneatis, trilobis, glabris.

Crescit in interioribus regionibus. Masson.

Caulis suffruticosus, glaber, erectus, subramosus. *Folia* petiolata, obovata, lobis acutis, integerrima, subpollicaria. *Petioli* alterni, approximati, amplexicaules, angulati, glabri, digitales. *Flores* axillares. *Semina* ovata, compressa, striata.

4. H. (*tridentata.*) foliis cuneatis, trifidis, villosis. *Prodr.* p. 49. *Diss. de Hydrocotyle.* Hydrocotyle *tridentata. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 272. Suppl. p. 176. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 364.

Radix filiformis, alte descendens. *Caulis* simplex, tomentosus, erectus, pollicaris. *Folia* radicaliaet caulina sparsa, petiolata, apice trifida, integra, sensim attenuata in petiolos, cum petiolis pollicaria. *Umbellae* pilosae.

5. H. (*tomentosa.*) foliis obovatis, dentatis, tomentosis. *Prodr.* p. 49. *Dissert. de Hydrocotyle.* Solandra

capensis. *Linn.* Gener. Plant. 1061 Spec. Pl. p. 1407. Hydrocotyle *Solandra.* *Linn.* Suppl. p. 176. Syst. Veg. XIV. p. 272. per *Gmelin.* p. 468.

Crescit in collibus montium prope Cap vulgaris, infra latus occidentale Taffelberg copiose, inter Laup et Swartkops revier et alibi. Floret mensibus Julii, Augusti usque in Decembris mensem.

Radix subfiliformis, repens, ramosa, cauliculos pures edens, perennis. *Caulis* supra terram saepe vix ullus, vel brevis, foliis tectus. *Folia* subradicalia, approximata, alterna, petiolata, subrotunda, vel cuneiformi obovata, inciso septemdentata, sericeo tomentosa, erecta, subunguicularia. *Petioli* linearcs, unguiculares, usque pollicares *Flores* umbellati. *Pedunculi* ex alis foliorum, unus duo vel tres, teretes, erecti, villosi, umbelliferi, longitudine foliorum. *Umbella* simplex, quinqueflora vel saepius sexflora. *Flosculi* pedicellati, intermedio subsessili. *Pedicelli* breves, villosi, vix lineam longi. *Involucrum* saepius tetraphyllum, raro pentaphyllum, rarissime hexaphyllum: foliolis lanceolatis, concavis, intus glabris, extus tomentosis, erectis, longitudine pedicellorum. *Perianthium* proprium nullum. *Receptaculum* flosculorum radii superum, dilatatum lateraliter, planum, didymum, atro-purpureum vel virescens. *Petala* infra marginem receptaculi inserta, ovata, acuta, erecta, remota, alba, lineam dimidiam longa. *Filamenta* quinque infra marginem receptaculi inter petala inserta, filiformia, erecta, alba, longitudine petalorum *Antherae* ovatae, striatae, incumbentes, fuscescentes. *Germen* inferum. *Styli* duo, fissurae receptaculi et fructus inserti, erecto patentes, brevissimi, decidui. *Stigmata* simplicia, obtusiuscula. *Semina* duo, obcordata, compressa.

Obs. I. quod planta tota incano tomentosa sit, adeoque ab umbellatis in genere valde dissimilis. II. Cum omnes flores hermaphroditi, stylisque instructi sint, referatur ad Pentandriam Digyniam. III. Corolla universalis uniformis est, flosculi radii steriles, disci flos fertilis; propria pentapetala vel hexapetala.

6. H. (*glabra.*) foliis obovatis, glabris. *Prodr.* p. 49. *Dissert. de Hydrocotyle.* Centella *glabrata.* *Linn.* Spec. Pl. p. 1393. Hydrocotyle *glabrata.* *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 272. per *Gmelin.* p. 463. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1363.

Crescit in Hottentottis Holland arenosis; infra Taffelberg latere orientali et prope Ronde bosch. Floret Majo, Junio.

Caulis filiformis, curvatus, decumbens, obsolete striatus, totus glaber, parum ramosus. *Rami* simplices et dichotomi, cauli similes, elongati. *Folia* in articulis opposita, petiolata, elliptica, acuta, integra, coriacea, inaequalia, subpollicaria. *Petioli* unguiculares. *Flores* umbellati, umbellâ axillari, sessili, simplici, multiflorâ.

7. H. (*villosa.*) foliis cordatis, integris, villosis. *Prodr.* p. 49. *Diss. de Hydrocotyle.* Centella *villosa.* *Linn.*

Spec. Plant. p. 1397. *Mercurialis afra. Linn.* Mant. p. 298. HYDROCOTYLE *villosa. Linn.* Syst. Veg. XIV. per *Gmelin.* 2. 1. p. 467. *Willd.* Spec. Plant. 1. 2. p. 1362.

Crescit in proclivis Taffelberg, infra frontem. Floret Augusto.

Caulis decumbens, filiformis, totus villosus. *Rami* trichotomi, elongati, cauli similes. *Folia* in articulis duo vel plura, petiolata, cordato ovata, acuta, inaequalia, lineam longa, usque pollicaria. *Petiolas* longitudine folii, vel paulo longior. *Flores* subverticillato-umbellati. *Umbella* axillaris, sessilis, simplex. *Variat* foliis magis cordatis et oblongis, minoribus et majoribus.

8. H. (*asiatica.*) foliis reniformibus, denticulatis. *Prodr.* p. 49. *Diss. de Hydrocotyle.* HYDROCOTYLE *asiatica. Linn.* Spec. Plant. p. 338. Syst. Veg. XIV. p. 272. per *Gmelin.* 2. 1. p. 467. *Willd.* Spec. Pl. 1. 2. p. 1362.

Crescit in proclivis montis Tabularis; in sylvis Houtniquas, in Groot Vaders bosch alibique. Floret Novembri et Decembri et sequentibus mensibus.

Caulis filiformis, decumbens, striatus, tenuissime pilosus, parum ramosus. *Rami* dichotomi, simplices, cauli similes. *Folia* alterna, petiolata, nervosa, pilosa, inaequalia, unguicularia usque pollicaria. *Flores* axillares, umbellati. *Umbella* simplex, sessilis, pauciflora.

9 H. (*verticillata.*) foliis peltatis, ovalibus, crenatis, glabris; umbellis subverticillatis.

Caulis repens, articulatus, radicans. *Folia* ad articulos solitaria, erecta, glabra, suborbiculato-ovalia, lobato-crenata, pollicaria. *Petiolus* pollicaris, usque bipollicaris. *Pedunculi* erecti, pollicares. *Umbellae* duae, altera terminalis, altera in medio pedunculi, pauciflorae. *Similis* H. *vulgari;* differt vero. 1. foliis majoribus, magis oblongis. 2. petiolis longioribus. 3. umbellis verticillatis.

10. H. (*vulgaris.*) foliis peltatis; umbellis quinquefloris. *Prodr.* p. 49. *Dissert. de Hydrocotyle.* HYDROCOTYLE *vulgaris. Linn.* Spec. Pl. p. 338. Syst. Veg. XIV. p. 271. per *Gmelin.* p. 1. p. 467. *Willd.* Spec. 1. 2. p. 1360.

Crescit in Krum-rivier. Floret Novembri, Decembri.

Caulis repens, articulatus, radicans. *Folia* alterna, orbiculata, lobata, glabra, unguicularia. *Petioli* unguiculares. *Umbellae* pedunculatae, simplices, pauciflorae. *Pedunculi* flexi, semiunguiculares.

CLXVII. OENANTHE.

Flosculi difformes; in disco sessiles, steriles. Fructus calyce et pistillo coronatus.

1. O. (*inebrians.*) foliorum inferiorum pinnis ovatis, su-

periorum linearibus; petiolis angulatis. *Prodr.* p. 49. Oenanthe *inebrians. Willd. Spec. Plant.* I. 2. p. 1443.

Hottentottis: Gli. Crescit in proclivis Taffelberg infra frontem, in montibus Mosterts hoek et aliis. Floret Octobri, Novembri et sequentibus mensibus. Semina maturantur Februario.

Caulis inanis, teres, striatus, totus glaber, erectus, simplex, pedalis et ultra. *Folia* alterna, petiolata, difformia, bipinnata: inferiorum pinnae inciso-dentatae; superiorum dentatae. *Petioli* angulis acutis pallidis, amplexicaules, vaginantes, pollicares usque palmares. *Flores* umbellati. *Umbellae* laterales et terminales, pedunculatae. *Pedunculi* elongati, fastigiati. *Semina* oblonga, calycis laciniis coronata, striata, stylis persistentibus ornata Usus: Radix siccata et in pulverem redacta cum aqua et melle miscetur optime, ut infusum fermentare incipiat. Peracta per noctem fermentatione, instar cerevisiae bibitur atque sine cephalalgia insequente inebriat.

2. O (*tenuifolia.*) foliis bipinnatis: pinnis linearibus, summis indivisis. *Prodr.* p. 49. Oenanthe *tenuifolia. Willd.* Spec. Pl. I 2. p. 1443.

Caulis teres, striatus, erectus, simplex, bipedalis et ultra, totus omnibus partibus glaber. *Folia* alterna petiolata: infima bipinnata; pinnae lineares, incisae: superiora pinnata: suprema indivisa *Petioli* vaginantes, angulati, in folia inconspicue abeuntes. *Flores* umbellati. *Umbellae* in pedunculis alternis subfastigiatis terminales. *Semina* oblonga, membranaceo angulata, calyce stylisque coronata.

3. O. (*ferulacea.*) foliis supradecompositis: pinnulis subulatis, sulcatis. *Prodr. p.* 50. Oenanthe *ferulacea. Willd.* Spec. Pl. I. 2 p. 1443.

Crescit in proclivis altis Montis Tabularis. Floret Januario, Februario.

Caulis erectus, teres, striatus, totus glaber, sesquipedalis. *Rami* in supremo caule pauci. *Folia* basi vaginantia vaginâ latâ membranaceâ emarginatâ, supradecomposite-pinnatifida, glabra: laciniae lanceolatae, acutae, supra unisulcatae, subtus bisulcatae. *Umbellae* terminales. *Involucra* universale et partialia ex foliis aliquot lanceolatis, acuminatis, glabris. *Semina* oblonga, coronata calyce et stylis persistentibus, striata, glabra.

4. O. (*interrupta.*) foliis interrupte bipinnatis: laciniis inciso serratis. *Prodr.* p. 50. Oenanthe *interrupta. Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1443.

Crescit in Swartland; prope Luris rivier et alibi. Floret Octobri, Novembri, Decembri.

Caulis teres, striatus, basi villosus, erectus, pedalis. *Rami* pauci, cauli similes. *Folia* radicalia, plura, basi latâ amplexicauli; subsessilia, bipinnata, plana, glabra. Pinnae oppositae, decurrentes in rhachi eroso-dentata, ut interrupte pinnata videantur folia, inciso-pinnatifida laciniis denticulatis. *Stipulae*

articulos vaginantes, lanceolatae, integrae. *Umbellae* terminales. *Pedunculi* inaequales; radii longiores, striati. *Pedicelli* brevissimi. *Involucra* circiter quinquephylla: foliolis lanceolatis, setaceo-acutis. *Corolla* alba. *Semina* ovata, coronata dentibus calycis et stylis persistentibus, glabra.

5. O. (*exaltata.*) caule striato. *Prodr.* p. 50. OENANTHE *exaltata. Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1443.

Caulis teres, glaber, purpurascens, flexuosus, erectus, tripedalis, ramosus. *Rami* pauci, similes. *Stipulae* in articulis lanceolatae. *Folia* nulla mihi obvenerunt in planta, quae dudum defloruerat. *Umbellae* terminales. *Involucra* lanceolata, glabra. *Semina* turbinata, striata, glabra, coronata calycis dentibus et stylis persistentibus.

CLXVIII. SANICULA.

Umbellae confertae subcapitatae. Fructus scaber. Flores disci abortientes.

1. S (*canadensis.*) foliis radicalibus compositis: foliolis ovatis. *Prodr.* p. 49. SANICULA *canadensis. Linn* Spec. Pl. p. 339. Syst. Veg. XIV. p. 272. *Willd.* Spec. I. 2. p. 1366.

Crescit in sylvis Houtniquas et in Grootvaders bosch. Floret Novembri, Decembri, Januario.

CLXIX. ASTRANTIA.

Involucra partialia, lanceolata, patentia, aequalia, longiora, colorata. Flores plurimi abortientes.

1. A. (*ciliaris.*) foliis lanceolatis, serrato-ciliatis. *Prodr.* p. 49. ASTRANTIA *ciliaris. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 273. Suppl. p. 177. *Willd.* Sp. Plant. I. 2. p. 1369. JASIONE *capensis. Bergius* Act. Nov. Upsal. Vol. 3. p. 187. T. 10.

Crescit in Lange Kloof, Krum-rivier, in Houtniquas, alibi. Floret Decembri et medià aestate.

Caulis striatus, glaber, erectus, ramosus, pedalis et ultra. *Rami* in parte caulis superiori pauci, alterni. *Folia* alterna, radicalia petiolata, caulina sessilia, oblonga seu lanceolata, ciliata, glabra, pollicaria, superiora sensim breviora.

CLXX. ARCTOPUS.

Polygama. ♂. *Umbella composita. Involucra* 5-*phylla. Cor.* 5-*petala. Stam.* 5. *Pist.* 2 *abortientia. Androg. Umbella simplex. Involucrum* 4-*partitum, spinosum, maximum, continens flosculos masculos in disco plurimos, femineos* 4 *in radio.*

♂. *Petala* 5. *Stam.* 5.
♀. *Petala* 5. *Styli* 2. *Sem.* 1, 2-*loculare, inferum.*

1. A. (*echinatus.*) *Linn.* Spec. Pl. p. 1512. Syst. Veg. XIV. p. 920. per *Gmelin.* I. 2. p. 465.

Crescit in collibus extra urbem Cap vulgaris, infra latus orientale Taffelberg et Duyvelsberg, alibique locis aridis argillosis. Floret Majo, Junio

Radix filiformis, profunde descendens, longa, fusca, resinosa. *Caulis* nullus. *Folia* radicalia, petiolata, plurima, terrae adpressa et in stellae formam expansa, imbricata, interiora sensim minora, subcuneiformi-ovata, inciso trifida: *laciniae* inciso-trifidae, lacinulis iterum inciso trifidis, dentatisque: ciliata omni margine ciliis longis brunneis; supra viridia, glabra, rugosa, venosa, spinosa; subtus crasso nervosa, lacunosa, pallida, inermia; pollicaria usque bipollicaria. Spinae ad basin incisurarum omnium stelliformes, basi latae, tri- vel multi partitae, lateralibus minoribus, ovatae, purpurascentes; apice pungentes, flavescentes. *Petioli* lati, lineares, albi, glabri, supra plani margine tenui; subtus convexi margine utrinque sulco duplici; radici verticillatim inserti, basi erecti, inde patentes, semidigitales. *Flores* radicales, umbellati, masculi steriles et feminei fertiles in distincta planta. ♂. *Umbella universalis* longa, inaequalis. *Pedunculi* unus vel duo, trigoni, glabri, albi, patentissimi, inaequales, extimi digitales, interiores unguiculares. ♂. *Umbella partialis* brevis, hemisphaerica, multiflora. *Pedicelli* erecti, albi, uniflori, lineam longi. *Involucrum universale* subpentaphyllum: foliola lanceolata, acuminata, erecta, tenuissima, alba, pedunculis multo breviora, unguicularia. *Partiale* monophyllum, ad basin fere 5-partitum, erectum, longitudine umbellulae: laciniae integrae, vel bifidae, vel saepe trifidae, lanceolatae, acuminatae, spinosae, glabrae, virides margine rubro, lacinulae laterales minores. *Perianthium* proprium 5-partitum, minimum, erectum, rufescens. *Corolla universalis* uniformis; *propria* pentapetala. *Petala* margine receptaculi inserta, cum calyce alternantia, lanceolata, incurva, acuta: apicibus inflexis, extus canaliculatis marginibus exstantibus; calyce duplo longiora, subundulata, alba. *Filamenta* quinque, receptaculi margini intra calycem inserta subulata, erecta, apice incurva, alba, corollâ duplo longiora, lineam longa, fertilia polline. *Antherae* ovatae, dorso affixae, purpurascentes. *Germen* planum, dilatatum, subdidymum, superum, glabrum, purpurascens. *Styli* duo, subulati, sulco germinis inserti, erecti, brevissimi, purpurei, decidui, longitudine vix calycis. *Stigmata* simplicia, acuta. *Pericarpium* sterile, abortiens. ♀. *Umbella universalis* ut in mare pedunculis crassioribus, composita. *Partialis* saepissime quadriflora, raro quinqueflora floribus sessilibus. *Involucrum universale* ut in mare, sed latius et longitudine pedunculorum. *Partiale* monophyllum, erectum, glabrum, viride, marginibus purpureum, umbellulâ longius quadri- vel quinque-partitum pro numero flosculorum: *laciniae* ovatae, extus carinatae, intus concavae, acuminatae, apice pungenti-spi-

noso et flavescente; quinquefidae, laciniis utrinque binis subulatis minoribus. *Perianthium* proprium 5-phyllum, corollae simile. *Corolla* pentapetala, cum calyce alternatim margini germinis inserta, aequalis *Petala* ovata, minutissima, erecta, acuta incarnata. *Filamenta* nulla, Antheraeque nullae. *Germen* sertiforme, glabrum. *Styli* duo, basi crassi, intus sulcati, extus convexi; apice divaricati, subulati; albi, lineam longi, corollâ multo longiores. *Stigmata* simplicia, obtusa, fuscescentia. *Usus:* Radicis decoctum mundificans in gonorrhoeis curandis qu ndoque in Colonia adhibetur.

Obs. 1. Folia exteriora majora sunt et longius petiolata; interiora sensim minora centrum formant, ut quasi stellam folia terrae adpressa efficiant. Margo omnis foliorum denticulatus et ciliatus est; etiam ipsae incisurae tam majores, quam ultimae minores. 2. Umbellulae masculae longius pedunculatae sunt; femineae vero brevius, ut videantur esse sessiles. 3. Perianthium feminae vix a corolla diversum, nisi quod magis purpurascens. 4. Floribus femineis omnino nulla stamina, neque in disco, neque in radio. 5. Quo magis semina maturesunt, eo magis perianthium proprium expanditur et patet, uti et ejus baseos spinae, eoque magis semina ipsa spinosa atque omnes partes rigidiores evadunt. 6. Folia et semina matura taediosa valde sunt servis, et rusticis nudis pedibus incedentibus, quorum cutem, crassissimam licet, penetrant rigidae spinae. 7. Dioica est planta potius, quam polygama consideranda. Polygamia cum nihil in regno Vegetabili reverâ significet, et in Ordine Systematico inutilis, seducens, confundens inveniatur, non inutiliter abrogari et evitari potest. Arctopus vero, cum re ipsâ sit Umbellata planta, cum umbellatis ceteris, quarum flores non raro abortiunt, in omnibus conveniens, referri debet ad *Pentandriam* et familiam *Umbellatarum*, licet flores masculo-feminei abortiant et flores mere feminei viduae sint, a Maribus tamen separatis fecundatae et fertiles.

CLXXI. CAUCALIS.

Cor. radiatae; disci masculae. Petala inflexo-emarginata. Fructus setis hispidus. Involucra integra.

1. C. (*africana.*) umbellâ trifidâ; umbellulis quinis; foliis bipinnatifidis, hirsutis. *Prodr.* p. 49. Caucalis *africana.* *Willd.* Spec. Plant. l. 2. 1386.

Crescit in Krum-rivier. Floret Octobri.

Caulis teres, striatus, erectus, inferne glaber, superne pubescens, pedalis et ultra, ramosus. *Rami* alterni, pauci, divaricati. *Folia* supradecomposita: laciniae lanceolatae, dentatae. *Umbellae* terminales; universalis bi- et triradiata; partialis quadri- et quinqueradiata. *Involucrum* universale nullum; partialia 4-phylla et 5-phylla. *Semina ovata*, setis nigris hispida.

CLXXII. LASERPITIUM.

Fructus oblongus: angulis membranaceis. Pet. inflexa, emarginata, patentia.

1. L. (*capense.*) foliolis ovatis, integris, mucronatis,

Prodr. p. 5o. LASERPITIUM *capense*. *Willd.* Spec. Plant. I. 2. p. 1414.

Caulis teres, laevis, fusco-ferrugineus, erectus, simplex, totus glaber, pedalis et ultra. *Folia* alterna, petiolata, bipinnata. Pinnulae petiolatae, ellipticae, marginatae, unguiculares. *Petiolus* angulatus, vaginatus, pollicaris. *Stipulae* alternae, vaginantes, oblongae, obtusae, margine membranaceae. *Flores* terminales, umbellatae. *Semina* obovata, striata.

CLXXIII. PEUCEDANUM.

Fructus ovatus, utrinque striatus, alâ cinctus. Involucra brevissima.

1. P. (*capillaceum.*) foliis bipinnatis: foliolis capillaceis, sulcatis. *Prodr.* p. 5o. PEUCEDANUM *capillaceum*. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1406.

Crescit in montibus prope Zoete Melks valley. Floret Januario.

Caulis teres, inanis, striatus, erectus, totus glaber, pedalis. *Folia* radicalia, petiolata, trichotome supradecomposita: foliola angulata, divaricata, reticulata. *Petiolus* striatus, spithamaeus. *Flores* umbellati. *Umbellae* terminales, multiradiatae. *Involucra* universale et partialia hexaphylla, lanceolata. *Corollae* luteae, petalis ovatis. *Semina* ovata, compressa, marginato-alata, utrinque sulcata costis tribus elevatis.

2. P. (*tennifolium.*) foliis bipinnatifidis: laciniis lanceolatis, oppositis alternisque, marginatis. *Prodr.* p. 5o. PEUCEDANUM *tennifolium*. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1406.

Crescit prope urbem Cap et alibi.

Caulis teres, erectus, striatus, subramosus, totus glaber, bipedalis. *Rami* alterni, pauci, patentes, cauli similes. *Folia* alterna, basi latâ membranâ stipuliformi vaginantia: laciniae integrae, margine reflexo sensim breviores. *Umbellae* terminales, multiradiatae. *Involucra* universale et partialia hexaphylla vel ultra, lanceolata. *Semina* ovata, marginato-alata, costis quinque elevatis, utrinque laevia.

CLXXIV. CONIUM.

Involucella dimidiata, subtriphylla. Fructus subglobosus, 5-striatus, utrinque crenatus.

1. C. (*africanum.*) seminibus muricatis; petiolis pedunculisque laevibus. *Prodr.* p. 5o. CONIUM *africanum*. *Linn.* Spec. Pl. p. 750. Syst. Veg. XIV. p. 278. per *Gmelin.* 2. 1. p. 475. *Willd* Spec. Pl. I. 2. p. 1396.

Crescit in arenosis campis Groene-Kloof. Floret Septembri, Octobri.

2. C. (*rigens.*) seminibus submuricatis; pedunculis sulca-

tis; foliolis canaliculatis. *Prodr.* p. 5o. Conium *rigens*. *Linn.* Mant p. 352. 512. Syst. Veg. XIV. p. 278. per *Gmelin*. 2. 1. p. 4 5. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1395.

Crescit in arenosis locis hinc inde rarius.

3. C. (*rugosum.*) seminibus rugosis; pinnis triangularibus, inciso-dentatis. *Prodr.* p. 5o. Conium *rugosum*. *Willd* Spec. Pl. I. 2. p. 1395.

Crescit in Hantum montibus. Floret Decembri.

Caulis teres, inferne purpureo-maculatus, superne ramosissimus, glaber, sesquipedalis *Rami* alterni, divaricati, ultimi filiformes. *Folia* aggregata, juxta exortum ramorum alternantia, petiolata, pinnata, glabra: pinnae subtriangulares. *Petioli* et saepe folia glauci, teretes, striati, supra sulcati, glabri. *Umbellae* terminales. *Pedunculi* filiformes, glabri, inaequales, pollicares. *Pedicelli* brevissimi. *Involucra* brevia, glabra: foliola ovato-lanceolata. *Semina* ovata, compressiuscula, costata, glabra, stylis persistentibus coronata, didyma.

CLXXV. BUBON.

Fructus ovatus, striatus, villosus.

1. B. (*Galbanum.*) foliolis rhombeis, dentatis, striatis; umbellis paucis. *Prodr.* p. 51. Bubon Galbanum *Linn.* Mant p. 335. System. Veg. XIV. p. 285. per *Gmelin*. 2. 1. p. 484. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1439.

Crescit in collibus infra Taffelberg et alibi. Floret Februario, Martio.

Caulis orgyalis, erectus, glaber, teres, striatus, simplex. *Folia* glabra. bipinnata. *Pinnae* pollicares. *Petioli* basi latâ vaginantes. *Umbellae* terminales, amplae, compositae.

CLXXVI. CHAEROPHYLLUM.

Involucrum reflexum, concavum. Petala inflexo-cordata. Fructus oblongus laevis.

1. C. (*capense.*) caule laevi, aequali; seminibus sulcatis; foliolis trifidis, glabris. *Prodr.* p. 51. Chaerophyllum *capense*. *Willd.* Spec. Plant. 1. 2. p. 1455.

Crescit prope Luris rivier. Floret Decembri.

Caulis totus glaber, obsolete striatus, erectus, pedalis et ultra. *Rami* alterni, filiformes, ramulosi. *Folia* tripinnatifida, glabra: pinnae laciniis lanceolatis, subtus rugosae. *Petiolus* striatus. *Umbellae* compositae, terminales. *Involucrum* universale nullum. *Partialia* circiter pentaphylla, lanceolata, glabra. *Pedunculi* et pedicelli filiformes, laeves, glabri. *Styli* et stigmata persistentia, reflexa. *Semina* obovato-oblonga, obtusa cum acumine et mucronibus quinque a basibus corollae persistentibus, glabra, undique profunde sulcata.

CLXXVII. SESELI.

Umbellae globosae. Involucrum foliolo uno alterove. Fructus ovatus striatus.

1. S. (*filifolium.*) foliis filiformibus; caule flexuoso erecto. *Prodr.* p. 51. Seseli *filifolium.* *Willd.* Spec. Pl. I 2. p. 1458

Crescit in collibus extra urbem Cap, in proclivis frontis Taffelberg et alibi. Floret Januario, Februario.

Caulis basi decumbens, dein flexuoso erectus, filiformis, striatus, totus glaber, palmaris usque spithamaeus. *Rami* pauci, cauli similes. *Folia* alterna, simplicia, lineari-filiformia, -triata, flexuoso erecta, bipollicaria et palmaria. *Umbellae* terminales, subglobosae. *Involucrum* universale circiter triphyllum; partialia 4-phylla: foliola lanceolata, acuminata, erecta. *Semina* coronata perianthio quinquedentato et stylis persistentibus, striata, glabra.

2. S. (*striatum.*) petiolis rameis membranaceis, emarginatis; caule striato; pinnulis subulatis, sulcatis. *Prodr.* p. 51. Seseli *striatum.* *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1460.

Caulis teres, purpurascens, erectus, pedalis et ultra. *Rami* alterni, pauci, divaricati, cauli similes. *Folia* alterna, basi vaginantia vaginâ latâ membranaceâ emarginatâ, tripinnatifida: Laciniae lineari-subulatae, glabrae. *Umbellae* terminales, contractae. *Pedunculi* inaequales, striati, glabri. *Pedicelli* brevissimi. *Involucrum* universale circiter 4-phyllum: foliola ovato-lanceolata, concava, glabra; partialia reflexa.

3. S. (*chaerophylloides.*) petiolis rameis membranaceis, ventricosis, integris; caule dichotome paniculato; foliis supradecompositis, glabris. *Prodr.* p. 51. Seseli *chaerophylloides.* *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1461.

Caulis teres, striatus, erectus, glaber, superne dichotomus, supradecomposite ramosus, bipedalis et ultra. *Ramuli* fastigiati. *Folia* basi vaginantia: vaginâ latâ, inflatâ, membranaceâ, integrâ; trifido-supradecompositâ: pinnulae ovatae, incisae: laciniis lincaribus, obtusis, integris; supra viridia, subtus elevato-lineata, pallida, subrugosa, utrinque glabra. *Umbellae* laterales et terminales. *Involucrum* universale et partiale circiter tetraphyllum, glabrum, brevissimum: foliola ovata, obtusa, glabra, didyma.

CLXXVIII. SMYRNIUM.

Fructus oblongus, striatus. Petala acuminata, carinata.

1. S. (*laterale.*) foliis caulinis ternatis, incisis, serratis; umbellis lateralibus sessilibus. *Prodr.* p. 51. Smyrnium *laterale.* *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1467.

Crescit in Hantum. Floret Decembri, Januario.

Caulis teres, striatus, totus glaber, erectus, pedalis et ultra. *Rami* alterni, cauli similes. *Folia* omnia petiolata, ternato-pinnata: lobi inferiores petiolati, subtrifidi, omnes incisi, obtusi, glabri, mucronati. *Petioli* lineares, glabri, inferiores palmares, superiores basi dilatati vaginantes membrana excisa et scariosa sensim breviores superne. *Umbellae* involucris nullis. *Pedicelli* angulati, scabridi, universales unguiculares, partiales brevissimi.

CLXXIX. PIMPINELLA.

Fructus ovato-oblongus. Petala infera. Stigmata subglobosa.

1. P. (*capensis.*) foliis supradecompositis: laciniis acutis; caule striato. *Prodr.* p. 51. PIMPINELLA *capensis. Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1473.

Crescit in proclivis frontis Taffelberg.

Caulis teres, inanis, glaber, erectus, pedalis et ultra. *Rami* alterni, pauci, similes. *Folia* omnia petiolata, glabra, laevia, Pinnae inciso pinnatifidae. *Petioli* basi lati, membranacei, dein striati, palmares. *Umbellae* terminales. *Involucra* circiter 5-phylla, foliolis lanceolatis, glabris, brevissimis. *Semina* ovata, obtusa, striata.

CLXXX. SIUM.

Fructus subovatus, striatus. Involucrum polyphyllum. Petala cordata.

1. S. (*filifolium.*) foliis filiformibus; involucris elongatis. *Prodr.* p. 50. SIUM *filifolium. Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1431.

Crescit in regionibus Verloren Valley. Floret Septembri.

Folia radicalia plurima, caulina pauca, lineari-filiformia, striata, glabra, flexuosa, longitudine fere caulis. *Caulis* teres, striatus, glaber, flexuoso-erectus, bipedalis. *Rami* alterni, pauci, similes. *Flores* terminales, umbellati. *Involucra* polyphylla. *Universale* circiter octophyllum, foliolis lineari-lanceolatis, setaceo-acutis, laevibus, longitudine fere umbellae. Partialia circiter hexaphylla, lanceolata, setaceo-acuminata, umbellulis longiora, laevia, glabra.

2. S. (*angustifolium.*) foliis pinnatis; umbellis axillaribus, pedunculatis. *Prodr.* p. 50. SIUM *angustifolium. Linn.* Spec. Pl. p. 1672. Syst. Veg. XIV. p. 284. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1431.

Crescit prope Habeljaus-rivier. Floret Novembri, Decembri.

3. S. (*grandiflorum.*) foliolis subrotundis, inciso-denta-

tis. *Prodr.* p. 5o. Sium *grandiflorum. Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1454.

Folia radicalia trichotome bipinnata: pinnulae inferne attenuatae, inciso-sublobatae, dentatae, venosae, glabrae. *Petioli* universalis et partiales striati, laeves. *Caulis* inanis, digitum crassus, striatus, glaber, erectus, bipedalis, ramosus. *Rami* pauci. *Umbellae* terminales. *Involucrum* universale et partialia circiter hexaphylla, glabra, laevia: *foliola* ovata, acuminata, margine membranacea, breviora, lineam longa. *Semina* obovata, glabra, striata.

4. S. (*paniculatum.*) foliis bipinnatis: foliolis linearibus, inciso-pinnatifidis. *Prodr.* p. 51. Sium *paniculatum. Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1434.

Caulis teres, obsolete striatus, glaber, superne paniculato-ramosus, bipedalis. *Rami* a medio ad apicem alterni, divaricato-patentes, apice erecti, filiformes. *Folia* radicalia plura, aggregata, alternatim vaginantia, petiolata, glabra, *pinnae* et *pinnulae* lineari lanceolatae, acutae, sulcatae; caulina inferiora similia; superiora simplicia, sub ramis solitaria. *Umbellae* terminales. *Involucra* glabra, brevia: *foliola* circiter quinque vel sex, lanceolata.

5. S. (*patulum.*) foliis bipinnatis: trifidis; ramis diffusis. *Prodr.* p. 51. Sium *patulum. Willd.* Spec. I. 2. p. 1434.

Crescit in littore Houtbay. Floret Aprili.

Caulis teres, striato-angulatus, glaber, ramosus. *Rami* similes, horizontales, ramulosi. *Ramuli* filiformes, patentes. *Folia* in articulis aggregata, foliola linearia, subtrifida, glabra. *Umbellae* terminales. *Involucra* circiter hexaphylla, glabra, laevia, brevia: foliola lanceolata, margine scariosa.

6. S. (*asperum.*) foliis tripinnatis; pedunculis pedicellisque scabris; ramis glabris. *Prodr.* p. 51. Sium *asperum. Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1435.

Caulis teres, striatus, erectus, glaber, pedalis. *Rami* alterni, pauci, similes. *Folia* supradecomposite-pinnata, petiolis vaginantibus, glabra. Pinnulae lanceolatae. *Umbellae* terminales. *Involucra* circiter hexaphylla, laevia, glabra; *foliola* lanceolata, margine scariosa, subreflexa, unguicularia. *Petioli* et pedicelli supra sulcati, scabri.

7. S. (*hispidum.*) foliis tripinnatis; petiolis pedunculisque scabris; ramis hispidis. *Prodr.* p. 51. Sium *hispidum. Willd.* Sp. Pl. I. 2. p. 1435.

Crescit prope urbem Cap.

Radix fusiformis, alte descendens. *Caulis* subdecumbens, brevissimus, ramosus. *Rami* patuli, subdiffusi, vix palmares. *Foliorum* Pinnulae lanceolatae, hispidae. *Petioli* semiteretes, supra sulcati, hispidi, basi vaginantes vaginâ scariosâ. *Umbellae* laterales, pedunculatae. *Pedunculi* et *pedicelli* sulcati, aculeato-hispidi. *Involucra* lanceolata, acuminato-setacea, aspera.

8. S. (*villosum.*) foliis tripinnatifidis: laciniis ovatis, inciso serratis, villosis. *Prodr.* p. 51. Sium *villosum. Willd.* Spec. Pl. 1. 2. p. 1435.

Caulis erectus, ramosus, bipedalis. *Rami* superne alterni, filiformes, obsolete striati, divaricati, erectiusculi, subfastigiati. *Folia* ternato-tripinnatifida: laciniae ciliato-villosae. *Petioli* sulcati, striati, ciliato-pilosi. *Umbellae* terminales. *Pedunculi* inaequales, filiformes, obsolete striati, glabri, digitales. *Pedicelli* capillares, glabri, lineam longi. *Involucra* circiter hexaphylla, glabra, brevia: foliola ovata, acuta, margine scariosa, pedicellis paulo breviora.

CLXXXI. ANETHUM.

Fructus subovatus, compressus, striatus. Petala involuta, integra.

1. A. (*graveolens*) seminibus compressis. *Prodr.* p. 51. Anethum *graveolens. Willd.* Spec. Pl. 1. 2 p. 1469.

2. A. (*capense.*) foliis tripinnatis: pinnulis filiformibus, setaceo-acuminatis, fastigiatis. Anethum *foeniculum. Prodr.* p. 51.

Incolis Fenkel-wortel. Crescit in regionibus siccioribus, ab urbe Kap remotioribus.

Radix carnosa, oblonga, odorata; odore foeniculi, aromatica. *Folia* radicalia, petiolata, circiter tria, erecta, glabra, spithamaea. *Pinnae* oppositae, petiolatae. *Pinnulae* incisae laciniis filiformi-setaceis, fasciculatis, glomeratis, brevissimis, apice setaceo acuminatis. *Flores* non contigit videre, sed tantummodo herbam, quae quidem, respectu foliorum, ab Europaeis speciebus valde diversa. Usus: Radix Incolis, bene nota, esculenta habetur.

TRIGYNIA.

CLXXXII. RHUS.

Cal. 5-*partitus. Pet.* 5. *Bacca* 1-*sperma.*

1. R. (*rosmarinifolium.*) foliis ternatis, tomentosis: foliolis sessilibus, linearibus. Rhus *rosmarinifolius. Willd.* Sp. Pl. 1. 2. p. 1484.

Crescit vulgare in Capite bonae spei.

Caulis fruticosus, erectus, quadripedalis et ultra. *Rami* et *ramuli* alterni, virgati, pubescentes. *Folia* petiolata: Foliola lineari-elliptica, acuta, supra glabra, subtus albo tomentosa, unguiculata. *Flores* paniculati, *panicula* patula, composita. *Pedunculi* et *pedicelli* capillares.

2. R. (*erosum.*) foliis ternatis, glabris: foliolis lanceolatis, eroso dentatis; paniculis axillaribus.

Caulis fruticosus, totus glaber, erectus ramosus. *Folia* alterna, petiolata, glaberrima, quasi viscida lucida. *Foliola* elliptico-linearia, acuta, eroso- vel sinuato-dentata, aequalia, bipollicaria...

3. R. (*lanceum.*) foliis ternatis: foliolis lineari-lanceolatis, integris, glabris. *Prodr.* p. 52. Rhus *lanceum. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 294 Suppl. p. 184.

Crescit in Grootvadersbosch, in Hantum, Roggeveldt, in Karro inter Roggeveld et Bockeveld. Floret Octobri.

Frutex glaber totus, erectus, cinereus, orgyalis. *Rami* et *ramuli* alterni, divaricati. *Folia* petiolata: Foliola subelliptica, mucronata, utrinque glabra, subtus vix pallidiora, parallelonervosa, digitalia. *Petioli* sulcati, pollicares. *Flores* paniculati paniculis lateralibus. *Pedunculi* et pedicelli capillares. *Baccae* lentiformes, glabrae.

4. R. (*viminale.*) foliis ternatis, glabris: foliolis ellipticolanceolatis, integris, glabris. Rhus *viminale. Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1484.

Frutex teres, cinereus, erectus, ramosus. *Rami* alterni, similes, tenuissime pubescentes, in cultu glabri. *Folia* petiolata, Foliola utrinque attenuata, inferne in petiolum, superne in acumen, medio lata, margine revoluto, supra viridia, subtus pallidiora, inaequalia, pollicaria usque digitalia. *Paniculae* florum axillares. *Differt* a R. *lanceo*, cui simillimum, foliis multo latioribus et magis ovatis.

5. R. (*angustifolium*) foliis ternatis, subtus tomentosis: foliolis elliptico-lanceolatis, integris. *Prodr.* p. 52. Rhus *angustifolium. Linn.* Spec. Pl. 382. Syst. Veg. XIV. p. 293. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1484.

Crescit in collibus juxta urbem Hap, et infra Taffelberg orientalem plagam versus alibique. Floret Junio et sequentibus mensibus.

Frutex fuscus, glaber, erectus, ramosus, suborgyalis. *Rami* alterni, similes. *Ramuli* filiformes, incurvato erecti; sensim capillares. *Folia* petiolata: *Foliola* lineari lanceolata seu potius elliptico-lanceolata, supra sulcata, viridia, glabra, subtus tomentosa, carinata; margine reflexo, pollicaria. *Petioli* breves unguiculares. *Flores* in ultimis ramulis subpaniculati. *Pedunculi* capillares, brevissimi. *Corolla* alba. Variat: α. foliis tenuissimis, magis linearibus. β foliis lanceolatis, parallelo-nervosis, margine revolutis. γ. foliis lanceolatis margine vix revolutis.

6. R. (*ellipticum.*) foliis ternatis, subtus tomentosis: foliolis ovato-ellipticis, integris.

Frutex glaber, erectus, ramosus. *Rami* teretes, alterni, divaricati, flexuoso-erecti, glabri. *Folia* petiolata: *Foliola* ere-

viter petiolata, acuta, parallelo nervosa, supra viridia, subtus incano-tomentosa, sesquipollicaria. *Petioli* filiformes, reflexi vel patentissimi, longitudine foliorum. *Petioli* semiunguiculares. *Florum* paniculae axillares.

Obs. Folia subtus tenuissime incano- seu luteo-tomentosa.

7. R. (*laevigatum*) foliis ternatis, glabris, ovatis, acuminatis, integris. *Prodr.* p. 52. Rhus *laevigatum*. *Linn.* Spec Plant. p 1652. Syst. Veg. XIV. p. 293. *Willd.* Spec. Pl. I 2. p. 1485.

Crescit in Grootvadersbosch et aliis sylvis. Floret Januario.

Frutex orgyalis, erectus, totus glaber. *Rami* alterni, purpurei, ramulis similibus *Folia* petiolata, tota glabra, foliola subsessilia, subundulata, nervosa, subtus pallidiora, bipollicaria; superiora minora et magis lanceolata. *Paniculae* florum laterales et terminales decompositae floribus minutissimis. *Petioli* alterni, filiformes, erecti, longitudine foliorum. *Pedunculi* et *pedicelli* capillares, in panicula amplissima.

8. R. (*pubescens.*) foliis ternatis: foliolis obovatis, mucronatis, glabris; ramis villosis. *Prodr.* p. 52. Rhus *pubescens*. *Willd* Spec Pl. I. 2. *p.* 1484.

Crescit hinc inde in sylvis. Floret Decembri.

Frutex suborgyalis, erectus, cinereus, calloso-tuberculatus, subvillosus. *Rami* et *ramuli* filiformes, pubescentes, divaricati. *Folia* petiolata, foliola basi attenuata, obtusa, nervosa, integra, supra viridia, subtus pallida, unguicularia, intermedio majori. *Petiolus* lineam longus.

9. R. (*excisum.*) foliis ternatis: foliolis obovatis, subexcisis, glabris; ramis divaricatis.

Frutex fuscus, erecutiusculus, totus glaber, ramosus. *Rami* alterni, rigidi, fusci, toti glabri. *Folia* petiolata: Foliola obovato-oblonga, rarius acuta, saepius excisa, integra, utrinque glabra, nervosa, unguicularia.

10. R. (*lucidum.*) foliis ternatis: foliolis obovatis, retusis, glabris. *Prodr.* p. 52. Rhus *lucidum*. *Linn.* Spec. Pl. 382. Syst. Veg. XIV. p. 293. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1485.

Crescit prope urbem Kap, et alibi vulgare.

Frutex suborgyalis, erectus, glaber, cinereus, ramulosus. *Rami* et ramuli alterni, divaricati, subtomentosi. *Folia* petiolata: Foliola basi attenuata, obovato-cuneiformia, obtusa, excisa, integra, unguicularia, intermedio majori. *Petioli* unguiculares, villosi. *Flores* paniculati, paniculis axillaribus et terminalibus.

11. R. (*mucronatum.*) foliis ternatis, glabris, foliolis cuneiformibus, mucronatis.

Caulis fruticosus, cinereus, glaber, calloso-muricatus, flexuoso-erectus, ramosus. *Rami* alterni, similes cauli, ramulis filiformibus.

Folia sparsa, petiolata. *Foliola* sessilia, obovato-cuneiformia, obtusa cum acumine, margine integro revoluta, utrinque glabra, inaequalia, medio majori, unguicularia vel ultra. *Petioli* brevissimi. *Paniculae* florum axillares. Differt a R. *lucido* foliolis acutiusculis, nec excisis.

12. R. (*villosum.*) foliis ternatis: foliolis ovatis, integris, villosis. *Prodr.* p. 52 Rhus *villosum. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 293 Suppl. p. 183. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1483.

Crescit prope Hap et in sylvis Grootvadersbosch, alibique. Floret Augusto in apricis; in sylvis Decembri. Januario.

Caulis arborescens, inferne glaber, erectus, orgyalis. *Rami* alterni, pubescentes. *Ramuli* subtomentosi. *Folia* petiolata, foliola obtusa, nervosa, utrinque villosa, villo cinereo, subpollicaria. *Petioli* villosi, pollicares. *Paniculae* laterales, compositae. *Pedunculi* et *pedicelli* villosi, villo rigido. Differt a R. *laevigato* et *lucido:* foliolis pubescentibus.

13. R. (*spicatum.*) foliis ternatis: foliolis obovatis, apice dentatis; glabris; floribus spicatis.

Frutex cinereus, rugosus, glaber, ramosus. *Rami* similes, subsecundi, flexuoso-erecti, ramulosi. *Folia* alterna, petiolata, glabra. *Foliola* sessilia, acuta, a medio ad apicem serrata, margine revoluta, subtus pallidiora, subaequalia, semipollicaria. *Petiolus* filiformis, pubescens, longitudine folii. *Flores* parvi. *Pedunculi* spicarum filiformes, pubescentes. *Spicae* subracemosae, simplices et compositae. Distinguitur facile foliis dentato-subserratis et spicis florum cylindricis.

14. R. (*cirrhiflorum.*) foliis ternatis: foliolis ovatis, mucronatis, integris, glabris; caule scandente. *Prodr.* p. 52. Rhus *cirrhiflorum. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 294. Suppl. p. 184. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 148.

Crescit in sylvis fere omnibus, imprimis in Houtniquas. Floret Januario. Februario.

Frutex teres, rugosus, purpureus, glaber, scandens, ramosus. *Rami* flexuosi, scandentes. *Folia* petiolata. Foliola obovata, venosa, pollicaria vel ultra. *Cirrhi* in axillis foliolorum, spirales, filiformes. *Petioli* pubescentes, pollicares. *Paniculae* florum laterales, tomentosae. *Variat* foliis acutis, mucronatis, excisis, villosis.

15. R. (*glaucum.*) foliis ternatis, glaucis: foliolis obcordatis.

Frutex cinereus, glaber, erectus, rigidus, ramulosus. *Rami* ramulique similes, alterni, flexuosi, patentes. *Folia* alterna, petiolata, glabra. *Foliola* sessilia, integra, margine revoluta, supra glauca, subtus viridia, glabra, unguicularia. *Paniculae* terminales, exiguae. Differt a R. *lucido* foliolis glaucis, obcordatis, minoribus.

16. R. (*dentatum.*) foliis ternatis: foliolis obovatis, mu-

cronato-dentatis, glabris; caule scabro. *Prodr.* p. 52. Rhus *dentatum*. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. *p.* 1482.

Crescit in Sylvis.

Caulis fruticosus, cinereus, tuberculato-scaber, erectus, glaber. *Rami* alterni, subsecundi, cauli similes. *Folia* petiolata. Foliola subpetiolata, dentata, dentibus magnis mucronatis, unguicularia, intermedio majori. *Petiolus* sulcatus, unguicularis. *Paniculae* axillares.

17. R. (*crenatum.*) foliis ternatis: foliolis cuneiformibus, apice crenato-trifidis, subtus rufis.

Frutex cinereus, erectus, villosus, ramosus, bipedalis et ultra. *Rami* et ramuli alterni, teretes, villosi. *Folia* alterna, petiolata, glabra. *Foliola* sessilia, cuneato-obovata, raro apice 4- vel 5-fida, rarius 7-dentata, obtusata, ceterum integra margine reflexo, glabra, supra laevia, subtus obscuriora vel ferruginea, unguicularia *Petiolus* foliolo brevior. *Flores* terminales, racemosi vel subpaniculati.

Obs. Summi rami interdum ferrugineo-pubescentes.

18. R. (*dimidiatum.*) foliis ternatis, obovatis: lateralibus dimidiatis, dentatis; ramis flexuosis.

Frutex cinereus, scabridus, flexuoso-erectus, ramulosus. *Rami* similes, alterni, flexuoso-adscendentes, ultimi filiformes. *Folia* alterna, sessilia, supra glabra, subtus villosa *Foliola* dissimilia; intermedium obovatum, excisum vel trifido-dentatum apice; lateralia interiori margine recta, integra; exteriori gibba, sinuato dentata. Omnia margine revoluta, unguicularia. *Flores* subsessiles vel brevissime pedunculati, solitarii vel bini. *Bacca* 1, 2- vel 3-cocca. Differt a R. *tridentato*, cui simile, foliis sessilibus et cirrhis nullis.

19. R. (*tridentatum*) foliis ternatis: foliolis obovatis, tridentatis, glabris; caule cirrhifero, scandente. *Prodr.* p. 52. Rhus *tridentatum*. *Linn.* Syst, Veg. XIV. p. 294. Suppl. p. 184. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p 1481.

Crescit in sylvis variis.

Caulis frutescens, teres, cinereus, pubescens, flexuosus. *Rami* alterni, filiformes, cinereo-pubescentes, flexuosi. *Cirrhi* axillares, spirales. *Folia* brevissime petiolata: foliola ovata; lateralia extus bidentata, interdum tridentata, unguicularia. *Flores* axillares, subpaniculati, tomentosi.

20. R. (*micranthum.*) foliis ternatis, glabris: foliolis apice dentatis; panicula supradecomposita.

Frutex cinereo-fuscus, glaber, erectus, ramosus. *Folia* alterna, petiolata, foliola sessilia, subaequalia, ovata, acuta, rarius integra, saepius apice 3- vel 5-dentata, utrinque glabra, subtus pallidiora, unguicularia. *Paniculae* florum axillares.

21. R. (*tomentosum.*) foliis ternatis: foliolis ovatis, dentatis, subtus tomentosis. *Prodr.* p. 52. Rhus *tomentosum*.

Linn. Spec. Pl. p. 382. Syst. Veg. XIV. p. 293. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1483.

Crescit in collibus prope fossas inter Taffelberg et Leuwekopp, in fossis infra latus occidentale Taffelberg copiose, alibique in campis montosis vulgare. Floret Julio et sequentibus mensibus.

Caulis arborescens, erectus, inferne purpurascens et glaber. *Rami* alterni, tomentosi, ramulis similibus. *Folia* petiolata, foliola acuta, integra et dentata, basi magis integra, supra tenuissime villosa, subtus albo tomentosa et pallidiora, inaequalia, unguicularia usque pollicaria, intermedio majore. *Petiolus* unguicularis, tomentosus. *Paniculae* in ramulis terminales, compositae, tomentosae.

22. R. (*cuneifolium.*) foliis ternatis: foliolis cuneiformibus, septemdentatis, glabris. *Proar.* p. 52. Rhus *cuneifolium. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 294. Suppl. p. 183. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1482.

Crescit prope Hottentots Holland. Florentem non inveni.

Caulis frutescens, erectus, ramosus. *Rami* teretes, purpurascentes, pubescentes. *Folia* brevissime petiolata. *Foliola* cuneiformi obovata, dentibus acutis, nervosa, unguicularia, intermedio majori.

23. R. (*sinuatum.*) foliis ternatis: foliolis ovatis, obtusis, sinuatis, subtus villosis. *Prodr.* p. 52. Rhus *sinuatum. Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1482. Myrica *trifoliata? Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 884.

Caulis fruticosus ramis villosis. *Folia* petiolata, foliola obovata, obtusissima, apice sinuato-dentata dentibus obtusis, supra viridia, subtus pallida et villosa, unguicularia intermedio duplo longiore. *Petiolus* filiformis, villosus, unguicularis. *Panicalae* terminales et subaxillares. *Pedanculi* et pedicelli villosi, villo cinereo rigido. *Bacca* lentiformis, glabra.

24. R. (*incisum.*) foliis ternatis: foliolis inciso pinnatifidis, subtus tomentosis. *Prodr.* p. 52. Rhus *incisum. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 294. Suppl. p. 183. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1483.

Crescit in collibus prope Paardeberg in arenosis Saldanha et St Helenae bay, alibique. Floret Julio.

Frutex rigidus, erectus, pedalis vel ultra. *Rami* rigidi, scabri, fusco purpurascentes. *Ramuli* horizontales, brevissimi. *Folia* petiolata, foliola obovata, obtusa, subexcisa, nervosa; supra viridia, tenuissime pubescentia; subtus albo tomentosa; unguicularia, intermedio majori. *Paniculae* in ramulis terminales, tomentosae.

25. R. (*dissectum.*) foliis ternatis: foliolis argute incisis, pinnatifidis, subtus argenteis.

Caulis fruticosus, fuscus, glaber, ramosus. *Rami* et ramuli alterni, filiformes, erecto-patentes. *Folia* petiolata, supra vi-

ridia, subtus niveo-tomentosa: Foliola dissecta, seu argute incisa, dentibus 2, 3 usque 7 acutis, divaricatis. *Petioli* capillares, unguiculares. *Flores* non vidi.

26. R. (*digitatum.*) foliis quinatis; caule scandente cirrhifero. *Prodr.* p. 52. Rhus *digitatum. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 293. Suppl. p. 184. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1481.

Crescit in Sylvis. Florentem non inveni.

Caulis teres, glaber, purpurascens. *Cirrhi* axillares, spirales. *Folia* petiolata: Foliola oblonga, obtusa, integra, glabra, inaequalia, inferiora unguicularia, intermedia sensim longiora, usque digitalia. *Petiolus* pollicaris.

27. R. (*obliquum.*) foliis pinnatis, glabris: foliolis ovatis, dimidiatis, integris.

Caulis fruticosus, cinereus, teres, rugosus. *Folia* petiolata, multijuga, utrinque glabra *Foliola* alterna, sessilia vel brevissime petiolata, obtusa, saepe excisa, raro cum acumine, nervo medio versus marginem inferiorem sito. *Flores* non vidi, neque fructum. Simile R. *pauciflori*, sed valde distinctum foliolis integerrimis.

28. R. (*pauciflorum.*) foliis pinnatis, foliolis alternis, decurrentibus, serratis. *Prodr.* p. 52. Rhus *pauciflorum. Linn.* Syst. Veg XIV. p. 293. Suppl. p. 183. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1480.

Caulis fruticosus, erectus, pubescens. *Folii* pinnae subsessiles, ovatae, basi integrae, deinde inciso-serratae serraturis mucronatis, subdecurrentes rhachi alatâ, tenuissime villosa, pollicaria et ultra. *Petiolus* villosus. *Florentem* non reperi hunc fruticem.

29. R. (*alatum.*) foliis pinnatis: foliolis ovatis, apice serratis, petioli internodiis alatis. *Prodr.* p. 52. Rhus *alatum. Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1480.

Crescit in Essebosch et Houtniquas sylvis. Floret Decembri, Januario.

Caulis arborescens, fusco-cinereus, ramosus. *Rami* sparsi, teretes, inferne glabri, superne tomentosi, erecto-patentes. *Folia* petiolata, pinnae alternae, sessiles, obtusae, suprà medium dentatae dentibus obtusis, margine reflexae, supra virides, subtus pallidae, utrinque glabrae. *Petiolus* inter nodos alatus totus, tomentosus. *Flores* axillares, breviter pedunculati. *Pedunculi* solitarii et divisi, tomentosi, foliis multoties breviores.

CLXXXIII. CASSINE.

Cal. 3-partitus. Pet. 5. Bacca trisperma.

1. C. (*Maurocenia.*) foliis sessilibus, ovatis, integris. *Prodr.* p. 52. Cassine *Maurocenia. Linn.* Spec. Pl. p. 335. Syst. Veg. XIV. p. 295. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1493.

Crescit in Hout-bay et Nordhoek, in montibus ad littus maris.

Caulis fruticosus, erectus, glaber, ramosus. *Rami* rigidi, purpurascentes. *Folia* subopposita, obovata, obtusiuscula, coriacea, glabra, pollicaria et ultra. *Flores* axillares, subsessiles, subsolitarii.

2. C. (*barbara.*) foliis subsessilibus, ovatis, excisis, serratis; ramulis tetragonis. Cassine *barbara*. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1493.

Frutex erectus, rigidus, cinereus, glaber, bipedalis et ultra. *Rami* teretes, cinerei, glabri, rigidi, sparsi, erecti. *Ramuli* ultimi tetragoni, ceterum ramis similes. *Folia* brevissime petiolata, orbiculato-ovata, obtusissima, crenata, utrinque glabra, patentia et reflexa, inaequalia, pollicaria. *Paniculae* florum axillares, foliis plus duplo breviores.

Obs. Quaedam folia majora et magis ovata, quaedam minora et subrotunda.

3. C. (*capensis.*) foliis petiolatis, ovatis, excisis, dentatis; ramulis tetragonis. *Prodr.* p. 52. Cassine *capensis*. *Linn.* Mant. p. 220. Syst. Veg. XIV. p. 295. Suppl. p. 184. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1492.

Crescit prope Kap urbem, et alibi in sylvis. Floret Octobri, Novembri.

Caulis fruticosus, totus glaber, cinereus, erectus, ramosus. *Rami* alterni, sparsi et aggregati, similes cauli, rigidi. *Ramuli* angulati, divaricati, ultimi tetragoni. *Folia* opposita, ovata et ovato-oblonga, obtusissima, crenato-serrata denticulis exstantibus, margine reflexa, nervosa, utrinque glabra, erecta, unguicularia usque pollicaria vel ultra. *Petioli* unguiculares. *Paniculae* florum axillares inter folia, decompositae, pedunculatae, foliis plus duplo breviores.

4. C. (*aethiopica.*) foliis petiolatis, oblongis, excisis, crenatis; paniculis axillaribus.

Frutex erectus, cinereus, totus glaber, ramosissimus. *Rami* et ramuli cauli similes, sparsi, rigidi, erecti. *Folia* ovato-oblonga, obtusa, nervosa, utrinque glabra, tenuissime crenata crenis puncto nigro, frequentia, erecta, unguicularia. *Petioli* lineam longi, folio multoties breviores. *Paniculae* florum folio duplo breviores. Differt a *capensi*, quod folia sint longiora, licet minora et crenae tenues, nigro-punctatae, nec exstantes.

5. C. (*Colpoon.*) foliis petiolatis, ovatis, subserratis, basi integris. *Prodr.* p. 52. Euonymus *Colpoon*. *Linn.* Mant. p. 200. exclusis Synonymis. *Crataegus* foliis subrotundis sinuosis, flore ac fructu racemoso. *Burman. Decad. Afric.* p. 240. Tab. 86. Cassine *Colpoon*. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1493.

Africanis Incolis: Lepel-hout. Crescit in montium proclivis, juxta loca maritima in Hout-bay, alibique. Floret Aprili et sequentibus mensibus.

Caulis arborescens, cinereus, erectus, ramulosus. *Rami* et

ramuli subopposíti, angulati, fusco-purpurei, erecti vel patentes, ultimi lati. *Folia* opposita, obtusa, basi integra, supra medium serrata serraturis inaequalibus, utrinque glabra, digitalia. *Petioli* unguiculares. *Panicalae* florum axillares, dichotomae, et trichotomae, folio breviores.

Obs. Variant Cassines species numero 4- et 5-nario in omni floris parte; et ut mihi videtur, vix a Celastris separari debent.

CLXXXIV. CLUTIA.

Dioica, gynandra. ♂. *Cal.* 5 *phyllus. Cor.* 5-*petala.* ♀ *Cal. et Cor. ut in* ♂. *Styli* 3. *Caps.* 3-*locularis. Sem.* 1.

1. C. (*ericoides.*) foliis subpetiolatis, lanceolatis, glabris; floribus binis, axillaribus. *Prodr.* p. 53.

Crescit hinc inde in montium collibus.

Frutex facie Diosmae, erectus, fusco-purpureus, superne ramosus, bipedalis et ultra. *Rami* et ramuli alterni, fastigiati. *Folia* in ramis et ramulis aggregata, brevissime petiolata, supra concaviuscula, subtus convexa, integra, imbricata, internodiis longiora, unguicularia. *Flores* circiter bini, erecti, brevissime pedunculati.

2. C. (*pubescens*) foliis subpetiolatis, lanceolatis, villosis; floribus axillaribus, cernuis. *Prodr.* p. 53.

Crescit in collibus montium.

Fruticulus vix palmaris, ramis alternis, erectis, cinereo-villosis, paucis. *Folia* brevissime petiolata, lanceolato-linearia, integra margine reflexo, utrinque, imprimis vero subtus pubescentia, erecta, pollicaria. *Flores* solitarii, pedunculati. *Pedunculi* foliis multo breviores.

3. C. (*polygonoides.*) foliis petiolatis, lanceolatis, glabris; floribus solitariis, erectis. *Prodr.* p. 53. Clutia *polygonoides. Linn.* Spec Pl. p. 1475. Syst. Veg. XIV. p. 897. per *Gmelin.* 2. 1. p. 505.

Crescit in collibus montium extra urbem Kap. Floret Junio, Julio.

Frutex erectus, totus glaber, cinereus, subsimplex. *Folia* breviter petiolata, obtusiuscula, integra margine reflexo, utrinque glabra, imbricato-patula, unguicularia. *Flores* axillares, pedunculati. Differt ab C. *alaternoide*, cui valde similis, foliis petiolatis et obtusiusculis, atque angustioribus.

4. C. (*alaternoides*) foliis sessilibus, oblongis, mucronatis; floribus solitariis, erectis. *Prodr.* p. 53. Clutia *alaternoides. Linn.* Spec. Plant. p. 1475. Syst. Veg. XIV. p. 897. per *Gmelin.* 2. 1. p. 504.

Crescit in collibus juxta urbem Kap. Floret Junio, Julio.

Caulis fruticosus, erectus, fuscus, glaber, ramosus, quadripedalis et ultra. *Rami* sparsi, inflexo-erecti, foliis tecti. *Fo-*

lia basi parum attenuata, obtusa cum mucrone exstanti, integra margine cartilagineo, glabra, patentia, inaequalia, inferiora unguicularia et ultra, supra minora imbricata. *Flores* axillares, pedunculati, in ramulis aggregati. *Pedanculi* foliis multoties breviores.

5. C. (*tomentosa.*) foliis obovatis, tomentosis. *Prodr.* p. 53. Clutia *tomentosa. Linn.* Mant. p. 209. Syst. Veg. XIV. p. 897. per *Gmelin.* 2. 1. p. 505. *Plukenet* T. 38. f. 6?

Crescit in Paardeneyland, in danis extra Soutrivier. Floret Majo, Junio, Julio.

Caulis fruticosus, rudimentis foliorum tuberculatus, cinereo-tomentosus, ramosissimus, bipedalis et ultra. *Rami* et *ramuli* subumbellato sparsi, erecti, cauli similes. *Folia* sparsa, subpetiolata, lanceolato oblonga, obtusa, integra, inferne attenuata, incurva, erecta, aggregata, internodiis longiora, subtomento-a, unguicularia. *Petioli* brevissimi. *Flores* axillares, pedunculati, solitarii, bini vel terni. *Pedanculus* filiformis, viridis, glaber, erectus, uniflorus, semilineam longus ♂. *Perianthium* 5-phyllum, magnitudine fere corollae; folia obovata, obtusissima, concava, virescentia, margine tenuiori albido. *Corolla* 5-petala. *Petala* obovata, obtusissima, patula, flavescentia. *Nectarium* duplex; *exterius:* laminae 5, basi calycis insertae, virides, brevissimae, apice glandulosae; glandulae tres, 4 vel 5, globosae, glabrae, flavescentes; *interius:* glandulae plurimae, receptaculo undique inspersae, sessiles, prioribus similes. *Filamenta* 5, stylo sub apice inserta, filiformia, brevia, patentia, subulata, albida. *Antherae* ovatae, sulcatae, dorso affixae, flavae, minutae. *Germen* sterile. *Stylus* filiformis, erectus, virescens, longitudine calycis, staminifer. *Stigma* obtusum, cavum. *Flores* feminei fertiles in distincto individuo. ♀. *Fructus* globosus, bruneus, glaber, magnitudine piperis.

6. C. (*heterophylla.*) foliis inferioribus ovatis, superioribus lanceolatis, glabris. *Prodr.* p. 53.

Frutivulus glaber totus, erectus, vix pedalis. *Rami* angulati, foliis tecti, apice floriferi. *Folia* brevissime petiolata, integra, utrinque glabra, imbricato-erecta, nervosa, unguicularia; inferiora majora; suprema lanceolata. *Flores* in axillis foliorum superiorum aggregati, pedunculati, erecti. *Pedunculi* capillares, inaequales, glabri.

7. C. (*pulchella.*) foliis petiolatis, ovatis, glabris; floribus binis, axillaribus. *Prodr.* p. 53. Clutia *pulchella. Linn.* Spec. Pl. p. 1475. Syst. Veg. XIV. p. 897. per *Gmelin.* 2. 1. p. 505.

Crescit vulgaris prope et extra urbem Kap. Floret Majo et insequentibus mensibus.

Frutex tripedalis et ultra, totus glaber, punctato-scaber, erectus, ramosus. *Rami* sparsi, erecto-patentes, aggregati, virgati, cinerei, rugoso-scabridi, glabri. Folia sparsa, acuta, integra, erecto-patentia, inaequalia, unguicularia usque pollicaria. *Pe-*

tiolus vix unguicularis. *Flores* brevissime pedunculati. *Pedanculi* inaequales, altero longitudine petioli, altero breviori. *Capsula* calyce persistente, coronata, subglobosa, didyma, glabra, magnitudine piperis.

8. C. (*acuminata.*) foliis oblongis, mucronatis, glabris; floribus axillaribus. *Prodr.* p. 53. Clutia *acuminata. Linn.* Syst. Veg. XIV. p 897. Suppl. p. 432.

Fraticulus glaber, cinereus, erectus, ramulosus. *Rami* filiformes, secundi, flexuoso erecti, glabri, palmares et ultra. *Ramuli* breviores, similes. *Folia* alterna, brevissime petiolata, integra, subundulata, reticulata, frequentia, pollicaria. *Flores* solitarii, bini vel tres. *Corollae* albo-hirsutae calyce glabro, ferrugineo. Similis valde C. *hirsutae*, differt vero satis. 1. foliis magis oblongis, magisque acutis cum acumine, interdum deciduo. 2. ramis subsecundis, flexuosis.

9. C. (*hirta.*) foliis obovatis, obtusis, glabris; floribus axillaribus. *Prodr.* p. 53. Clutia *hirta. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 897. Suppl. p. 432.

Crescit in Muffelbay, alibique. Floret Novembri, Decembri.

Frutex erectus, cinereus. glaber, tuberculatus, pedalis et ultra, ramosus. *Rami* et ramuli sparsi, cauli similes, incurvato-erecti. *Folia* alterna, approximata, breviter petiolata, obtusissima, subexciso-retusa, integra, unguicularia vel ultra. *Flores* hirsuti, bini, tres. *Capsula* trigona, angulis obtusis, trilocularis, hirta.

CLXXXV. CORRIGIOLA.

Cal. 5-*phyllus. Pet.* 5. *Sem.* 1, *triquetrum.*

1. C. (*capensis.*) floribus sessilibus. Corrigiola *littoralis. Prodr.* p. 55. Corrigiola *Capensis. Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1507.

Crescit locis depressis, sabulosis, vere inundatis.

Radix fusiformis vel filiformis, simplex, alte descendens. *Caules* e radice plures, filiformes, debiles, diffusi, longi, glabri, ramosi, ramis ramulisque similibus, flexuosis, subfastigiatis. *Folia* alterna, obovata, obtusa, integra, glabra, semiunguicularia. *Flores* in ramis et ramulis alterni, aggregati, sessiles. *Calyx* margine albido-scariosus. Vix diversa a C. *littorali.*

CLXXXVI. PHARNACEUM.

Cal. 5-*phyllus. Cor.* 0. *Caps.* 3-*locularis*, *polysperma.*

1. P. (*microphyllum.*) foliis teretibus, obtusis; stipulis lanatis; umbellis terminalibus. *Prodr.* p. 54. Pharnaceum *microphyllum. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 298. Suppl. p. 185. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1508.

Crescit in littore ad exitum Verlooren Valley. Floret Octobri.

Caulis fruticulosus, rigidus, erectus, ramosissimus, spithamaeus. *Rami* sparsi, divaricati, flexuosi. *Ramuli* subverticillato-aggregati. *Folia* e nodis fasciculata et per caulem sparsa, tereti ovata, patula, frequentissima, carnosa, glabra, vix lineam longa. *Flores* umbellati umbellâ compositâ. *Pedunculus* umbellae filiformis, glaber, aphyllus, pollicaris *Pedicelli* capillares, patentissimi, semiunguiculares. *Corolla* monopetala, profunde quinquepartita; laciniae ovatae, obtusae, concavae, patentes, virides margine tenui albo. Similis P. *incano;* sed differt satis. 1. caule magis erecto, nec diffuso 2. foliis teretibus absque sulco, brevissimis linearibus. 4. Umbella composita, nec supradecomposita.

2. P. (*incanum.*) foliis teretibus, mucronatis; stipulis setaceis; umbellis terminalibus. *Prodr.* p. 54. PHARNACEUM *incanum. Linn.* Mant. p. 358. Syst. Veg. XIV. p. 297. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1510.

Crescit in campis sabulosis prope et extra Hap in Swellendam et alibi, vulgare. Floret Augusto et reliquis mensibus vernalibus.

Radix descendens, fibrosa, perennis. *Caules* e radice plures, subsimplices, prostrati, digitales, basi suffruticosi, foliis et stipulis tecti, herbacei. *Rami* dum adsunt, alterni, cauli similes. *Folia* subverticillato-quaterna, sessilia, filiformia, recurva, obtusa cum mucrone, glabra, approximata, subimbricata, purpureo virescentia, semiunguicularia. *Axillae* foliorum aliis minoribus foliis onustae. *Stipulae* basi foliorum adnatae, scariosae, niveae, basi latae, integrae; infra medium diviso-lacerae laciniis setaceis, folia subaequantibus. *Pedunculi* ex apicibus caulium et ramorum solitarii vel bini umbelliferi, teretes, glabri, erecti, rufescentes, digitales. *Flores* umbellati. Umbella composita floribus pedicellatis. *Eracteae* foliis similes et stipulae interspersae Umbellae universalis, raro partialis basin cingunt. *Pedicelli* alterni, filiformes, unguiculares ultimis sensim brevioribus. *Perianthium* 5-phyllum: foliola ovata, obtusa, petalina intus alba, extus viridia margine albo, patentia, vix lineam longa. *Corolla* nulla, nisi calyci adnata. *Filamenta* 5, receptaculo inserta, subulata, alba, calyce breviora. *Antherae* ovatae, erectae, didymae, flavae. *Nectarium:* squamae 5, truncatae, basin capsulae cingentes, albae. *Germen* superum, subtricuspidatum. *Styli* tres, cordati, erecti, filamentorum longitudine. *Stigmata* obtusiuscula vel potius stigmata tria, sessilia. *Capsula* ovata, subtricuspidata, trigona, obtusa, glabra, trivalvis, trilocularis. *Semina* plurima.

3. P. (*glomeratum.*) foliis tereti-subulatis, falcatis; umbellis glomeratò-subsessilibus; caule decumbente. *Prodr.* p. 53. PHARNACEUM *glomeratum. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 298. Suppl. p. 185. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1509.

Crescit in campis subulosis, in Swartland copiose, infra Taf-

felberg in collibus lateris occidentalis, alibique. Floret Augusto sequentibusque mensibus.

Tota planta glabra. *Caulis herbaceus*, prope radicem ramosus. *Rami* plurimi, filiformes, diffusi. *Ramuli* alterni, patentes. *Folia* verticillata, reflexa, integra, semilineam longa. *Flores* in axillis glomerati, umbellati. *Umbella* subsessilis.

4. P. (*teretifolium.*) foliis filiformibus, mucronatis; caule erecto, frutescente. *Prodr.* p. 53. PHARNACEUM *teretifolium. Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1503.

Crescit prope Witte Klipp. Floret Octobri.

Caulis suffruticosus, teres, cinereus, totus glaber, pedalis. *Rami* oppositi, divaricati, parum ramulosi. *Folia* in ramis verticillata, tereti-subulata, integra, patentia, semilineam longa. *Umbellae* laterales, simplices, pedunculati. *Pedanculi* capillares, folio breviores.

5. P. (*albens.*) foliis filiformibus, mucronatis; umbellis terminalibus, compositis. *Prodr.* p. 53. PHARNACEUM *albens. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 298. Suppl. p. 186. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1510.

Caulis frutescens, erectus, totus glaber, pedalis, ramulosus. *Rami* alterni, flexuosi, divaricati, breves, foliosi. *Ramuli* alterni, elongati, candidi, aphylli, capillares. *Folia* ramorum verticillata, plurima, teretia, integra, subtus sulcata, reflexa, unguicularia. *Umbellae* pedunculatae. *Pedanculi* e ramulis continuati, filiformes pedicellis capillaribus.

6 P. (*lineare.*) foliis linearibus; umbellis lateralibus; ramis diffusis, dichotomis. *Prodr.* p 53. PHARNACEUM *lineare. Linn.* Syst. Veget. XIV. p. 298. Suppl. p. 185. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1508.

Crescit in campis sabulosis Swartlandiae, prope Kap in collibus, in Krakakamma, alibique. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Caulis herbaceus, brevissimus. *Rami* subradicales, filiformes, elongati, glabri, dichotome ramosi. *Folia* sessilia, verticillata, 6 vel 8, obtusa, integra, glabra, patentia, inaequalia, unguicularia et pollicaria. *Stipulae* scariosae. *Flores* laterales ex axillis foliorum superiorum et in ramulis terminales, paniculati.

7. P. (*dichotomum.*) foliis linearibus; panicula dichotoma; caule erecto. PHARNACEUM *dichotomum. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 298 Suppl. p. 186. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1511.

Crescit in campis subulosis Swartlandiae. Floret Septembri.

Caulis herbaceus, unicus vel plures, capillaris, glaber, palmaris usque spithamaeus, ramosus. *Rami* rarissimi, alterni, similes. *Folia* radicalia vel caulina, verticillata, 9 vel plurima, acuta, erecto-patentia, integra, glabra, unguicularia usque pollicaria. *Flores* in caule et ramis terminales, dichotome pani-

culati, rarius trichotomi. *Pedunculi* et *pedicelli* capillares, patentes, glabri.

8. P. (*distichum.*) foliis subsenis, lanceolatis; paniculis axillaribus. PHARNACEUM *distichum. Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1511

Caulis herbaceus, filiformis, uti tota planta glaber, debilis, decumbens, articulatus, raro ramosus. *Rami* alterni, simplices, similes cauli. *Folia* in articulis lanceolato-elliptica, integra, glabra, vix pubescentia, reflexa, inaequalia, vix pollicaria. *Paniculae* pedicellis dichotomis, capillaribus.

9. P. (*quadrangulare.*) foliis lanceolatis, quadrifariam imbricatis; umbellis terminalibus. *Prodr* p. 54. PHARNACEUM *quadrangulare. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 298. Suppl. p. 185. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1510.

Crescit in Roude Bockeveld, in montibus prope Verkeerde Valley albique. Floret Octobri, Novembri, Decembri.

Caulis fruticosus, erectus, totus glaber, palmaris et spithamaeus. *Rami* alterni, flexuosi, aphylli, breves. *Ramuli* filiformes, apice foliosi, virgati. *Folia* sessilia, mucronata, integra, marginata margine albido, lineam dimidiam longa. *Flores* in apicibus umbellati, umbellis breviter pedunculatis et pedicellatis. *Corolla* pentapetala, alba. *Capsula* 4-angularis.

10. P. (*mucronatum.*) foliis ovatis, mucronatis, floribus verticillatis.

Caulis herbaceus, subnullus; sed *Folia* subradicalia, aggregata, basi attenuata, integra, concava, glabra, semilineam longa. *Pedunculi* subradicales, capillares, plures, flexuoso-erecti, glabri, inaequales, digitales. *Flores* verticillato-aggregati, breviter pedicellati, involucrati bracteis ovatis mucronatis.

11. P. (*marginatum.*) foliis ovatis, marginatis, obtusis; floribus axillaribus, sessilibus. *Prodr.* p. 54. PHARNACEUM *marginatum. Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1508.

Crescit prope Witte Klipp Floret Octobri.

Tota planta glabra. *Caulis* filiformis, decumbens, ramosus. *Rami* alterni, aphylli, albidi. *Ramuli* frequentiores, diffusi, foliosi, floriferi. *Folia* sessilia, verticillata, plura, integra, margine incrassato-marginata, minuta, patentia. *Stipulae* setaceae. *Flores* in axillis glomerati.

12. P. (*serpyllifolium.*) foliis ovatis, obtusis; pedunculis axillaribus, unifloris. *Prodr.* p. 54. PHARNACEUM *serpyllifolium. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 297. Suppl. p. 186. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1509.

Crescit in fronte Montis Bockland in fissuris rupium. Floret Novembri, Octobri

Radix filiformis, descendens. *Caulis* vix nullus; sed rami radicales, plurimi, capillares, diffusi, toti glabri, pollicares, iterum subdichotome ramulosi. *Folia* bina vel subverticillata, pauca,

petiolata, integra, patentia, vix lineam dimidiam longa. *Stipulae* setaceae, scariosae. *Flores* axillares, pedunculati, subsolitarii.

13. P. (*cordifolium.*) foliis obovatis, mucronatis; umbellâ terminali, compositâ. *Prodr.* p. 54. PHARNACEUM *cordifolium. Linn.* Spec. Pl. p. 389. Syst. Veg. XIV. p. 298. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1511.

Caulis herbaceus, decumbens, filiformis, totus glaber, spithamaeus. *Rami* axillares, bini, filiformes, diffusi. *Folia* verticillata, petiolata, sena, carnosa, integra, patentia, semiunguicularia. *Umbellae* in ramis et ramulis.

PENTAGYNIA.

CLXXXVII. STATICE.

Cal. 1-*phyllus*, *integer*, *plicatus*, *scariosus*. *Petala* 5. *Sem.* 1, *supernum.*

1. S. (*longifolia.*) caule paniculato, scabro; foliis obovato-linearibus. *Prodr.* p. 54. STATICE *longifolia. Willd.* Spec. Pl. I. 2. p 1529.

Crescit in arenosis maritimis prope Kap et in Swartland, saepe inter frutices. Floret Septembri.

Caulis brevissimus, suffruticosus, erectus, glaber, scabridus, ramose divisus, pedalis et ultra. *Rami* mox a radice alterni, ramulis dichotomis. *Folia* subradicalia, alternantia, basi latâ vaginantia, inde subpetiolata-teretia, sensim dilatata, obtusa, mucronata, integra, glabra, substriata costâ mediâ elevata, erecta, spithamaea usque pedalia. *Flores* in ultimis ramulis alterni, sessiles, secundi, remoti.

2. S. (*scabra.*) foliis subradicalibus, obovato-oblongis, obtusis; ramis scabris. *Prodr.* p. 54. STATICE *scabra. Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1526.

Crescit ad oras maritimas, in littore prope urbem Kap rarius, in Houtniquas vulgaris in collibus montium. Floret Octobri, Novembri.

Caulis herbaceus, mox a radice ramosus, flexuoso-erectus spithamaeus vel subpedalis. *Rami* teretes, flexuosi; scabri papillis cavis, fusco-purpurei. *Ramuli* reticulati. *Folia* radicalia sulcata, integra, subrogoso-scabrida, unguicularia usque pollicaria. *Flores* in ultimis ramulis secundi, sessiles, coerulei.

3. S. (*tetragona.*) caule paniculato, tetragono; foliis obovatis. *Prodr.* p. 54. STATICE *tetragona. Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1526.

Caulis fusco-purpurascens, glaber, erectus, ramosissimus, bipedalis. *Rami* sparsi, dichotomi, tetragoni, purpurei, ramulis virgatis, similibus. *Folia* radicalia, inferne longe attenuata in petiolos lineares, obtusa, integra, glabra, avenia, tripollicaria. *Flores* alterni, sessiles, remoti.

4. S. (*linifolia.*) caule fruticoso, ramoso, foliisque linearibus scabris. *Prodr.* p. 54. Statice *linifolia. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 301. Suppl. p. 187. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1530.

Crescit prope Swartkoops Zout paar et alibi rarius. Floret Decembri.

Caulis squamosus, brevissimus. *Rami* subradicales, teretes, scabri, flexuosi, paniculato-ramosi, spithamaei. *Folia* subradicalia vel in apice caulis, sessilia, utrinque attenuata, integra, scabrida, erecta, pollicaria. *Flores* sessiles in ultimis ramulis, imbricati.

5. S. (*purpurata.*) caule foliato; foliis obovatis, mucronatis. *Prodr.* p. 54. Statice *purpurata. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 301. Mant. p. 59. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1528.

Incolis: Papier-bloom. Crescit ad littora maris, in Saldanha-bay prope Compagniepost et aliis regionibus arenosis. Floret Septembri.

Caulis erectus, fruticosus, orgyalis.

CLXXXVIII. LINUM.

Cal. 5-*phyllus.* *Pet.* 5. *Caps.* 5-*valvis*, 10-*locularis.* *Sem. solitaria.*

1. L. (*africanum.*) foliis oppositis, lineari-lanceolatis; floribus terminalibus; pedunculatis. *Prodr.* p. 57. Linum *africanum. Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1541. *Linn.* Mant. p. 360.

Crescit in interioribus regionibus.

2. L. (*aethiopicum.*) foliis oppositis, ovatis, mucronatis; caule fruticoso. Linum *aethiopicum. Prodr.* p. 57. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1541.

Crescit in Houtniquas. Floret Novembri.

Radix alte descendens, perennis. *Caulis* brevis, mox ramosus. *Rami* dichotomi, divaricato-patuli, cinerei, iterum ramulosi ramulis erectis. *Folia* sessilia, integra, glabra, erecto-patentia, semiunguicularia. *Flores* terminales, subumbellati. *Corolla* flava. *Filamenta* 5, brevissima. *Antherae* subhastatae, didymae, flavae. *Capsula* 5-valvis,*) locularis.

3. L. (*quadrifolium.*) foliis quaternis. *Prodr.* p. 57.

*) Quot? *Editor.*

Linum *quadrifolium*. *Linn.* Spec. Pl. p. 402. Syst. Veg. XIV. p. 303. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1542.

Caulis brevissimus, mox a radice ramosus, herbaceus. *Rami* subradicales, plures, subsimplices, filiformes, flexuoso-erecti, glabri, pedales vel ultra. *Folia* inferiora verticillata, ovata; superiora bina opposita, ovato-lanceolata, acuta, integra, glabra, erecto patentia, unguicularia. *Flores* in caule superne paniculato, trichotome terminales.

CLXXXIX. DROSERA.

Cal. 5-fidus. Pet. 5. Caps. 1-locularis, apice 5-valvis. Sem. plurima.

1. D. (*acaulis.*) acaulis; flore radicali, sessili. *Prodr.* p. 57. Drosera *acaulis*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 303. Suppl. p. 188. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1543. *Dissert. de Drosera.*

Crescit in Koude Bockefeld, trans Elands Kloof locis humidis. Floret Octobri.

Caulis nullus; sed *Folia* radicalia, plura, basi attenuata, obovata, obtusa, expansa, unguicularia. *Flos* solitarius in centro foliorum, sessilis vel subpedunculatus. *Pedunculus* brevissimus, saepe nullus. *Corolla* pentapetala, patens alba. *Styli* 5, saepius bifidi, albi, patentissimi, filiformes, breves. *Stigmata* bifida vel plumulosa.

2. D. (*cuneifolia.*) scapis radicalibus; foliis oblongis. *Prodr.* p. 57. Drosera *cuneifolia*. *Linn.* System. Veget. XIV. p. 304. Suppl. p. 188. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1544. *Diss. de Drosera.*

Crescit prope Kap, in Swartland, inque summitate Taffelberg. Floret Octobri et sequentibus mensibus.

Radix filiformis. *Folia* radicalia, plura, sessilia, imbricatim imposita, inferiora minora; obovata, obtusissima, ciliata ciliis rufescentibus; patentia, unguicularia vel vix pollicaria. *Scapi* solitarii vel pauci, tres vel quatuor, simplices, erecti, filiformes, striati, villoso-scabri, a pollicari ad spithamaeam usque longitudinem. *Flores* racemosi, subsecundi, rarissime bini, plerumque tres usque septem et ultra. *Pedunculi* unifiori, simplices et divisi, cernui, unciales. *Varietas* triplex plerumque occurrit: *α.* scapo brevissimo, pollicari; floribus binis; corollis albis. *β.* scapo longissimo, spithamaeo; floribus racemosis, pluribus; corollis purpureis. *γ.* scapo mediocri, palmari; floribus racemosis, pluribus; corollis albis. Diversa in multis a *D. longifolia.*

3. D. (*capensis.*) scapo diviso; foliis petiolatis, ensiformibus. Drosera *capensis*. *Prodr.* p. 57. *Linn.* Spec. Plant. p. 403. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1545. *Diss. de Drosera.*

Crescit in montibus, rarior. Floret Septembri, Octobri, Novembri.

Radix teres, descendens. *Scapus* compressus angulatus, flexuosus, erectus, hirtus, superne bifidus, spithamaeus. *Folia* radicalia, alternantia, linearia, obtusa, ciliata ciliis glandulosis, pollicaria usque digitalia. *Petioli* pubescentes, longitudine folii. *Flores* racemosi, secundi, purpurei.

4. D. (*cistiflora.*) caule simplici; foliis lanceolatis. *Prodr.* p. 57. Drosera *cistiflora. Linn.* Spec. Pl. p. 403. Syst. Veg. XIV. p. 304. *Willd.* Spec. Pl. I. 2. p. 1546. *Diss. de Drosera.*

Crescit in collibus et campis sabulosis juxta Kap, in Swartland et alibi vulgatissima primo vere. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Radix subfasciculata vel fusiformis, annua. *Planta* tota herbacea, glutinosa. *Caulis* erectus, villosus pilis brevissimis capitatis, palmaris vel spithamalis. *Folia* radicalia subverticillata; caulina alterna, sessilia, patentia, apice obliqua, integra, supra sulco longitudinali, subtus lineâ elevata, undique tecta pilis capitatis capitalis rufescentibus; internodiis longiora, pollicaria. *Flores* terminales, solitarii vel bini. *Perianthium* monophyllum, profunde 5-partitum: laciniae ovatae, obtusae, concavae, corolla breviores. *Petala* 5, lato-ovato, obtusa, excisa, patentia, basi parum angustata, concava, unguicularia. *Filamenta* 5, linearia, erecta, nigra, longitudine fere calycis. *Antherae* erectae, inferne bifidae, ovatae, fulvae. *Germen* superum, acutum. *Styli* 5 rarius, saepissime 6, filiformes, deflexi, fusci apice pallidiore, staminibus longiores. *Stigmata* multifida obtusa. *Capsula* ovata, acuta, trisulca, pentagona, fusca, glabra, trivalvis, unguicularis. *Semina* plurima. *Varietas* duplex, utraque speciosa, occurrit: *α.* flore albo, minori, basi maculato. *β.* flore rubro, majori, basi virescenti-fusco.

5. D. (*Roridula.*) Roridula *dentata. Prodr.* p. 41. *Linn.* Syst. Veg. *Gmelin.* 2. 1. p. 422.

Usus. Summitates omnes foliosae maxime viscosae sunt et insecta retinent uti viscum; in domibus itaque suspensa colonis Europaeis pro capescendis muscis inserviunt.

CXC. CRASSULA.

Cal. 5-*phyllus. Pet.* 5. *Squamae* 5 *nectariferae ad basin germinis. Caps.* 5.

1. C. (*umbellata.*) foliis subpetiolatis, ovatis, obtusis, integris; caule capillari erecto; floribus umbellatis.

Crescit in arenosis depressis Swartland, et in montibus Parl, Paardeberg et *Ribeck Casteel. Floret Septembri, Octobri.*

Radix fibrosa, tenuissima, annua. *Caulis* glaber, albus, simplex, unguicularis, apice umbellifer. *Folia* radicalia, oppo-

sita, sessilia, purpurea, lineam vix longa, patentia, glabra, inferne attenuata. *Flores* ex apice caulis inter folia, plurimi, subumbellati, pedunculati, erecti. *Pedunculi* inaequales; quidam brevissimi; alii unguiculares, capillares, erecti, glabri, purpurei, uniflori. *Perianthium* 1-phyllum, carnosum, purpurascens, 4-partitum: laciniae obtusae, erectae. *Corolla* 4-petala, incarnata. *Filamenta* 4, subulata, erecta, longitudine laciniarum calycis. *Antherae* flavae. *Germina* 4, supera, ovata, acuta. *Styli* breves, persistentes. *Stigmata* simplicia, acuta. *Caps.* 4, ovatae, acutae, glabrae.

Obs. Variat numerus quaternarius et quinarius, ut CRASSULIS valde accedat; sed communior est numerus quaternarius et calyx monophyllus, ut rectius adnumeraretur TILLAEIS parvula planta, nisi TILLAEAE et CRASSULAE idem constituerent genus, numero tantum partium varians, saepe in eadem specie.

2. C. (*decumbens.*) decumbens; foliis subulatis.

Crescit in collibus sabulosis circa urbem, infra montes. Floret Augusto.

Radix fibrosa. *Caulis* ramosus, erectus, teres, glaber, pellucidus, semidigitalis. *Rami* oppositi, ramulosi, ramulis oppositis. *Folia* ad ramificationes opposita, connata, tereti-subulata, glabra, lineam longa. *Flores* in ramulis terminales, fastigiati, pedunculati. *Pedunculi* longitudine foliorum glabri. *Perianthium* 1-phyllum, inferum, profunde 4-partitum: laciniae ovatae, acutae, erectae, glabrae. *Corolla* 4-petala, inter lacinias calycis inserta, eisque brevior: petala ovata, acuta, erecta, alba. *Nectaria* 4 intra petala ad basin germinis, obtusa, brevissima, rubra. *Filamenta* 4, petalis breviora, subulata. *Antherae* rotundae. *Germina* 4, supera, acuta. *Styli* nulli. *Stigmata* 4, minima, acuta. *Capsulae* 4, ovatae, acutae, glabrae.

3. C. (*debilis.*) caule trichotomo, rectiusculo; folis subteretibus, concavis, papulosis.

Floret Junio, Julio.

Radix fibrosa. *Caulis* filiformis, ramosus, erectus, vix digitalis, tenerrimus, glaber, pellucidus, venâ rufescente. *Rami* oppositi, unguiculares, supremi breviores, subramulosi, patentes, foliosi, tenerrimi, glaberrimi, pellucidi, albi, venâ rubrâ. *Ramuli* oppositi minimi, floriferi. *Folia* in axillis ramorum et ramulorum opposita, conferta, ovata, carnosa, supra concaviuscula sulco longitudinali; subtus convexa, obtusa, glabra, sessilia, integerrima. *Flores* axillares, oppositi, et terminales, in ramis et imprimis in ramulis, pedunculati. *Pedunculus* vix lineam longus. *Perianthium* 1-phyllum, inferum, semi-5-fidum, persistens, carnosum, papulosum; laciniae ovatae, concaviusculae, glabrae, erectae. *Corolla* 5-petala, tubo calycis inter lacinias inserta. *Petala* linearia, integra, longitudine laciniarum calycis, albae, carinâ saepe incarnatâ. *Filamenta* 5, corollâ breviora, calyci ad germinis latera inserta. *Antherae* rotundae, bisulcae. *Germina* 5 supera, calyce cincta,

ovata. *Stylus* nullus, nisi stigmata 5 divergentia. *Nectaria:* squamae 5, ad latera germinis. *Capsulae* 5, ovatae acutae.

Obs. Potius CRASSULA erit, a quo genere non differunt TILLAEAE *capenses*.

4. C. (*muscosa.*) foliis connatis, ovatis, acutis, integris, quadrifariam imbricatis; floribus lateralibus. CRASSULA *muscosa Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 305. *Spec. Pl.* p. 405.

Crescit in Krumrivier prope Zeekorivier, Hantum, Taffelberg, alibi. Floret Octobri, Novembri.

Radix perennis. *Caulis*, uti rami et ramuli, totus tectus foliis, per intervalla ramosus, spithamaeus, erectus. *Rami* cauli similes, per intervalla iterum ramulosi, subfastigiati. *Folia* alternatim opposita, sessilia, distincta, subtus convexiuscula, supra concava, foliolis axillaribus onusta, lineam longa, glabra, pallide viridia. *Flores* ex axillis foliorum laterales, sessiles, solitarii vel plures. *Perianthium* 1-phyllum, viride, 5-partitum: laciniae brevissimae. *Corolla* 5-petala: petala ovata, obtusa, minuta, alba, apice purpurascentia, erecta. *Filamenta* 5, corollâ breviora. *Antherae* minutae, flavae. Alia varietas caule tenuiore, nudo, bruneo, ramis inferne nudis, superne uti et ramuli foliis imbricatis, sed non totis tectis.

5. C. (*glomerata*); foliis lanceolatis; caule dichotomo, fastigiato; floribus glomeratis. CRASSULA *glomerata Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 305. *Mant.* p. 60.

Crescit in arenosis Groene Kloof et Swartland, Verlooren Valley alibi. Floret Septembri, Octobri.

Rami fastigiati.

6. C. (*natans.*) foliis lineari-oblongis; floribus quadrifidis; caule simplici. TILLAEA *capensis Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 170. *Suppl.* p. 129.

Crescit prope urbem in fossulis, locis aquosis, alibique in aquis. Floret Julio, Augusto, et *sequentibus mensibus,*

Radix annua, fibrosa, tenuissima. *Caulis* filiformis, saepius simplex, raro ramosus, erectus, pellucidus, albido-purpurascens, pollicaris usque tripedalis, pro ratione profunditatis aquae, articulatus. *Rami* alterni, cauli similes, simplices. *Folia* opposita, connato-amplexicaulia, patentia, lineari-ovata, integra, glabra, obtusa, internodiis breviora, lineam longa, versus summitatem magis aggregata. *Flores* axillares, pedunculati, oppositi, versus summitatem aggregati, erecti, sub florescentia natantes. *Pedunculus* capillaris, solitarius, uniflorus, glaber, foliis brevior, incarnatus. *Perianthium* 1-phyllum, glabrum, 4-dentatum, corollâ paulo brevius, viride. *Corolla* 4-petala: petala obovata, obtusa, integra, concava, alba, carinâ rufescente, basi intus lineâ rubrâ, nectarium mentiente notata. *Filamenta* 4, receptaculo inserta, petalis breviora, alba. *Antherae* minutae, primum sanguineae, dein fuscae. *Germina* 4, supera. *Styli* simplices, brevissimi. *Stigmata* obtusa. *Capsulae* 4, ovatae, acutae, patentes.

7. C. (*prostrata.*) decumbens, pellucida; foliis lanceolatis, acutis.

Tota planta glabra. *Rami* alterni, compressi, diffusi, ramulis similibus. *Folia* lanceolata vel subelliptica, acuta, integra. *Flores* axillares, pedunculati, solitarii et terminales, umbellati. Similis CRASSULAE *pellucidae*, sed folia diversa.

8. C. (*pellucida.*) foliis subpetiolatis, ovato-lanceolatis; floribus subumbellatis; caule filiformi, diffuso, pellucido. CRASSULA *pellucida* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 306. *Spec. Pl.* p. 406.

Crescit in montibus Paarl et Paardeberg, *Musselbay, prope Valsrivier, in arenosis Swartland et alibi. Floret Septembri, Octobri, Novembri.*

Radix fibrosa, annua. *Caulis* herbaceus, teres, carnosus, tetragonus, subpellucidus, ramosus, debilis, erectiusculus, purpurascens, villosus, digitalis et ultra. *Rami* oppositi, cauli similes, diffusi. *Folia* opposita, sessilia, obovata, obtusa, carnosa, pubescentia, tenuissime serrato-ciliata, patentia, vix unguicularia, superioribus sensim minoribus. *Flores* terminales, pedunculati. *Pedunculi* inaequales, in dichotomiis solitarii, in ramulis subumbellati, capillares, purpurascentes, villosi, uniflori. *Perianthium* monophyllum, erecto, patens, viride; villosum, 5-partitum: laciniae lanceolatae, obtusae. *Corolla* 5-petala: petala ovata, incarnata, patula, longitudine calycis. *Filamenta* 5 erecta, corollâ breviora. *Antherae* minutae, flavae. *Germina* supera, 5, glabra. *Styli* subulati, breves. *Stigmata* simplicia, acuta. *Capsulae* quinque, ovatae, subulatae, glabrae. Similis CRASSULAE *dichotomae*, sed huic rami oppositi.

9. C. (*inanis.*) foliis perfoliatis, ovatis; floribus quadrifidis; caule simplici. TILLAEA *perfoliata.* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 170. *Suppl.* p. 129.

Crescit in agris. Floret Decembri, Januario.

Caulis teres, inferne simplex, apice parum ramosus, erectus, debilis, glaber, albus, spithamaeus et ultra, crassitie pennae. *Rami* alterni fastigiati, cauli similes, brevissimi. *Folia* opposita, obtusa, integra, glabra, patenti erecta, lineam longa, remota. *Flores* terminales, corymbosi corymbo composito, pedunculati. *Pedunculi* capillares, longitudine floris. *Perianthium* 1-phyllum, 4-dentatum, glabrum, laciniis ovatis, obtusiusculis, virescentibus. *Corolla* 4-petala. *Petala* lanceolato-ovata, obtusa, calyce duplo longiora, erecta, alba, semilinearia. *Filamenta* 4, receptaculo inserta, calycis longitudine. *Antherae* minutae, fuscae. *Germina* 4, supera, ovata *Styli* breves, extrorsum flexi, persistentes. *Stigmata* simplicia, obtusa, fusca. *Capsulae* 4, ovatae, stylis coronatae, glabrae.

10. C. (*retroflexa.*) foliis connatis, oblongis, remotis; caule simplici; cymâ compositâ; pedicellis retrofractis. CRASSULA *retroflexa.* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 306. *Suppl.* p. 188.

Crescit in Swartland, Saldanha Bay, regionibus St. He-

lenae Bay, prope *Bergrivier*, in *Bode Sand montibus*, prope *Winterhoek*. *Floret Septembri*, *Octobri*.

Radix fibrosa, annua. *Caulis* filiformis, flexuoso-erectus, digitalis, glaber, purpurascens. *Folia* caulina duo vel quatuor, connata, ovato-lanceolata, obtusa, patentia, integra, semiunguicularia. *Flores* cymosi, erecti. *Cyma* decomposita, subdichotoma. *Pedunculi* et pedicelli retrofracti, capillares. *Bracteae* sub pedunculis et pedicellis oppositae, foliis similes, sed minores. Varietates hujus tres: α. floribus aurantiacis, major. β. floribus luteis, mediocris. γ. floribus albis, minor et tenerior.

11. C. (*muricata.*) foliis connatis, trigonis, ciliato-scabris; ramis tetragonis; caule frutescente.

Caulis palmaris. *Rami* alterni, divaricati, flexuosi, articulati, superne scabrido-pubescentes. *Folia* obtusa, marginibus ciliato-scabra, inprimis inferiora, patentia, lineam longa. *Flores* terminales, umbellati. Differt a CR. *tetragona* caule erecto foliisque scabris.

12. C. (*pruinosa.*) foliis subulatis, pruinoso-scabris; floribus corymbosis; caule fruticoso. CRASSULA *pruinosa Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 304. *Mant.* p. 60.

Crescit in Carro.

13. C. (*tetragona.*) foliis connatis, trigonis, patulis; caule procumbente; ramis erectis, superne filiformibus, subnudis; corymbo composito. CRASSULA *tetragona Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 305. *Spec.* Pl. p. 404.

Crescit in Carro prope Swartkopps-rivier et alibi. Floret Decembri.

Radix perennis. *Caulis* suffruticescens, teres, ramosus, glaber. *Rami* alterni, cauli similes, apice elongati, nudi. *Folia* in caule et inferiore parte ramorum, triquetra, glabra, integra, acuta, internodiis longiora, unguicularia, approximata. *Flores* terminales, corymbosi. *Corymbus* decompositus, fastigiatus.

14. C. (*fruticulosa.*) foliis connatis, trigonis, glabris, reflexis; caule frutescente. CRASSULA *fruticulosa Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 305. *Mant.* p. 61. 222.

Crescit cum CR. *tetragona*, cui similis, et a qua differt foliis reflexis.

15. C. (*thyrsiflora.*) foliis perfoliatis, ovatis, ciliatis, patulis; corymbo composito spicato. CRASSULA *thyrsiflora Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 307. *Suppl.* p. 190.

Crescit inter Sondags et Vischrivier.

Caulis teres, herbaceus, erectus, spithamaeus, glaber. *Folia* connata, obtusa, erecto-patula, internodiis breviora, glabra, semiunguicularia. *Flores* thyrsoidei, albi. *Thyrsus* sensim attenuatus, decompositus, palmaris. *Bracteae* sub pedunculis et pedicellis oppositae, foliis similes, sed minores.

16. C. (*spicata.*) foliis connatis, lineari-subulatis; scapo subnudo; floribus verticillatis. CRASSULA *spicata Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 307. *Suppl.* p. 189.

Crescit in Carro. Floret Decembri, Januario.

Folia radicalia fastigiatim opposita, erecta, supra concava, subtus convexa, glabra, digitalia, confertissima; caulina duo, opposita, minora. *Caulis* teres, herbaceus, erectus, glaber, spithamaeus. *Verticilli* approximati, sessiles, multiflori.

17. C. (*hirta.*) herbacea; foliis radicalibus lanceolatis, hirsutis; capitulis verticillatis.

Similis valde CR. *spicatae;* sed folia hujus tenuissime pubescentia. *Caulis* herbaceus, teres, aphyllus, simplex, erectus, tenuissime pubescens, spithamaeus. *Folia* radicalia, plurima, carnosa, villosa, albida, erecta, acuta, vix pollicaria. *Capitula* verticillata, verticillis 1-4.

18. C. (*subulata.*) foliis perfoliatis, tereti-subulatis, ciliatis, patulis; caule ramoso; floribus capitatis. CRASSULA *subulata. Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 305. *Spec.* Pl. p. 404. *Mant.* p. 360.

Crescit prope urbem Kap.

19. C. (*ramosa.*) foliis connatis, tereti-subulatis, integris, remotis; caule frutescente, ramoso, erecto; corymbo composito.

Crescit in Carro prope Swartkopps rivier, et alibi. Floret Decembri.

Radix perennis. *Caulis* filiformis, inferne ramosus, foliosus, glaber, pedalis. *Rami* alterni, longi, sensim attenuati, glabri, rufescentes. *Folia* decussatim opposita, internodiis longiora, unguicularia, glabra, patula, superiora sensim minora. *Flores* corymbosi. *Corymbus* coarctatus compositus.

20. C. (*cymosa.*) foliis perfoliatis, lanceolato-subulatis, ciliatis, patulis; caule simplici; corymbo composito. CRASSULA *cymosa Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 304. *Mant.* p. 222.

21. C. (*mollis.*) foliis connatis, tereti-triquetris, glabris, mollibus, remotis; caule erecto, simplici; corymbo trichotomo, supradecomposito. CRASSULA *mollis Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 307. *Suppl.* p. 189.

Crescit juxta introitum a Canna Land ad Lange Kloof. Floret Januario.

Radix perennis. *Caulis* frutescens, angulatus, rufescens, tenuissime tomentosus, articulatus, calami fere crassitie, pedalis. *Folia* subtriquetra, acuta, glabra vel tenuissime subtomentosa, patula, unguicularia, inferiora magis approximata, superiora remotiora. *Flores* corymbosi. *Corymbus* decompositus, subfastigiatus. *Pedunculi* pollicares. *Pedicelli* sensim breviores. *Bracteae* sub pedunculis et pedicellis duae, oppositae, foliis similes, sed minores.

22. C. (*pubescens.*) foliis connatis, ovato-subulatis, villosis; caule ramoso; floribus corymbosis. CRASSULA *pubescens Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 307. *Suppl.* p. 194.

Crescit in Carro prope Canna-Land. Floret Novembri, Decembri.

Radix perennis. *Caulis* filiformis, frutescens, erectus, ruber, glaber, spithamaeus. *Rami* subverticillato-terni, ramulosi, pubescentes. *Folia* tereti-subulata, carnosa, crassa, patentia, longitudine internodiorum, lineam longa, supra planiuscula, subtus gibba. *Corymbus* compositus, trichotomus.

23. C. (*scabra.*) foliis connatis, subtriquetris, papuloso-scabris; caule retrorsum scabro, ramoso: corymbo composito. CRASSULA *scabra. Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 304. *Spec. Pl.* p. 405.

Crescit in collibus infra Taffelberg prope Kap. Floret Februario, Martio.

24. C. (*cephalophora.*) foliis connatis, lineari-oblongis, obtusis, integris; capitulis lateralibus, pedunculatis. CRASSULA *cephalophora Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 307. *Suppl.* p. 190.

Folia radicalia, linearia, erecta, subtomentosa, digitalia; caulina nulla. *Caulis* teres, erectus, subtomentosus, spithamaeus. *Flores* capitati. *Capitula* opposita, magnitudine pisi.

25. C. (*montana.*) foliis connatis, ovatis, acutis, ciliatis; caule subnudo; floribus capitato aggregatis. CRASSULA *montana Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 307. *Suppl.* p. 189.

Crescit in summo monte Bockland. Floret Octobri, Novembri.

Folia radicalia, tenuia, concava, frequentissima, patula, glabra, vix semiunguicularia, viridi-purpurascentia; caulina trium circiter parium, consimilia, sed minora, remota. *Caulis* filiformis, erectus, digitalis, purpurascens. *Flores* capitati, sessiles. *Capitula* plerumque solitaria, raro duo lateralia simul.

26. C. (*turrita.*) foliis connatis, quadrifariam imbricatis, ovato-oblongis, acutis, ciliatis. CRASSULA *turrita. Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 307. *Suppl.* p. 189.

Crescit in Carro prope Olyfantsrivier.

Radix fibrosa, annua. *Caulis* herbaceus, debilis, erectus, teres, articulatus, foliis tectus, glaber, palmaris. *Rami*, si ulli, axillares, brevissimi. *Folia* alternatim opposita, carnosa, cartilagineo-ciliata, crassa, glabra, rubra; inferiora oblonga, supra concava, subtus convexa, pollicaria; superiora ovata, supra plana, subtus convexa, semiunguicularia, suprema sensim minora et magis approximata. *Flores* nunquam vidi.

27. C. (*alpestris.*) foliis connatis, ovatis, acutis, integris, quadrifariam imbricatis; capitulis pedunculatis. CRASSULA *alpestris Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 307. *Suppl.* p. 189.

Crescit in rupibus Houde Bockeveld, Bockland, Roggeveld. Floret Octobri.

Radix fibrosa. *Caulis* teres, glaber, erectus, superne divisus, ante florescentiam totus foliis tectus, dein excrescens, palmaris, purpurascens. *Folia* acuminata, concava, unguicularia, viridi purpurascentia. *Flores* terminales, capitati. *Capitula* plura, piso majora. *Pedunculi* semiunguiculares, purpurascentes. Valde similis CR. *montanae*, differt autem: a.) foliis magis acuminatis, nec ciliatis. b.) caule crassiore, foliis tecto. c.) capitulis floribusque majoribus.

28. C. (*capitella.*) foliis connatis, oblongis, cartilagineo-ciliatis, patulis; floribus verticillato-capitatis. CRASSULA *capitella* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 307. *Suppl.* p. 190.

Crescit in Carro inter Canna Land et Olyfants-Rivier. Floret Decembri, Januario.

Radix fibrosa. *Caulis* teres, glaber, erectus, spithamaeus, crassitie calami, superne interdum ramosus. *Folia* oblongo-lanceolata, acuta, ciliata, remota, internodiis longiora, pollicaria, glabra. *Flores* verticillati, albi. *Verticilli* sessiles, multiflori, approximati.

29. C. (*perfoliata.*) foliis connatis, lanceolatis, acutis, tomentosis, remotis; corymbo decomposito. *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 304. *Spec. Pl.* p. 404.

Crescit in sylvis prope Swartkop's Zoutpan. Floret Decembri.

Caulis herbaceus, vix lignosus, simplex, subtetragonus, erectus, glaber, viridis, foliosus, crassitie digiti, pedalis et ultra. *Folia* fastigiatim opposita, sessilia, carnosa, approximata,*) erecto-patentia, supra concava, subtus lineâ elevatâ carinata, viridia, glabra, digitalia; superiora sensim breviora. *Flores* paniculato-corymbosi, cymâ compositâ. *Pedunculi* trichotomi.

30. C. (*obvallata.*) foliis connatis, ovatis, ciliatis; caule subtecto; corymbo supradecomposito. CRASSULA *obvallata* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 305. *Mant. p.* 61.

Crescit in montibus Hexrivier, Rode Zand Kloof, alibique. Floret Decembri, Januario.

31. C. (*centauroides*) foliis sessilibus, cordato-ovatis, integris, remotis; caule flaccido; floribus umbellatis. CRASSULA *centauroides* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 305. *Mant.* p. 360.

Crescit in lateribus Taffelberg, inque ejus fossa magna. Floret Januario, Februario.

32. C. (*dichotoma.*) foliis subpetiolatis, ovatis, obtusis; floribus umbellatis; caule filiformi flaccido. CRASSULA *dichotoma* *Linn. Syst. Veg.* XIV p. 305. n. 15. *Sp. Pl.* p. 404.

Crescit in fossa magna Tafelberg, in arenosis Swartland,

*) Supra *remota* dicuntur. *Editor.*

monte Paarl et alibi. Floret Februario, Octobri, Septembri

33. C. (*marginata.*) foliis connatis, ovatis, margine membranaceis; pedunculis unifloris; caule debili.

Caulis herbaceus, articulatus, simplex vel ramosus, palmaris vel paulo ultra, totus glaber, pellucidus. *Folia* obtusa, integra, margine albo scarioso, patentia, unguicularia. *Flores* laterales vel terminales. *Pedunculi* bini vel plures, capillares.

34. C. (*tomentosa*) foliis connatis, lanceolatis, villosis, ciliatis; caule subnudo; floribus verticillatis. CRASSULA *tomentosa Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 307. *Suppl.* p. 170.

Crescit in Hantum. Floret Octobri, Novembri.

Folia radicalia, oblongo lanceolata, obtusiuscula, hirsuta, imbricata, pollicaria; caulina trium parium, minora. *Caulis* angulatus, erectus, villosus, pedalis.

35. C. (*crenulata.*) foliis connatis, lanceolatis, punctato-crenulatis, remotis; corymbo decomposito. CRASSULA *crenulata Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 307 *Suppl* p. 189.

Crescit prope Lurisrivier Floret Decembri.

Caulis herbaceus, erectus, teres, foliosus, articulatus, glaber, viridis, lineolis albis variegatus, crassitie pennae, pedalis. *Folia* fastigiatim opposita, sessilia, subconnata, lineari lanceolata, obtusa, supra concava, subtus convexa, serie punctorum intra marginem, crenulata, carnosa, glabra, internodiis longiora, digitalia, erecta, apice patula, superiora sensim minora et remotiora. *Flores* corymbosi, albi, corymbus trichotomus, fastigiatus. *Bracteae* duae oppositae, sub singulo pedicello, minutae. *Pedunculi* pollicares. *Pedicelli* sensim breviores.

36. C. (*perforata.*) foliis connato-perfoliatis, ovatis, ciliatis, remotis; caule erecto, thyrsifloro. CRASSULA *perforata Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 307. *Suppl.* p. 190.

Crescit in sylva prope Swartkop's Zoutpan. Floret Decembri.

Caulis teres, articulatus, sensim attenuatus, foliosus, glaber, pedalis. *Folia* fastigiatim opposita, connato-perforata, acuta, carnosa, cartilagineo-ciliata, patentia, unguicularia, longitudine internodiorum, viridia, subtus margineque supra rufescentia. *Flores* spicato-paniculati s. thyrsoidei. *Thyrsus* interruptus, spithamaeus, compositus, subsecundus, incurvus. *Pedunculi* et pedicelli filiformes.

37. C. (*pyramidalis.*) foliis connatis, quadrifariam imbricatis, ovatis, obtusis, integris; capitulis sessilibus. CRASSULA *pyramidalis Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 307. *Suppl.* p. 189.

Crescit juxta Olyfants-Rivier orientalem, prope thermas. Floret Octobri.

Caulis flexuoso-erectus, simplex, bifidus, totus foliis tectus, palmaris. *Folia* marginata, lineam longa, glabra. *Flores* in

ramis terminales, capitati. *Capitula* solitaria, sessilia, piso majora, globosa. Similis Crassulae *muscosae*, sed differt a.) caule crassiore, erecto, b.) floribus capitatis.

33. C. (*deltoidea.*) foliis connatis, deltoidibus; caule tecto; floribus corymbosis. Crassula *deltoidea Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 206. *Suppl.* p. 189.

Hottentottis: Kata Kiso. Crescit in Carro prope Olyfants-Rivier, Hantam. Floret Decembri.

Caulis herbaceus, carnosus, teres, erectus, semidigitalis, inferne nudus, superne foliosus, ramosus. *Folia* alternatim opposita, terminalia, imbricata, apice patula, integra, pulverulento-glauca, semiunguicularia. *Flores* terminales. *Corymbus* compositus, subfastigiatus.

39. C. (*cultrata.*) foliis connatis, obovatis, obliquis, integris, remotis; caule elongato; floribus corymboso-paniculatis. Crassula *cultrata. Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 305. *Sp. Plant.* p. 405.

Crescit in Carro prope Olyfants-Rivier. Floret Decembri, Januario.

Caulis herbaceus, teres, erectus, inferne foliosus, simplex, superne nudus, glaber, pedalis vel spithamaeus. *Folia* fastigiatim opposita, ovata, obtusa, basi parum obliqua, supra concaviuscula, subtus convexa, carnosa, erecta, pollicaria, unguem lata, internodiis longiora. *Panicula* trichotoma, composita, patula. Variat α. foliis pollicaribus, glabris, viridibus; β. foliis subpollicaribus, glabris, rubris; γ. foliis semipollicaribus, pubescentibus, viridibus.

40. C. (*ciliata.*) foliis connatis, oblongis, ciliatis, patulis; caule elongato; corymbo composito, subrotundo. Crassula *ciliata Linn. Spec. Veg.* XIV. p. 305. *Spec. Pl.* p. 405.

Crescit circum urbem Kap in collibus vulgaris. Floret Aprili et sequentibus mensibus.

41. C. (*coccinea.*) foliis connatis, ovatis, ciliatis; caule tecto; floribus capitatis. Crassula *coccinea Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 304. *Spec. Pl.* p. 404.

Crescit in proclivis Taffelberg. Floret Februario.

42. C. (*rupestris.*) foliis connatis, ovatis, integerrimis, glabris; caule tecto; corymbo supradecomposito. Crassula *rupestris Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 307. *Suppl.* p. 189.

Crescit in rupibus Inderste Roggeveld, fronte montis Bockland, montibus Hexrivier. Floret Novembri, Decembri, Octobri.

Radix perennis, fibrosa, ramosa. *Caulis* teres, ramosus, erectus, palmaris et ultra. *Folia* alternatim opposita, acuta, supra plano-concaviuscula, subtus convexo-carinata, approximata, internodiis longiora, subunguicularia, viridia, margine

rufescente, erecto-patula. *Flores* corymbosi. *Corymbus* trichotomus, fastigiatus. *Pedunculi* et pedicelli glabri, albo-purpurei. *Bracteae* sub singulo pedicello ovata, minuta, alba. *Perianthium* 5 phyllum: folia ovata, corollâ breviora, glabra. *Corolla* 5-petala. *Petala* ovata, obtusa, concava, patula, alba. *Nectarium* squamulae 5 ad basin germinum, minutissimae. *Filamenta* 5, subulata, alba, corollâ breviora. *Antherae* ovatae, fuscae. *Germina* 5, supera. *Styli* 5, subulati, erecti, albi, staminibus breviores. *Stigmata* simplicia, acuta. *Capsulae* 5.

43. C. (*Cotyledonis*); foliis connatis, oblongis, tomentosis, ciliatis; caule subnudo; floribus corymbosis, aggregatis. Crassula *Cotyledonis Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 307. *Suppl.* p. 190.

Crescit prope Swartkop's Zoutpan, in sylva. Floret Decembri.

Caulis simplex, erectus, herbaceus, subtetragonus, aphyllus, tomentosus, crassitie pennae, pedalis. *Folia* radicalia, plura, 8, fastigiatim opposita, confertissima, ovalia, obtusa, carnosa, supra plana, subtus convexa, integra, tenuissime ciliata, subtomentoso-mollia, pollicem lata, digitalia, erecta, caulina trium parium, minora. *Bracteae* in pedunculis fastigiatim oppositae, connato-vaginantes, ovatae, obtusae, adpressae, lineam longae, tomentosae. *Flores* albi, corymbosi, pedicellati. *Pedunculi* dichotomi. *Corymbus* compositus.

44. C. (*argentea.*) foliis connatis, ovatis, integris, argenteis; caule tecto; corymbo supradecomposito. Crassula *argentea. Linn. Syst. Veg.* XIV p. 306. *Suppl.* p. 188.

Crescit culta in Hortis Societatis in urbe Kap et Rondebosch. Floret Augusto.

Radix perennis. *Caulis* fruticosus, ramosus, pedalis et ultra. *Rami* teretes, glabri. *Folia* opposita, suborbiculata, patenti-erecta, carnosa, glabra, sessilia, obtusa cum acumine, margine acuto, pollicaria. *Flores* terminales in corymbo ovato. *Perianthium* 5-dentatum, brevissimum. *Corolla* 5-petala. *Filamenta* 5, subulata, alba, corollâ breviora. *Antherae* nigrae. *Styli* 5, subulati, breves. *Stigmata* simplicia, obtusa, fusca. *Nectaria* 5 rubra, ad basin germinis, minima, intra petala. *Capsulae* 5, triquetrae, ovatae, glabrae, acutae. *Semina* plurima, rotunda, glabra, alba.

45. C. (*lactea.*)

E Prom. b. Spei, culta in H. Hewensi.

Caulis teres, carnosus, crassitie calami scriptorii, articulatus ex casu foliorum; rami ex infima parte spithamaei, glabri, debiles, erectiusculi. *Folia* fastigiata, perfoliata, obovata, acuminata, inferne attenuata, integerrima, subciliata, concava, subcinerea, subtus convexa; supra concava, intra marginem albo-punctata; approximata, pollicaria, superiora minora. *Flores* thyrsoidei. *Bracteae* oppositae pedunculis, foliis similes, longitudine pedunculorum. *Thyrsus* trifidus, pedunculis sub-

quadrifloris, umbellatis. *Cal.* 5-fidus, laciniae lanceolatae, erectae, glabrae, corollâ quadruplo breviores. *Corolla* 5-petala, alba, patula. *Petala* lanceolata, acuta, semiunguicularia. *Filamenta* 5, corollâ breviora, alba. Raro *Stam.* 6, corolla 6-petala.

46. C. (*tecta.*) foliis connatis, ovatis, obtusis, laminuloso cinereis; scapo nudo; floribus sessilibus. Crassula *tecta* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 307. *Suppl.* p. 190.

Crescit in Carro, trans Hartequas Kloof. Floret Decembri.

Caulis subnullus. *Folia* subradicalia, opposita, frequentissima, imbricata, subtus convexa, supra concava, crasso-carnosa, pulvere cinereo (instar squamarum Lepidopterorum) tecta, basi nuda, cartilagineo-ciliata, unguicularia, superiora minora. *Scapus* erectus, filiformis, pollicaris. *Flores* in capitulum collecti, plures, minuti. *Perianthium* 5-phyllum, viride, glabrum, petalis paulo brevius. *Corolla* 5-petala, alba. *Petala* ovata, obtusiuscula, erecta, concaviuscula, minuta. *Filamenta* 5, brevissima. *Antherae* ovatae, didymae, flavae. *Styli* 5, longitudine filamentorum. *Stigmata* simplicia, obtusa, viridia. *Nectaria* observare non potui.

47. C. (*corallina.*) foliis connatis, deltoidibus, obtusis; caule tecto; floribus umbellatis. Crassula *corallina.* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 306. *Suppl.* p. 188.

Crescit in campis siccis Hantum inter Daunis et Roggeveldsberg. Floret Novembri.

Radix fusiformis, fibrosa, perennis. *Caules* radicales plures filiformes, dichotome ramosi, erecti, pollicares. *Rami* alterni, erecti, ramulosi, fastigiati. *Folia* in ramis et ramulis fastigiatim opposita, sessilia, distincta, suborbiculata, carnosa, apice incrassata, integra, basi viridia, apice pulverulento-alba, punctis virentibus impressis, quadrifariam exstantia, frequentia, internodiis longiora, lineam longa. *Flores* ex apicibus ramulorum, plurimi, terminales, erecti, pedunculati. *Pedunculi* filiformes, glabri, uniflori, foliis vix longiores. *Perianthium* 1-phyllum, viride, 5-partitum, inferum, capsulam vestiens: laciniae ovatae, triquetrae, obtusae, albidae, brevissimae. *Corolla* pentapetala. *Petala* ovata, obtusa, alba, erecta, semilineam longa. *Filamenta* 5 brevissima. *Antherae* ovatae, flavae. *Germina* supera, 5, glabra. *Styli* 5 subulati, erecti, staminibus breviores. *Stigmata* simplicia, acuta. Planta Corallinam marinam refert, sed major.

48. C. (*vestita.*) foliis connatis, deltoidibus, obtusis; caule tecto; floribus terminalibus, capitatis. Crassula *vestita* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 306. *Suppl.* p. 188.

Crescit in Onderste Roggeveld locis lapidosis siccissimis. Floret Novembri, Decembri.

Radix fusiformis, fibrosa, repens, perennis? *Caulis* erectiusculus, ramosus, palmaris, basi nudus. *Rami* et ramuli alternatim sparsi, foliis tecti, pollicares. *Folia* alternatim opposita, connato-perfoliata, deltoidea s. ovata, subtus valde

gibba, obtusiuscula, integerrima, superiora frequentissima, pulverulento-alba punctis minutis viridibus; infima emarcida, quadrifariam imbricata. *Flores* in ramis, aggregati, sessiles, flavi. *Perianthium* 1-phyllum, 5-partitum: laciniae ovatae, obtusae, concavae, minutissimae, pulverulentae, punctatae. *Corolla* 5-petala. *Petala* ovata, acuta, apice patentia, flava. *Filamenta* 5, subulata, erecta, longitudine corollae. *Antherae* flavae. *Germina* 5 supera *Styli* 5, subulati, corollâ paulo breviores, purpurei. *Stigmata* simplicia patentia. *Capsulae* 5 ovatae, acuminatae, albae, purpureo striatae, glabrae. *Nectarium* squamae 5 ad basin germinum, ovatae, obtusae, concavae, flavae, corollâ triplo breviores. Plures occurrunt. *Crassulae pyramidales*, foliis quadrifariam imbricatis. *Capitulum* florum caule cum foliis vix grandius.

49. C. (*columnaris.*) foliis connatis, orbiculatis, ciliatis, hemisphaerice imbricatis; caule tecto: floribus capitatis. CRASSULA *columnaris Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 306 *Suppl.* p. 191. Euphorbium aphyllum, rotundum, squamis crassis, imbricatis, florum comâ multiplici. *Burm. Dec. Afr.* p. 19. t. 9. f. 2.

Crescit in Onderste Roggeveld, in Bockland. Floret Octobri, Novembri.

Radix fibrosa. *Folia* glabra, unguicularia. *Caulis* teres, glaber, pollicaris, totus foliis tectus. *Flores* terminales, copiosissimi, albi. *Capitulum* hemisphaericum.

50. C. (*orbicularis.*) foliis connatis, ovato-oblongis, ciliatis, patentibus; caule subnudo, thyrsifloro. CRASSULA *orbicularis. Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 306. *Spec.* Pl. p. 406.

Crescit prope Valsrivier. Floret Octobri.

51. C. (*Septas.*) foliis crenatis, connatis, subrotundis; caule subnudo, umbellifero. SEPTAS *capensis Linn. Spec.* Pl. p. 489. *Amoen.* VI. 13. *Syst. Veg.* XIV. p. 353. Doronici? species pumila auriculae ursi folio glabro. *Pluk. Mant.* 66. *t.* 440. *f.* 9. bona.

Crescit in Leweberg passim, in Duyvelsberg in fossa majori copiosissime, et alibi, in Lewekopp. Floret Junio, Julio.

Radix globosa, globis saepe binis vel ternis, articulatis, carnosa, fibrosa, perennis, intus alba, magnitudine nucis. *Caulis* unicus vel rarius plures, simplex, rarissime divisus in duos vel tres ramos, parum decumbens, erectus, glaber, filiformis, longitudine circiter digiti. *Folia* interdum subradicalia, saepius infra medium caulem, sessilia, opposita, saepius quaterna, quorum duo opposita minora, rarius sena, orbiculata, glabra, crassiuscula, cartilagineo-crenata, supra viridia, subtus plerumque purpurea; duo infima attenuata, subpetiolata. *Flores* terminales, solitarii rarius, pauci, saepe plurimi, umbellati, pedunculati. *Pedunculi* aphylli, glabri, vix unguiculares, inaequales; lateralibus brevioribus, uniflori. *Bracteae* ad basin pe-

dunculorum solitariae, lineares, obtusae, glabrae. *Umbella* interdum composita, saepius simplex; pedicelli pedunculis paulo longiores. *Perianthium* 1-phyllum, 5-9-partitum profunde: laciniae lanceolatae, obtusae, glabrae, corollâ duplo breviores, erectae, virescentes. *Corolla* 5-9-petala; petala ovata, obtusa, concaviuscula, erecta, intus alba, extus albo-purpurascentia. *Filamenta* 5-9, subulata, ad basin germinis calyci inserta, longitudine calycis. *Antherae* ovatae, saturate purpureae, post florescentiam fuscae. *Germina* 5-9, triquetra, incurva, alba. *Styli* breves, subulati, erecti, albi. *Stigmata* simpliciuscula, obtusiuscula, alba vel dilute purpurascentia. *Nectaria* 5-9, globosa, minima, inter bases staminum, sanguinea. *Capsulae* 5-9, ovatae, acutae, glabrae, poly-spermae. *Semina* globosa, plurima, minima. Variat a) floribus solitariis paucis et plurimis; b) umbellâ simplici et compositâ; c) foliis duobus, quaternis et senis.

Obs. Numerus partium valde variat in hac planta; locis enim sterilibus et siccis pentandra est; in pinguiori solo et aquoso hexandra raro, saepissime heptandra, saepeque octandra et enneandra, cum totidem petalis, laciniis calycis, germinibusque. Perianthium inveni 8-partitum, dum corolla fuit 7-petala, stamina et germina 7; etiam in flore 9-andro et 9 petalo germina 8, cum calyce 9-partito. Planta pulcherrima SAXIFRAGIS toto habitu similis est. Caulis saepissime nudus; raro bracteae 2, alternae in medio. CRASSULAE genus numero staminum valde variat, vixque differt a SEDO.

52. C. (*hemisphaerica.*) foliis connatis, subrotundis, ciliatis, hemisphaerice imbricatis; caule nudo, thyrsifloro.

Crescit in montibus Roggeveld, in Carro juxta Olyfantsrivier orientalem, et prope ejusdem rivuli thermas. Floret Decembri.

Radix fibrosa, annua. *Folia* radicalia, plurima, alternatim opposita, mollia, cartilagineo-ciliata, deorsum imbricata, carnosa, tenuia, pollicaria, superioribus sensim minoribus, pallida, rufo-punctata. *Scapus* e centro foliorum, simplex, carnosus, aphyllus, albidus, palmaris. *Flores* spicato-paniculati. *Thyrsus* compositus.

53. C. (*barbata.*) foliis connatis, orbiculatis, barbatis, hemisphaerice imbricatis; caule subnudo; floribus verticillatis. CRASSULA *barbata Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 306., *Suppl.* p. 188.

Crescit in rupibus montium Hantum prope villam Grootrivier in Roggeveld. Floret Octobri, Novembri.

Radix fibrosa, biennis. *Folia* radicalia, plurima, aggregata, suborbiculata, tenuia, glabra, margine fasciculato-pilosa, subpollicaria; caulina duorum parium, consimilia, sed longe minora, remota. *Caulis* subangulatus, erectus, glaber, spithamaeus, crassitie fere calami. *Flores* verticillati.

54. C. (*minima.*) foliis petiolatis, subrotundis, integris; pedunculis unifloris.

Crescit in rimis intimis umbrosis montium Rode Sand et Bockeveld frigidioris dcti. Floret Septembri, Octobri.

Planta minima, tenerrima, tota glabra. *Folia* glabra, diffusa, lineam longa. *Petiolus* filiformis, pollicaris. *Caulis* brevissimus vel subnullus. *Pedunculi* subradicales, capillares, uniflori. *Petala* semper 5. *Filamenta* saepius 5, rarius 4, raro 6. *Capsulae* et styli 5, rarissime 4 cum staminibus totidem ovatae, acutae, conniventes.

55. C. (*cordata.*) foliis petiolatis, cordatis; floribus solitariis.. Crassula *cordata Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 306. *Suppl.* p. 189.

Crescit prope Swartkop's Zoutpan, in sylvula. Floret Novembri, Decembri.

Radix annua. *Caules* herbacei, debiles, sensim tenuiores, inferne foliosi, superne ramosi, carnosi, teretes, incarnati, erectiusculi, palmares. *Rami* in caulis supremo oppositi, capillares, patenti-erecti, glabri. *Folia* caulina fastigiatim opposita, rotunda, integra, reflexo-patentia, crassa, carnosa, viridia, margine punctisque rufis, frequentia, unguicularia; ramea similia sed multoties minora et tenuiora, viridia, circulo punctorum intra marginem. *Petioli* semiunguiculares. *Flores* terminales, solitarii, pedunculati. *Pedunculi* capillares, lineam longi.

56. C. (*spathulata.*) foliis petiolatis, spathulatis, crenatis; corymbo decomposito, trichotomo.

Crescit in sylvula juxta exitum Zeekorivier. Floret Januario.

Radix perennans. *Caulis* herbaceus, tetragonus, laxus, procumbens, glaber, ramosus, spithamaeus vel ultra. *Rami* alterni, simplices, fastigiati, diffusi, cauli similes. *Folia* opposita, cordato-spathulata, subcucullata, obtusa, patentia, glabra, internodiis breviora, subunguicularia. *Petioli* sensim dilatati, subreflexi, foliis breviores. *Flores* corymbosi. *Corymbus* supradecompositus. *Pedunculi* et *Pedicelli* divaricati, glabri. *Bractea* sub singulo pediccllo subulata, brevissima. *Perianthium* 5 phyllum, laciniae acutae, brevissimae, glabrae. *Corolla* 5-petala, incarnata, patens. *Petala* lanceolata, acuta. *Nectaria:* squamae 5 ad basin petalorum, minutissimae, albae. *Filamenta* 5, subulata, erecta, alba, corollâ breviora. *Antherae* minutae. *Germina* 5, superna, glabra. *Styli* subulati, patuli, albi. *Stigmata* acuta. *Capsulae* 5, ovatae, acutae, stylis persistentibus coronatae, glabrae.

57. C. (*dentata.*) foliis petiolatis, cordatis, dentatis.

Crescit in rimis maxime inaccessibilibus montis Ribek-Casteel. Floret Octobri.

Planta tota glabra. *Caulis* vix ullus, vel brevissimus. *Folia* subradicalia, subrotunda, patentia, unguicularia. *Petioli* pollicares, diffusi. *Flores* subumbellati. *Umbellae* radicales, pedunculi foliis breviores.

Classis VI.

HEXANDRIA.

MONOGYNIA.

CXCI. COMMELINA.

Cor. 6-*petala.* *Nectaria* 3, *cruciata, filamentis propriis inserta.*

1. C. (*africana.*) corollis inaequalibus; foliis lanceolatis glabris; caule decumbente. COMMELINA *africana Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 94. *Spec. Plant.* p. 60.

Crescit in collibus arenosis circum Cap et alibi vulgaris. Floret Majo et sequentibus mensibus.

Caulis totus decumbens, laxus, articulatus, striatus, glaber, simplex vel dichotomus. *Folia* vaginantia, lato-lanceolata, convoluta, integra, nervosa, pollicaria, duas lineas lata. *Vaginae* inflatae, albidae, membranaceae, nervosae, glabrae, ciliatae ciliis albis. *Flores* pedunculati. *Involucra* cordato-ovata, acuta, nervosa, glabra.

2. C. (*bengalensis.*) corollis inaequalibus; foliis ovatis, hirsutis; caule repente. COMMELINA *bengalensis Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 94. *Spec. Plant.* p. 60.

Crescit in sylva prope Zeeko-rivier. Floret Novembri, Decembri

Caulis articulatus, multisulcatus, parum villosus, simplex vel dichotomus. *Folia* vaginantia, parum acuta, basi attenuata supra vaginas, integra, nervosa, subtus subtomentosa, pollicaria. *Vaginae* inflatae, nervosae, ciliatae. *Flores* caerulei. *Involucra* cordato-ovata, pilosa.

3. C. (*speciosa.*) caule flexuoso-erecto; foliis amplexicaulibus, lanceolatis; floribus glomeratis, axillaribus. TRADESCANTIA *speciosa, Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 315. *Suppl.* p. 192.

Crescit in lateribus summorum montium Hautniquas et in Lange Kloof. Floret Novembri, Decembri.

Caulis simplex, pedalis. *Folia* alterna, sessilia, basi amplexicaulia, vaginâ inflatâ, margine ciliata, integra, erecto-patentia, internodiis paulo breviora, subtus glabra, supra villosa, digitalia, superioribus sensim brevioribus. *Flores* ag-

gregati, subsessiles, speciosi. *Corolla* et filamentorum barba caerulea. *Filamenta* 6, antheris luteis.

CXCII. FRANKENIA.

Cal. 5-*fidus*, *infundibuliformis*. *Petala* 5. *Stigma* 6-*partitum*. *Caps.* 1-*locularis*, 3-*valvis*.

1. F. (*Nothria.*) caule decumbente, glabro; vaginis foliorum ciliatis. NOTHRIA *repens Bergii Cap.* p. 171.

Crescit in omnibus fere maritimis salsis, *prope Kap et alibi*, *Camdous-rivier etc. vulgaris. Floret Decembri*, *Januario.*

Caulis teres, articulatus, aphyllus, purpurascens, spithamaeus. *Rami* similes, oppositi, interdum alterni, manifeste hinc inde pilosi, adscendentes, foliosi, pollicares usque digitales. *Ramuli* filiformes, similes, breves. *Folia* opposita et verticillata, terna vel plura, basi vaginata, connata, subterctia, carnosa, glabra, integra, supra sulcata, subtus margine revoluta, vix lineam longa, vaginâ ciliis albis. *Flores* in axillis et apicibus ramulorum terminales, aggregati, sessiles. *Perianthium* prismaticum. *Filamenta* 6 ad medium coalita. *Stylus* unicus, stigmatibus 3. Differt a ceteris caule decumbente glabro.

CXCIII. LORANTHUS.

Germen inferum. Cal. 0. *Cor.* 6-*fida*, *revoluta. Stam. ad apices petalorum. Bacca* 1-*sperma.*

1. L. (*glaucus.*) pedunculis axillaribus, unifloris; foliis ovatis, glaucis.

Crescit in Saldanhabay. Floret Septembri.

Frutex erectus, teres, glabriusculus, pedalis et ultra. *Rami* sparsi, breves, pauci. *Folia* subpetiolata alterna, obtusa, integra, rore glauco utrinque tecta, unguicularia. *Petioli* semilineam longi. *Flores* axillares, pedunculati, erecti. *Pedunculi* duo, tres vel plures, lineam longi. *Corolla* cylindrica, 5-partita, pulverulenta, pollicaris. *Filamenta* 5. *Bacca* calyce persistente coronata, ovata, pulverulenta.

CXCIV. STRUMARIA.

Cor. supera, 6-*petala. Nectarium intra stamina plicatum.*

1. S. (*filifolia.*) spathâ diphyllâ, multiflorâ; stylo basi inflato, plicato; foliis lineari-filiformibus. LEUCOJUM *strumosum. Ait. H. Kew.* I. *p.* 407. *tab.* 5.

Crescit prope Cap et Nyland, *locis sabulosis*, *depressis. Floret Aprili*, *Majo*, *Junio.*

Radix bulbosa. *Bulbus* subglobosus fibrosus, albus, magnitudine nucis *Avellanae*. *Folia* radicalia plura, saepius 2-3, basi vaginâ inclusa, integra, glabra, erecta, scapo initio longiora,

dein breviora, supra sulco longitudinali saepe, initio subspiralia. *Scapus* simplex, teres, glaber, erectus, crassitie culmi tenuioris, spithamaeus, digitalisve. *Flores* umbellati, terminales, pedunculati. *Umbella* simplex, 5-10-flora. *Pedunculi* capillares, erecti, glabri, uniflori, inaequales, pollicares vel bipollicares. *Spathae* universalis umbellae foliola basi lata, sensim attenuata, lineari-setacea, glabra, pedunculis breviora: partialis nulla. *Corolla* hexapetala, aequalis, supera: petala ovata, obtusa, patula, alba carinâ incarnatâ, lineam longa, concava. *Filamenta* 6 germini inserta, subulata, petalis breviora, inaequalia, alba. *Antherae* ovatae, dorso affixae, compressae, didymae, erectae, purpureae, dein fuscae. *Pollen* flavescens. *Germen* inferum. *Stylus* filiformis, albus, staminibus duplo brevior. *Stigma* simplex, album, obtusum, triquetrum. *Nectarium* intra stamina monophyllum, plicatum, inflato-globosum, clausum, subsexangulatum, album, cum medio stylo connatum. *Capsula* globosa, glabra, trivalvis, trilocularis, trisulca. *Semina* plura globosa, glabra.

Obs. Differt ab ASPHODELO 1. corollâ superâ, hexapetalâ. 2. nectario non staminifero. Ab AMARYLLIDE 1. nectario non plicato; 2. stigmate simplici. A LEUCOJO, NARCISSO et PANCRATIO nectarii figurâ, stigmate diverso. Rarissime scapis 2 radicalibus gaudet.

CXCV. HAEMANTHUS.

Involucrum 6-*phyllum*, *multiflorum*. *Cor.* 6-*partita*, *supera*. *Bacca trilocularis*.

1. H. (*spiralis.*) caule spirali foliisque filiformibus. ANTHERICUM *spirale Linn. Mant.* 2. 224. CRINUM *tenellum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 319. *Suppl.* p. 194. HAEMANTHUS *spiralis Aiton H. Kew.* 1. p. 405.

Crescit ad pedem montium Leonis et Diaboli, infra Taffelberg in lateris occidentalis collibus. Floret Majo, Junio, Junio.

Radix carnosa, ovata, magnitudine pisi. *Scapus* erectus, spirali-flexuosus, infra medium purpureus, supra viridis vel albidus, pauciflorus, glaber, digitalis vel palmaris. *Folia* radicalia, circiter 4, semiteretia, spiralia, patentia, glabra, scapo quadruplo breviora, sub finem florescentiae emarcidae, pollicaria vel paulo ultra. *Flores* solitarii vel umbellati, pauci, tres s. quatuor, erecti, pedunculati, albi, striis purpureis. *Spatha* bivalvis, lineari-lanceolata, acuta, pedunculis multo-brevior, semiunguicularis, ad basin pedunculorum, marcescens. *Pedunculi* filiformes, uniflori, pollicares vel ultra. *Corolla* monopetala, campanulata. *Tubus* brevis. *Limbus* tubo triplo longior, 6-partitus, erecto-patens: laciniae ovatae, obtusae, aequales, alternis tribus apice setâ nigrâ brevi inermi spinosae vel aristatae. *Stam.* filamenta 6, subulata, tubo inserta, corollâ multoties breviora, tribus alternis brevioribus. *Antherae* ovatae, sulcatae, erectae, flavae. *Germen* inferum. *Stylus* filiformis longitudine filamentorum, albus. *Stigma* acutum, subbifidum. *Capsula* globosa, glabra, trisulca, trivalvis, trilocularis.

Obs. AMARYLLIDI: spatha 1-phylla, bifida. HAEMANTHUS distinguitur: 1. involucro di- usque hexaphyllo; 2. corollâ 6-partitâ, patenti, tubo brevissimo recto. CRINUM: 1. involucro 2-phyllo. 2. corollâ tubulosâ, tubo longo, limbo brevi, 6-fido.

2. H. (*undulatus.*) scapo tereti; limbi laciniis ovatis, undulatis. AMARYLLIS *undulata Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 320. *Ait. Hort. Kew.* I. p. 421.

Crescit in collibus infra montem tabularem versus Orientem, ad Wynberg et alibi. Floret Martio, Aprili, Majo.

Radix bulbosa, ovato-oblonga, fibrosa, glabra, magnitudine pyri majoris. *Folia* radicalia, sub florescentia nulla. *Scapus* teres vel subcompressus, simplex, erectus, glaber, spithamaeus, basi purpureus, superne viridis. *Flores* umbellati, umbellâ multiflorâ, floribus circiter XI, erecti, magnitudine ANEMONES *nemorosae. Spatha* diphylla, umbellâ brevior: foliola basi lata, inde attenuato-subulata, glabra, purpurascentia. *Pedunculi* glabri, erecti, pollicares vel paulo ultra. *Corolla* 1-petala. *Tubus* brevissimus, vix lineam dimidiam longus. *Limbus* 6-partitus, fere ad basin: laciniae lanceolatae, obtusae, patentes, margine undulatae, alternae, obtuse acuminatae, intus albae, extus purpurascentes, crystallino-pellucidae *Filamenta* 6, subulata, corollâ dimidio breviora, erecta, alternis tribus longioribus, tubo corollae inserta. *Antherae* rotundae, nigrae. *Germen* inferum. *Stylus* filiformis, filamentis paulo brevior, purpurascens. *Stigma* acutum, subbifidum. *Capsula* ovata, subtriangularis, purpurascens, glabra, trivalvis, trilocularis. *Semina* plurima, globosa, alba. Corolla horizontaliter patens, vix tubulosa, primo intuitu AMARYLLIDEM refert.

3. H. (*vaginatus.*) foliis linearibus, basi vaginatis; limbi laciniis lanceolatis, erectis.

Crescit in Carro ultra Olyfants-rivier.

Folia radicalia plura, circiter 4-6, lineari-lanceolata, erecta, glabra, basi vaginâ saepe duplici cincta, scapo breviora, spithamaea. *Scapus* solitarius, teres, erectus, glaber, pedalis vel ultra, crassitie calami. *Flores* terminales umbellati, circiter viginti. *Spatha* externa bivalvis, ovato-lanceolata, acuta, concava, glabra, unguicularis. *Pedunculi* filiformes, erecti, glabri, pollicares. *Corollae* laciniae aequales, acutae, albae. *Stamina* longitudine corollae. *Stylus* corollâ longior, stigmate bifido.

4. H. (*falcatus.*) foliis linearibus, falcatis; corollae laciniis erectis, lanceolatis. CRINUM *falcatum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 319. AMARYLLIS *falcata Ait. Hort. Kew.* I. p. 418.

Crescit prope urbem Kap et alibi.

Folia radicalia circiter 4, vaginâ longâ inclusa, lineari-ensiformia, margine cartilagineo-crenata, saepe integra, striata, glabra, pedalia. *Scapus* teres, striatus, glaber, digitum crassus, spithamaeus. *Flores* umbellati. *Spatha* diphylla: foliola ovato-oblonga, basi latissima, glabra, pedunculis longiora.

Intra laciniae albae, lineares, erectae, aequales. *Umbella* multiflora, floribus circiter 15, erectis. *Pedunculi* pollicares.

5. H. (*sarniensis.*) foliis linearibus; corollae laciniis reflexis. AMARYLLIS *sarniensis* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 320. *Ait. Hort. Kew.* I. p. 420.

Crescit in fossa magna, alte in Taffelberg. Floret Aprili.

Folia obtusa, integra, striata, scapo breviora, glabra. *Scapus* teres, erectus, glaber, spithamaeus vel ultra. *Flores* umbellati. *Spatha* diphylla, patens: foliola basi lata, oblonga, apice attenuata, rufescentia, pedunculis longiora. Intra spatham laciniae lacerae, albicantes. *Umbellae* multiflorae, floribus circiter . *Pedunculi* filiformes, patuli, pollicares. *Corolla* sanguinea, profunde 6-partita, laciniis linearibus.

6. H. (*toxicarius.*) foliis ensiformibus, obliquis; limbi laciniis lanceolatis. AMARYLLIS *disticha* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 320. HAEMANTHUS *toxicarius* *Ait. Hort. Kew.* I. p. 405.

Crescit in interioribus regionibus. Floret Octobri et sequentibus mensibus.

Folia radicalia, disticha, subundata, apice obliqua, obtusa, tenuissime striata, glabra, pedalia et ultra, pollicem lata, scapo longiora. *Scapus* digitum crassus, teres, striatus, glaber, spithamaeus. *Flores* umbellati. *Umbella* multiflora, floribus numerosissimis. *Spatha* subdiphylla, duos pollices lata, oblonga, obtusa, floribus paulo longior. Intra laciniae sparsae, lineares, albae. *Pedunculi* erecti, pollicares. *Corollae* incarnatae: limbi laciniae lineari-lanceolatae. *Stamina* exserta.

7. H. (*orientalis.*) foliis ovato-oblongis, glabris; corollae laciniis ringentibus. AMARYLLIS *orientalis* *Linn. Spec.* p. 422. *Syst. Veg.* XIV. p. 320. *Ait. H. Kew.* I. p. 420.

Crescit in dunis infra Constantiam et prope Zeeko-valley ad littus intra Leweberg, in Swartland. Floret Martio, Aprili.

Radix bulbosa: bulbus globosus, glaber, fibrillosus, magnitudine capitis infantis. *Scapus* compressus, laevis, simplex, spithamaeus vel paulo longior, carnosus, umbellifer. *Folia* sub florescentia nulla; radicalia obtusa, striata, spithamaea, palmam lata. *Flores* umbellati, plurimi, 10-60, pedunculati. *Pedunculi* subteretes, sulcato-angulati, glabri, inanes, uniflori; exteriores longiores, palmares usque spithamaei, prius florentes, patentissimi; interiores disci breviores, digitales vel palmares, patenti-erecti, *Spatha* communis umbellae bivalvis, sessili-connata, ovata, sensim angustata, obtusa, concava, digitalis, pedicellis multo-brevior, rubra, glabra. Intra laciniae lineari-filiformes, rubicundae. *Calyx* proprius nullus, sed filamenta inter pedunculos purpurea, longitudine circiter pedunculorum. *Corolla* fere ad basin 6-partita, supera, curva, subringens, pollicaris, purpurea. *Limbi* laciniae lanceolatae, acuminatae, obtusae, concaviusculae, apice patentes, revolu-

tae; suprema intra duas proximas laterales et infima extra laterales sibi proximas, ut in Gladiolis. *Filamenta* 6 receptaculo inserta, secundum curvaturam corollae flexa, inaequalia, tribus plerumque longioribus; corollâ longiora, albo-purpurea. *Antherae* oblongae, dorso affixae, sulcatae, atro-purpureae. *Pollen* flavum. *Germen* inferum, planum, triangulare, glabrum. *Stylus* filiformis, staminibus et corollâ brevior, plerumque duplo, incurvus, triqueter, sulcatus, glaber, albo-purpureus. *Stigma* simplex, triangulare, obtusum. *Capsula* obovata, triquetra, trisulca, glabra, pollicaris, trivalvis, trilocularis apice, basi unilocularis. *Semina* plurima, globosa, glabra, dissepimentis affixa, semine Sinapios paulo majora. Speciosissima sane inter flores coronarios capenses, et fulgore et numero et positione florum; planta in dunis nudis et arena torrida inter colliculos quasi abscondita. Absolutâ maturitate et disseminatione scapus emarcidus decidit, et folia proveniunt.

8. H. (*ciliaris.*) foliis oblongis, ciliatis; corollae laciniis reflexis. Amaryllis *ciliaris Linn. Spec.* p. 422. *Syst. Veg.* XIV. p. 320. Haemanthus *ciliaris Ait. H. Kew.* I. p. 404.

Crescit prope urbem Kap in collibus, et in campis arenosis extra promontorium. Floret Martio.

Radix carnosa, oblonga, profunde insidens, alba, centro fibrosa: fibrae filiformes, crassitie fere calami, digitales, carnosi, albi. *Folia* radicalia, bina plerumque vel terna, terrae subadpressa, patentia, initio sublanceolato-linearia, dein ovato-oblonga, obtusa, integra, glabra: pagina superior saturate viridis, inferior pallidior, venosa, purpureo-maculata; cilia disticha, patentia, recurva, recta, fusca, semi-unguicularia, tenuia, nec pungentia, rigidiuscula. *Folia* proveniunt mense Junio, digitalia vel ultra, margo ciliatus est ab apice usque ad radicem; basis vero foliorum palmaris intra vaginas recondita alba, et cilia adpressa, purpurea. *Scapus* digitum crassus, spithamaeus vel ultra. *Umbella* multiflora, floribus 30 vel pluribus. *Pedunculi* trigoni, patuli, glabri, aequales, palmares. *Spatha* diphylla: laciniae flores interspersae, setaceae. *Corolla* fusca, profunde 6-partita; laciniae lanceolatae, patentes vel reflexae. *Filamenta* corollâ paulo breviora.

9. H. (*pubescens.*) foliis linguiformibus, pilosis. Haemanthus *pubescens Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 316. *Suppl.* p. 193.

Crescit in arenosis Groene Kloof. Floret Septembri.

Folia radicalia, linguiformia s. ensiformia, integra, venosa, erecta, spithamaea, pollicem lata. *Scapus* glaber, palmaris. *Spatha* 4-phylla, sanguinea: foliola ovato-oblonga, floribus longiora, pollicaria. *Umbella* multiflora, floribus circiter 8. *Pedunculi* brevissimi, vix lineam longi. *Corolla* incarnata, profunde 6-partita: laciniae lineari-lanceolatae, erectae. *Stamina* exserta, filamentis purpureis, antheris flavis.

10. H. (*puniceus.*) foliis petiolatis, oblongis, erectis, un-

dulatis, glabris. HAEMANTHUS *puniceus Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 316. *Spec. Pl.* p. 413.

Crescit prope urbem Kap, in Krum-rivier et alibi. Floret Martio.

Folia radicalia duo, ovato-oblonga, acuta, tenuissime reticulata, palmam lata, attenuata in petiolum maculatum, spithamaea. *Scapus* teres, purpureo maculatus, spithamaeus. *Umbella* multiflora, floribus 8 usque viginti. *Spatha* 4-phylla, purpurea: foliola ovato-oblonga, sanguinea, longitudine umbellae. Cilia albida, interspersa. *Pedunculi* breves, lineam longi. *Corolla* incarnato-sanguinea ad basin, fere 6-partita: laciniae lanceolatae, erectae. *Filamenta* purpurascentia, corollâ paulo longiora, antheris luteis.

11. H. (*coccineus.*) foliis sessilibus, linguiformibus, decumbentibus, glabris. HAEMANTHUS *coccineus Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 316. *Spec. Pl.* p. 412.

Crescit prope urbem Kap et alibi, in collibus solo argilloso. Floret Martio.

Folia radicalia, raro unicum, saepissime duo, terrae adpressa, linguiformia et ovata, integra, glabra, longitudinaliter venosa, palmam lata, spithamaea. *Scapus* teres, erectus, incarnatus, palmaris vel spithamaeus. *Umbella* multiflora, floribus 12 et ultra. *Spatha* 4-phylla, sanguinea: foliola ovata, umbellâ longiora, sesquipollicaria. *Pedunculi* breves, vix unguiculares, inaequales. *Corolla* sanguinea, ad basin fere 6-partita, laciniae lanceolatae, erectae. *Filamenta* capillaria, incarnata, corollâ longiora, antheris flavis.

CXCVI. CRINUM.

Cor. infundibuliformis, monopetala, 6-partita.

1. C. (*angustifolium*) foliis linearibus, obtusis; corollis cylindricis; laminis alternis intus glandulosis. CRINUM *angustifolium Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 319. *Suppl.* p. 195. CYRTANTHUS *angustifolius Ait. H. Kew.* I. p. 414.

Floret Octobri, et sequentibus mensibus.

Radix bulbosa. *Scapus* simplex, erectus, glaber, sesquipedalis. *Folia* radicalia, longitudine scapi, integra, glabra, striata; lineam unam vel duas lata. *Flores* plurimi, umbellati, pedunculati, reflexo-nutantes. *Pedunculi* inaequales, radii longiores, interiores breviores, filiformes, striati, glabri, uniflori. *Spatha s.* bractea bivalvis, sessili-connata, concava, lanceolata, acuta, venosa, membranacea, grisea, longitudine pedunculorum. *Filamenta* inter flores, pedunculo breviores. *Corolla* 1-petala, tubulosa, rubra. *Tubus* cylindricus, sensim ampliatus, incurvatus, glaber. *Limbus* 6-partitus, laciniae ovatae, obtusae, aequales, erectae, alternis intus apice glandulosis. *Filamenta* 6, tubo superne inserta, subulata, lineam cum dimidia longa, inaequalia. *Antherae* ut in CR. *obliquo*. *Germen* et *Stylus* ut in CR. *obliquo*. *Stigmata* tria, reflexa, capitata. *Capsula* ut in CR. *ob.*

liquo, cui similis et affinis, et a quo differt: foliis angustis, nec obliquis; floribus angustioribus, numerosis; laciniis alternis intus glandulosis. Noscitur CRINUM: corollâ tubulosâ, tubo longo, limbo breviori; staminibus tubo insertis, inclusis; spathâ diphyllâ.

2. C. (*lineare.*) foliis linearibus; corollis campanulatis; laciniis duabus angustioribus. CRINUM *lineare Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 319. *Suppl.* p. 195. AMARYLLIS *revoluta Ait. H. Kew.* I. p. 419.

Crescit in campis graminosis inter van Stades et Swarthopp's-rivier. Floret Decembri.

Folia radicalia, lata, scapo longiora, integra, glabra, bipedalia. *Scapus* teres, glaber, erectus, pedalis. *Umbella* multiflora, floribus circiter 5 vel 6. *Spatha* diphylla, albida: foliola basi lata, sensim attenuata, acuta, glabra, pollicaris. *Laciniae* lacerae, filiformes, albidae, intra spatham. *Pedunculi* unguiculares. *Corolla* tubulosa, nutans: tubus cylindricus, curvus, dein ampliato-campanulatus: limbi laciniae oblongae. *Stamina* inclusa.

3. C. (*obliquum.*) foliis lanceolatis, obliquis; limbi laciniis alternis, extus glandulosis. CRINUM *obliquum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 319. *Suppl.* p. 195. CYRTANTHUS *obliquus Ait. H. Kew.* I. p. 414.

Crescit ad Rabeljou flavium in collibus infra montes, solo arenoso, lapidoso. Floret Decembri.

Radix bulbosa: bulbus globosus, magnitudine pugni, laevis, fibrillosus. *Scapus* teres, striatus, glaber, erectus, spithamaeus. *Folia* radicalia, pauca, obtusa, pollicem lata, scapo paulo breviora, integerrima, apice undulata, spirali-obliqua erecta, glabra. *Flores* umbellati, quinque vel plures, pedunculati, recurvato-cernui. *Pedunculi* striati, aequales, pollicares. *Spatha* bivalvis, lanceolata, acuta, marcescens, reflexa, glabra, pedunculis paulo longior. *Filamenta* interspersa, lacera, marcida, longitudine pedunculorum. *Corolla* 1-petala, campanulata. *Tubus* cylindricus, sensim ampliatus, incurvatus, glaber, crassitie calami anserini, longitudine unius cum dimidio pollicis. *Limbus* 6-partitus: laciniae subaequales vel alternae, paulo latiores, ovatae, obtusissimae, nervosae, patentes, tubo paulo breviores, laciniis alternis subtus apice glandulâ obtusâ callosis. Color corollae totius incarnatus. *Filamenta* 6, tubo corollae inserta, filiformia, limbo paulo breviora, inaequalia, s. inferiora sensim longiora. *Antherae* oblongae, compressae, sulco exaratae. *Pollen* flavum. *Germen* inferum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* simplex, obtusum. *Capsula* ovata, triangularis, glabra, trivalvis, trilocularis. *Semina*, plurima.

4. C. (*speciosum.*) foliis ensiformibus; corollis campanulatis: laciniis alternis calloso-unguiculatis. CRINUM *speciosum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 319. *Suppl.* p. 195. AMARYLLIS *purpurea Ait. H. Kew.* I. p. 47.

Crescit in Hartequas kloof locis aquosis prope rivulos. Floret Decembri, Januario.

Radix bulbosa. *Bulbus* ovatus, sensim superne attenuatus, crassitie pyri. *Folia* radicalia, obtusa, integra, glabra, scapo longiora, pedalia vel ultra. *Scapus* teres, glaber, erectus, spithamaeus vel ultra. Umbella circiter 4-flora. *Spatha* diphylla: foliola basi lata, lanceolata, acuminata, floribus breviora, sesquipollicaria. Laciniae lineari-ensiformes, interspersae, paulo breviores. *Pedunculi* vix pollicares. *Corolla* sanguinea, speciosa, tubulosa: tubus basi cylindricus, sensim ampliatus in limbum campanulatum, pollicaris, parum curvatus. *Limbi* laciniae ovatae, acutae, pollicares. *Filamenta* filiformia, corollà breviora, inaequalia. *Antherae* incumbentes, flavae. *Stylus* apice curvus, *stigmate* trifido.

5. C. (*longifolium.*) foliis lineari-ensiformibus, canaliculatis; corollis campanulatis: laciniis ensiformibus. AMARYLLIS *longifolia Linn. Syst. Veg.* XIV p. 320.

Crescit pone Leuwekopp inter montis pedem et littus. Floret Martio.

Folia obtusiuscula, integra, supra canaliculata, subtus carinata, striata, glabra, pedalia. *Scapus* teres, erectus, glaber, pedalis et ultra. *Umbella* multiflora, floribus circiter 6. *Spatha* diphylla, albidà, membranacea, floribus brevior, sesquipollicaris. Foliola basi lata, inde attenuata, apice setaceo-glabra. Laciniae setaceae interspersae. *Pedunculi* unguiculares. *Corolla* incarnata, sesquipollicaris, tubulosa. *Tubus* cylindricus, sensim ampliatus in limbum campanulatum. *Laciniae* limbi oblongae, acuminatae, erectae. Genitalia inclusa.

CXCVII. GETHYLLIS.

Cor. 6-partita: tubo filiformi. Germen inferum. Bacca oblonga polysperma.

1. G. (*spiralis.*) foliis linearibus, spiralibus, glabris; limbi laciniis ovato-oblongis. GETHYLLIS *afra Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 339. *Gen. Plant.* p. 201. *Spec. Plant.* p. 633. PAPIRIA *spiralis Act. Lund.* I. p. 111. GETHYLLIS *spiralis Nov. Plant. Gen.* I. p. 14.

Crescit in collibus sub montibus et campis arenosis in Langekloof et alibi. Floret Decembri, Januario. Colonis Kukamakranka.

Radix bulbosa, alba, magnitudine nucis. *Folia* radicalia plurima, obtusa, supra canaliculata, subtus convexa, integra, rarius ciliata, digitalia. *Scapus* nullus; sed flos radicalis, solitarius, albus. *Fructus* suaveolens maturatur Majo et Junio. Dum floret, folia nulla: dumque fructus proveniunt, aphylla est.

2. G. (*ciliaris.*) foliis linearibus, spiralibus, ciliatis; limbi laciniis ovato-oblongis. PAPIRIA *ciliaris Act. Lund.* I. p. 111. GETHYLLIS *ciliaris Nov. Gen. Plant.* I. p. 14. *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 339.

Crescit locis arenosis prope urbem Kap. Floret cum priore. Colonis Sand-kukumakranka.

Radix carnosa, cylindrico-oblonga, alba, magnitudine pyri. *Folia* vaginâ basi inclusa, plurima, usque 40, obtusa, supra sulcata, subtus convexa, glabra, ciliis albis, digitalia vel longiora, lineam lata. *Filamenta* apice divisa, antheris pluribus, usque 18. Differt a priori: radice oblongâ, foliis hirsutis et flore majoribus.

3. G. (*villosa.*) foliis lineari-filiformibus, spiralibus, villosis; limbi laciniis ovato-oblongis. PAPIRIA *villosa Act. Lund. P.* I. p. 111. GETHYLLIS *villosa Nov. Plant. Gener.* P. I. p. 14. *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 339.

Crescit in Attaquas-kloof prope Gansekraal.

Bulbus ovatus, albus, piso paulo major. *Folia* linearia, albovillosa, bipollicaria. *Tubus* corollae pilosus.

4. G. (*lanceolata.*) foliis lanceolatis, planis: limbi laciniis lanceolatis. PAPIRIA *lanceolata. Act. Lund.* I. p. 112. GETHYLLIS *lanceolata Nov. Gen. Plant.* I. p. 14. *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 339.

Crescit in collibus prope Buffeljagtsrivier et alibi rarius.

Bulbus ovatus, magnitudine fabae. *Folia* glabra, integra, longitudine floris.

CXCVIII. HYPOXIS.

Cor. 6-partita, persistens, supera. Caps. basi angustior. Cal. gluma 2-valvis.

1. H. (*minuta.*) foliis trigonis, carnosis, glabris; scapis bifidis. HYPOXIS *minuta Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 326. *Suppl.* p. 197. HELONIAS *minuta Linn. Mant.* 2. p. 225.

Crescit in collibus arenosis infra Taffelberg et prope urbem. Floret Majo, Junio.

Radix bulbosa. *Bulbus* conicus, reticulatus, subtus truncatus, planus, orbicularis, laevis: margo acuta, dilatata, fibrosa. *Scapus* raro unicus, plerumque duo vel tres, bifidi vel trifidi, erecti, basi vaginâ latâ simul cum foliis inclusi, glabri, pollicares vel unguiculares. *Folia* radicalia, lineari-triquetra, plerumque duo ad scapum singulum pertinentia vôque longiora, integra, erecto-patentia. *Bracteae* sub dichotomia scapi duae, lanceolato-subulatae, glabrae, erectae, pedunculis paulo breviores. *Flores* terminales, solitarii. *Pedunculi* ex scapo bifido continuati, nudi, erecti, glabri, unguiculares. *Petala* ovata, supra alba, subtus virescentia striis rubris, lineam longa. *Stamina* aequalia. *Antherae* cordatae, albae, apice flavo. *Germen* convexiusculum. *Stylus* brevissimus, teres, virescens. *Stigmata* cordata, carnosa, erecta, virescentia. *Capsula* corollae subjecta, obovata, glabra. HELONIAE genus intrare nequit 1. ob stylum; 2. ob capsulam inflexam.

2. H. (*alba.*) foliis teretibus, glabris; scapis bifidis; pe-

talis immaculatis. Hypoxis *alba Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 326. *Suppl.* p. 198. Hypoxis *aquatica Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 326. *Suppl.* p. 197.

Crescit in collibus arenosis infra montes urbis Hap extra urbem alibique Floret Majo, Junio.

Radix globosa, carnosa, fibrosa, magnitudine pisi. *Scapus* unicus, raro duo, simplex rarius, saepe divisus, subuniflorus, glaber, rubens, digitalis usque spithamaeus. *Folia* radicalia, vaginantia, subcarnosa, scapo breviora; in adultioribus excrescentia, planiuscula, integra, erecta, scapo longiora, digitalia usque spithamaea. *Flos* solitarius, terminalis, magnitudine variâ. *Corolla* 6-petala, supera. *Petala* ovato-lanceolata, patentia. *Filamenta* 6, petalis breviora, alternis brevioribus, subulata, flava. *Antherae* longae, lineares, sulcatae, flavae; infra bifidae; apice integro, obtuso. *Germen* inferum. *Stylus* brevis, flavescens. *Stigmata* tria, longitudine antherarum, linearia, marginata, flavescentia. *Capsula* oblonga, inferne sensim attenuata, subtrigona, trilocularis, trivalvis. *Semina* plurima globosa. Variat: *α.*) scapo simplici, unifloro; petalis omnibus supra fulvis; tribus exterioribus subtus rufescentibus; foliis teretibus brevioribus. *β.*) scapo simplici, bifido vel trifido; petalis omnibus supra albis; exterioribus tribus subtus rubentibus, interioribus subtus albis, rubro-striatis. *γ.*) scapo bifido vel trifido, floribus ut in *β*, foliis longioribus planiusculis.

3. H. (*stellata.*) foliis planis, integris, glabris; scapis simplicibus, unifloris; petalis basi fusco-maculatis. Amaryllis *capensis. Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 319. *Mant.* p. 363.

Crescit in campis arenosis Swartland, Groene Kloof et alibi. Floret Augusto et sequ. Africanis: Steren.

Radix bulbosa. *Bulbus* globosus, reticulatus, magnitudine pisi. *Scapus* unicus vel plures, uniarticulati, erecti, striati, glabri, palmares, spithamaei, vel ultra. *Folia* radicalia, vaginantia, convoluto-ensiformia, sensim attenuata, erecta, scapo longiora. *Bractea* nodum scapo infra medium amplexans, simplex, longe vaginans, convoluta, acuta, glabra. *Flos* terminalis, solitarius, magnus. *Petala* lanceolata, acuta, pollicaria, basi atro-violaceo maculata. *Antherae* lineares. *Stigmata* oblonga, antheris breviora. *Capsula* oblonga, corollae subjecta, inferne attenuata, striata, unguicularis. Variat 1. petalis supra albis, subtus virescentibus, carinâ rubrâ. 2. petalis aurantiacis. 3. petalis supra flavis, subtus rubro bistriatis.

4. H. (*serrata*) foliis canaliculatis, glabris, ciliato-serratis; scapis unifloris.

Crescit in Leaweberg in collibus prope urbem. Floret Junio, Julio.

Radix bulbosa, carnosa, globosa, magnitudine pisi. *Scapus* unicus, duo vel tres, indivisi, rubicundi, glabri, erecti, digitales. *Stipulae* binae oppositae, setaceae, albae, infra medium scapi. *Folia* radicalia, ensiformia, canaliculato-convolata,

scapi circiter longitudine vel paulo longiora, marginibus serrato-ciliata, erecta. *Flos* unicus, magnitudine Ornithogali *lutei*. *Calyx* nullus, nisi stipulae. *Corolla* sexpetala, supera, aequalis, patens. *Petala* ovato-lanceolata: interiora tria tota flava vel fulva, exteriora intus flava, extus virescentia. *Filamenta* 6, aequalia, petalis multoties breviora, subulata, pallida. *Antherae* longae, lineares, sulcatae, flavae. *Germen* inferum. *Stylus* brevissimus. *Stigmata* 3, ovata, marginata, flavescentia. *Capsula* ovata, obtusa, triquetra, trisulca, trivalvis, trilocularis. *Semina* plurima, rotunda. Variat petalis supra flavis et fulvis.

5. H. (*plicata.*) foliis plicatis, ciliatis; scapis simplicibus.

Crescit in collibus arenosis infra montes urbis. Floret Majo, Junio.

Radix globosa, carnosa, reticulo obducta, fibrosa, magnitudine pisi. *Scapus* unicus vel plures, uniflorus, capsulam inferne continens, triqueter, albus, palmaris, glaber. *Folia* radicalia vaginis latis simul cum floribus inclusa, ensiformia, acuta, scapi circiter longitudine, plicata instar flabelli, margine carinâque ciliata, ciliis reflexis scabra. *Flores* solitarii, magnitudine florum Ranunculi. *Cor.* 6-petala, supera. *Petala* lanceolata, acuta, patentia, tria interiora supra lutea, tria exteriora supra lutea, subtus viridia. *Filamenta* 6, corollae basi inserta, subulata, petalis breviora, tria priora longiora, inde duo lateralia breviora, tandem ultimum longitudine priorum. *Antherae* longae, lineares, obtusae, striatae, infra bifidae, flavae. *Germen* inferum. *Stylus* simplex, staminibus paulo brevior, flavus. *Stigmata* tria, linearia, erecta, marginata, flava, longitudine dimidiâ antherarum. *Capsula* a flore remotissima, prope radicem, vix conspicua, nisi luci opposita, triquetra, trilocularis, trivalvis, oblonga, glabra. *Semina* plurima, globosa, alba. Singularis haec species capsulâ remotissimâ. An diversa satis ab H. *fascicularî?*

6. H. (*villosa.*) foliis lineari-ensiformibus, villosis; scapis divisis vel bifidis. Hypoxis *decumbens? Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 326.

Crescit in collibus infra montes trans et cis Swellendam, et alibi. Floret Decembri.

Radix bulbosa. *Bulbus* globosus, carnosus, magnitudine Avellanae. *Scapus* filiformis, laxus, erectus, villosus, palmaris usque pedalis. *Folia* radicalia, vaginantia, acuta, apice acuminata, convoluto-plana, integra, striata, albo-villosa, scapo longiora. *Pedunculi* ex diviso scapo continuati, villosi, pollicares vel ultra, simplices vel trifidi. *Flores* in pedunculis vel pedicellis terminales, solitarii. *Bracteae* sub divisura scapi, filiformes, villosae, pedicellis breviores. *Petala* ovata, semiunguicularia, supra flava: tria interiora subtus carinâ, exteriora tota albo-tomentosa. *Antherae* lineares, flavae. *Stigma* trigonum, acutum. *Capsula* corollae subjecta, ovata, inferne attenuata, villosa. Variat 1. scapo bifido, pedunculis unifloris, foliis convolutis, sericeo-tomentosis. 2. scapo trifido; pedunculis unifloris; foliis subnudis, margine

villosis. 3. scapis longissimis, bifidis, pedunculis iterum divisis, foliis albido-hirsutis. Differre videtur ab H. *decumbente*: stipulis brevioribus, foliis magis linearibus, scapis subbifidis.

7. H. (*ovata.*) foliis ovato-lanceolatis, integris, glabris: scapis unifloris. Hypoxis *ovata Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 326. *Suppl.* p. 177.

Folia radicalia, sessilia, ovata, acuta, patentia, pollicaria. *Scapi* filiformes, duo vel tres, simplices, geniculato-erecti, digitales. *Flores* solitarii, lactei. *Bractea* minuta, setacea prope genu.

CXCIX. TULBAGIA.

Cor. infundibuliformis: limbo 6-fido. Nectarium coronans faucem, 3-phyllum: foliolis bifidis, magnitudine limbi. Caps. supera.

1. T. (*alliacea.*) nectario monophyllo; foliis ensiformibus; floribus cernuis. Tulbagia *alliacea Linn.* Syst. *Veg.* XIV p. 316. *Suppl.* p. 193.

Africanis: wilde Knofflock. Crescit in campis depressis arenosis Kap inter et seriem longam montium, alibique. Floret Julio et sequentibus mensibus.

Radix bulbosa. *Bulbus* tunicatus, fibrosus, magnitudine pyri mediocris. *Scapus* simplex, teres, substriatus, erectus, glaber, griseo purpureus, pedalis et ultra, crassitie pennae. *Folia* radicalia plurima, basi vaginâ inclusa, linear-ensiformia, obtusa, integra, subcarnosa, glabra, scapo breviora. *Flores* terminales, umbellati, pedunculati. Umbella sensim florens, simplex, multiflora. *Pedunculi* 5-12, inaequales, breviores uncialesque; longiores florentes pollicares et ultra; capillares laxi, cernui, griseo-purpurei, uniflori, glabri. *Spatha* universalis umbellae bivalvis, singulâ valvulâ lanceolatâ, acutâ, membranaceâ, glabrâ, pedunculis breviore: partialis nulla. *Corolla* 1-petala, tubulosa, infera. *Tubus* cylindricus, basi a capsula gibbus, obsolete angulatus, glaber, uncialis. *Limbus* 6-partitus: laciniae lineares, obtusae, erecto-patentes, longitudine tubi. *Nectarium* obsolete 6 dentatum, obtusum, crassum, ori tubi impositum, glabrum, longitudine fere limbi. Color corollae et Nectarii fusco-purpureus. *Filamenta* nulla. *Antherae* 6, sessiles, ovatae, didymae: tribus superioribus nectario sub apice insertis, tribus inferioribus nectario infra superiores insertis. *Pollen* flavum. *Germen* superum, glabrum *Stylus* brevis, cylindricus, crassiusculus, semiuncialis. *Stigma* simplex, obtusum. *Capsula* ovata, obtusa, triangularis, angulis obtusis, trisulca, glabra, trilocularis, trivalvis. *Semina* plura, subtriangularia, compressa, rugosa, atra. Odor fortis, alliaceus, diutissime permanens, subnauseosus. Usus: Radix lacte cocta Phthisicis propinatur.

2. T. (*cepacea*); nectario triphyllo; foliis linearibus; flo-

ribus erectis. TULBAGIA *cepacea*. *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 316. *Suppl.* p. 194.

Crescit in Canna-Land locis aridissimis, inque Hantum. Floret Augusto, Septembri, Octobri ad Decembrem usque.

Radix fasciculata. *Folia* radicalia pauca, 2 vel 4, basi vaginâ inclusa, obtusa, carinâ crassiuscula, integra, glabra, erecta, scapo duplo breviora. *Scapus* simplex, teres, striatus, glaber, erectus, spithamaeus vel pedalis, crassitie culmi tenuioris. *Flores* terminales, umbellati, pedunculati. *Umbella* simplex, multiflora. *Pedunculi* 4-12, inaequales, unguiculares, capillares, purpurascentes, laxi, erecti, uniflori, glabri. *Spatha* universalis umbellae bivalvis; valvulis membranaceis, lanceolatis, acutis, longitudine pedunculorum, glabris, purpurascentibus, partialis nulla. *Corolla* 1-petala, tubulosa, infera, purpurascens, raro albida. *Tubus* cylindricus, basi gibbus, obsolete angulatus, glaber, uncialis. *Limbus* 6-partitus: laciniae lanceolatae, obtusae, erecto-patentes, longitudine tubi. *Nectarium* ori tubi insertum: foliola linearia, antheriformia, glabra, flava, longitudine tubi. *Nectarium* ori tubi insertum: foliola linearia, antheriformia, glabra, flava, longitudine limbi. *Filamenta* nulla. *Antherae* 6, ovatae, sessiles, didymae: tribus superioribus tribusque inferioribus infra os tubi insertis. *Pollen* luteum. *Germen* superum. *Stylus* filiformis, brevissimus, flavus. *Stigma* simplex, obtusum, flavum. *Capsula* ovata, obtusissima, triangularis, trisulca, glabra, trivalvis, trilocularis. Odor totius plantae alliaceus, fortis. Differt a T. *alliacea*: 1. nectario triphyllo; 2. staturâ minore.

CC. MASSONIA.

Cor. 6-petala, nectario inserta. Nectarium inferum. Caps. 3-locularis.

1. M. (*scabra.*) foliis rotundato-ovatis, scabris.

Crescit in interioribus provinciis Africae australis. Masson.

Folia radicalia duo, parum acuta, palmam longa lataque. *Scapus* brevissimus, vix pollicaris. *Umbella* multiflora. *Spathae* ovatae, acutae, glabrae. *Filamenta* pollicaria. *Stylus* staminibus paulo longior.

2. M. (*latifolia.*) foliis rotundato-ovatis, glabris. MASSONIA *latifolia Nov. plant. Gen. 2. p. 40. Hort. Kew.* I. p. 405. *t. 3. Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 318.

Crescit in Roggeveld. Floret Septembri, Octobri.

Bulbus rotundus, fibrosus, magnitudine Raphani. *Scapus* subnullus, *Folia* radicalia, bina, suborbiculata, integra, crassa, plana, depressa; supra viridia maculis margineque purpureis; subtus pallida, immaculata. *Flores* radicales inter folia, pedunculati, glomerati, bracteis cincti. *Pedunculi* sensim incrassati, albidi, glabri, uniflori, semiunguiculares. *Bractea* unica ad basin singuli pedunculi ovata, acuta, concava, membranacea, persistens, erecta, longitudine floris.

3. M. (*lanceolata.*) foliis lanceolatis, integris, glabris. MASSONIA *lanceolata Nov. Gen. plant.* 2. p. 40. *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 318. MASSONIA *angustifolia Hort. Kew.* p. 405. tab. 4.

Crescit in summo monte Onderste Roggeveld. Floret cum priore.

Folia radicalia, pauca, subensiformia, tripollicaria. *Scapus* filiformis, erectus, glaber, inferne albus, superne purpurascens, 6-pollicaris. *Flores* pedunculati, subfastigiati. *Pedunculi* sparsi, filiformes, uniflori.

4. M. (*undulata.*) foliis lanceolatis, undulatis, glabris. MASSONIA *undulata Nov. gen. plant.* 2. p. 41. *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 318.

Crescit in interioribus regionibus.

Bulbus magnitudine nucis Avellanae, fibrosus. *Folia* radicalia, tria, quatuor vel quinque, inferne valde angustata, ensiformi-lanceolata, erecta, digitalia. *Scapus* erectus, sensim incrassatus, glaber, pollicaris. *Flores* terminales, umbellati, pedunculati. *Pedunculi* brevissimi, uniflori.

5. M. (*echinata.*) foliis ovatis, muricatis, pilosis. MASSONIA *echinata Nov. gen. plant.* 2. p. 41. *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 318.

Crescit juxta margines montis Bocklandsberg.

Bulbus magnitudine vix nucis Avellanae. *Folia* radicalia, duo, obtusa cum acumine, integra, plana, depressa, tota supra tuberculis muricata, pilis sparsis albis, pollicaria. *Scapus* nullus vel brevissimus. *Flores* glomerati inter folia.

CCI. MAUHLIA.

Cor. infera, 6-partita: limbo aequali. Capsula 3-locularis.

1. M. (*linearis.*) foliis linearibus, scapo brevioribus. CRINUM *africanum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 319. MAUHLIA *africana Dahl Obs. bot.* p. 26. AGAPANTHUS *umbellatus Ait. Hort. Kew.* I. p. 414.

Folia radicalia, plurima, acuta, integra, glabra, erecta, scapo dimidio breviora. *Scapus* teres, erectus, glaber, pedalis et ultra. *Flores* umbellati, plurimi, caerulei. *Pedunculi* geniculati, pollicares.

2. M. (*ensifolia.*) foliis lanceolato-ensiformibus, scapo longioribus.

Crescit inter Soendags et Visch-rivier. Floret Decembri, Januario.

Folia radicalia, bina, attenuato-acuminata, integra, striata, glabra, erecta, pollicem fere lata, palmaria. *Scapus* filiformis, pollicaris. *Flores* umbellati. *Pedunculi* capillares, unguicula-

res. *Corolla* incarnata, infera, tubulosa, apice campanulata, pollicaris.

CCII. VELTHEIMIA.

Cor. tubulosa, 6-dentata. Stam. tubo inserta. Caps. membranacea trialata, loculis monospermis.

1. V. (*capensis.*) acaulis; foliis oblongis, undulatis; racemo oblongo; floribus nutantibus. ALETRIS *capensis Thunb. Prodr. cap.* p. 60. *Linn. Syst Veg.* XIV. p. 336. *Spec. Pl.* p. 456. *Ait. H. Kew.* I. p. 463.

Folia radicalia, obovato-oblonga, inferne attenuata, glabra. *Scapus* teres, erectus, pedalis, apice interdum nutans. *Racemus* florum spithamaeus. *Pedunculi* capillares, semilineam longi. *Flores* nutantes, s. reflexi. *Corollae* cylindricae, obtusae, flavae, pollicares. *Bracteae* lanceolato-subulatae, sanguineae.

2. V. (*Uvaria.*) acaulis; foliis ensiformibus, canaliculatis; spicâ oblongâ; floribus nutantibus. ALETRIS *Uvaria Thunb. Prodr. cap.* p. 60. *Linn. Syst. Veg.* XIV p 337. *Ait. H. Kew.* I. p. 464. ALOE *Uvaria Linn. Spec. Plant.* p. 460.

Crescit prope rivulos locis aquosis in Langekloof, in summo Taffelberg, in Rode Sand. Floret Septembri et sequentibus mensibus.

Folia radicalia, superne valde attenuata, supra canaliculata, subtus carinata, striata, integra, glabra, scapo breviora. *Scapus* teres, erectus, pedalis, bipedalis vel ultra. *Florum* spica floribus reflexis. *Bracteae* lanceolatae, membranaceae, albidae. *Corollae* cylindricae, aurantiacae, obtusae, pollicares.

CCIII. ALOE.

Cor. erecta, ore patulo, fundo nectarifero. Filamenta receptaculo inserta.

1. A. (*dichotoma.*) ramis dichotomis; foliis ensiformibus, serratis. ALOE *dichotoma Linn. Suppl.* p. 206. *Syst. Veg.* XIV. p. 337.

Incolis: Hookerboom. Crescit in fronte montis Bockland. Floret Augusto, Septembri.

Truncus teres, erectus, strictissimus, cinereus, glaber, laevissimus, superne dichotome ramosus, biorgyalis, crassitie femoris, inanis. *Rami* erecti, pedales et ultra, apice foliosi. *Folia* perfoliata, denticulata, subtus convexa, supra plana, patenti-erecta, glabra, carnosa, pedalia, summis sensim minoribus.

2. A. (*spicata.*) caulescens; foliis planis, ensiformibus, dentatis; floribus spicatis, campanulatis, horizontalibus. ALOE *spicata Linn. Suppl.* p. 205. *Syst. Veg.* XIV. p. 337.

Crescit in Prom. bonae Spei interioribus regionibus. Floret Augusto.

Caulis teres, apice foliosus, 3-4-pedalis, crassitie brachii. *Folia* subverticillata, carnosa, basi lata, sensim attenuata, canaliculata, dentibus remotis, patentia, bipedalia. *Flores* densissime approximati, horizontaliter patentes; spica pedalis, sensim florens. *Bractea* sub singulo flore solitaria, ovata, acuta, lata, membranacea, alba, striis 3 viridibus, corollâ paulo brevior. *Cor.* subhexapetala: laciniae 3 interiores invicem non connatae, latiores, ovatae, obtusae, albae, carinâ lineâ triplici viridi, unguiculares; tres exteriores basi cum interioribus connatae, angustiores, ceterum similes, minus concavae. *Filamenta* linearia, sensim parum attenuata, basi alba, superne flavescentia, inaequalia, erecta, corollâ sesquilongiora. *Antherae* ovatae, incumbentes, fulvae. *Stylus* flexuosus, erectus, longitudine fere staminum. *Stigma* simplex obtusiusculum. *Capsula* ovata, obtusa, subtrigona, inflexa, hinc carinata, lateribus planis quadristriata, inde convexa, sulco medio glabra. Dissepimentum duplicatum. Corollae repletae succo melleo purpurascente.

3. A. (*perfoliata.*) caulescens; foliis ensiformibus, dentatis, erectis; floribus racemosis, reflexis, cylindricis. Aloe *perfoliata Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 337. *Spec. Pl.* p. 457. 458. varietates α, β, γ, δ, ε, ζ, κ.

Crescit in Carro trans Swellendam, ad latera montium, instar exercitus, copiosissime. Floret Julio ad Octobrim usque.

Caulis erectus, raro flexuosus, inaequalis, orgyalis. *Folia* inferiora emortua; superiora amplexicaulia, acuta, supra concava, subtus convexa, valde carnosa, integra, marginibus lateralibus et dorso versus apicem dentata aculeis cartilagineis, erecto-patentia, spithamaea, pedalia et ultra. *Flores* remotiusculi. *Racemus* pedalis. *Pedicelli* filiformi teretes, flexuosi, glabri, reflexi, uniflori, pollicares, internodiis longiores. *Corolla* ad basin fere 6-partita, pollicaris. *Laciniae* basi gibbosae, lineari-oblongae, obtusae, concavae, conniventes; tres interiores invicem non connatae, albae, carinâ sanguineâ; tres exteriores basi connatae cum interioribus, totae sanguineae. Omnes carinâ sub apice virescunt. *Filamenta* basi angustata, supra basin parum dilatata, apice filiformia, erecta, alba, inaequalia, corollam subaequantia. *Antherae* ovatae, didymae, sanguineae. *Germen* sexstriatum. *Stylus* erectus, glaber, flavescens, longitudine staminum. *Stigma* simplex, obtusiusculum, albidum. *Capsula* oblonga, sensim parum superne angustior, sexstriata, obtusa, oblique truncata, glabra.

4. A. (*picta.*) caulescens; foliis ensiformibus, dentatis, pictis, patentibus; floribus racemosis, reflexis, cylindricis. Aloe *perfoliata Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 337. *Spec. Plant.* p. 458. varietates ϑ, λ, μ, ν.

Caulis flexuoso-erectus, spithamaeus vel paulo ultra. *Folia* plana, saepius fasciata maculis interruptis, pedalia.

5. A. (*sinuata*) caulescens; foliis ensiformibus, sinuato-serratis, reflexis; floribus racemosis, erectis, cylindricis. Aloe *perfoliata Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 337. *Spec. Pl.* p. 458 varietas ε. Aloe barbadensis mitior *Dillen. H. Elth.* p. 23. t. 19. f. 24.

Caulis spithamaeus, flexuoso-erectus, inaequalis. *Folia* versus apicem valde attenuata, plana, pedalia et ultra.

6. A. (*humilis.*) acaulis; foliis trigonis, subulatis, aculeatis; floribus racemosis, reflexis, cylindricis. Aloe *perfoliata o humilis Linn. Syst. Veg.* XIV p. 337. *Spec. Pl.* p. 458.

Folia radicalia, plurima aggregata, margine et paginâ undique aculeata, incurva, digitalia vel paulo ultra. *Scapus* flexuoso-erectus, squamis tectus, bipedalis. *Flores* cernui, sensim florentes. *Corolla* sanguinea: ore aequali, virescente.

Obs. Flores ante anthesin erecti, sub florescentia nutantes, absolutâ florescentiâ iterum erecti.

7. A. (*arachnoides.*) acaulis; foliis trigonis, cuspidatis, ciliatis; floribus subspicatis, erectis, cylindricis. Aloe *pumila* δ *arachnoides Linn. Spec. Plant.* p. 460. *Syst. Veg.* XIV. p. 337.

Crescit in Carro juxta Swartkops Zoutpan. Floret Decembri.

Folia radicalia, plurima aggregata, oblonga, acuminata, margine et dorso versus apicem ciliis albis, lanceolatis, cartilagineis, inermibus; pallida venis viridibus, pollicaria et ultra.

8. A. (*pumila.*) acaulis; foliis trigonis, cuspidatis, papillosis; floribus racemosis, cernuis, cylindricis. Aloe *pumila* α, β, γ, *margaritifera Linn. Spec. Pl.* p. 460. *Syst. Veg.* XIV. p. 337.

Folia radicalia, plurima, aggregata, caulem vix formantia, valde carnosa, oblonga, setâ pellucidâ acuminata, undique albo-papillosa, erecto-patentia, digitalia. *Scapus* angulatus, flexuoso-erectus, simplex vel ramosus. *Flores* bracteâ minutâ sub singulo pedicello.

9. A. (*disticha.*) acaulis; foliis ensiformibus, acutis, papillosis, distinctis; floribus racemosis, reflexis, clavatis. Aloe *disticha* β *Linn. Spec. Pl.* p. 459. *Syst. Veg.* XIV. p. 337.

Folia vix ullum caulem formantia, sed imbricata, disticha, linguiformia, supra concava, subtus convexa, marginibus planata, undique albo-papillosa, erecto-patentia, spithamaea.

10. A. (*maculata.*) acaulis; foliis linguiformibus, glabris, pictis; floribus racemosis, cernuis, curvatis.

Crescit in Houtniquas montibus. Floret Augusto et sequentibus mensibus. Culta saepe invenitur in urbe Rap.

Folia radicalia, trigona; pagina interior concavo-plana; exterior convexa; dorsum planum, unguem latum; sensim attenuata, erecta, spithamaea, pollicem lata. *Flores* penduli, pedunculis reflexis. *Corolla* subcylindrica, basi crassior, medio recurvata, apice angulata angulis viridibus, subincarnata, unguicularis. *Laciniae* tres exteriores ad curvaturam usque divisae, crassiores; interiores tenuiores, invicem liberae, sed cum exterioribus interne longitudinaliter connatae. *Antherae* ovatae, dorso affixae, didymae, flavae. *Stigma* obtusum, plumosum. Varietas *α.* maculis magis oblongis, confluentibus, albis; *β.* maculis minutis albis.

11. A. (*Linguae.*) subacaulis; foliis linguiformibus, denticulatis, glabris; floribus racemosis, erectis, cylindricis. ALOE *lingnaeformis Linn. Suppl.* p. 205. *Syst. Veg.* XIV. p. 337.

Crescit in summis montibus ad Roode Sand prope Waterfall. Floret Septembri.

Folia radicalia, vix ullum caulem formantia, sed imbricata, disticha, laevia, apice rotundata, margine tenuissime denticulata, patenti-erecta, spithamaea. *Corolla* ad medium 6-partita, subdigitalis: laciniae tres exteriores crassiores, sanguineae, a basi ad medium cohaerentes, vix separandae sine laceratione; tres interiores liberae, albidae margine tenui, dorsali carinâ crassiore, sub apice virescentes. *Stylus* trigonus, staminibus longior. *Stigma* simplex, parum incrassatum. *Capsula* ovata, obtusa, glabra, 6-partita, dissepimento duplicato.

12. A. (*variegata.*) subacaulis; foliis trifariis, pictis, canaliculatis, angulis cartilagineis; floribus racemosis, cylindricis. ALOE *variegata Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 337. *Spec. Plant.* p. 459.

Folia radicalia, imbricata, oblique trifariam exstantia, oblonga, trigona s. supra valde canaliculata, subtus carinata, marginibus albo cartilagineis et papilloso-denticulatis, undique fasciis albis variegata, erecto-patentia, palmaria. *Corolla* incarnata ore sexfido: laciniis 3 interioribus alternis patulis.

13. A. (*viscosa.*) subcaulescens; foliis imbricatis, trifariis, ovatis; floribus racemosis, cernuis, cylindricis. ALOE *viscosa Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 337. *Spec. Pl.* p. 459.

Caulis totus foliis tectus, palmaris *Folia* trifariam exstantia, acuta, supra canaliculato-concava, subtus versus apicem compresso-carinata, integra, patentia, pollicaria.

14 A. (*spiralis.*) subcaulescens; foliis imbricatis, octofariis, ovatis; floribus racemosis, recurvis. ALOE *spiralis Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 337. *Spec. Plant.* p. 459.

Caulis totus tectus foliis, debilis, cernuus, spithamaeus. *Folia* sex vel octofariam exstantia, acuta, subtus valde convexa carinâ longitudinali, supra convexiuscula, integra, laevia, erecto-patentia, pollicaria.

15. A. (*retusa.*) acaulis; foliis quinquefariis deltoidibus.

ALOE *retusa Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 337. *Spec. Plant.* p. 459.

Folia radicalia, aggregata, quinquefariam exstantia, valde carnosa, deltoidea s. supra basi concava, apice triquetro plano convexiuscula, subtus convexo trigona, apice setâ terminata, integra, glabra, viridia, venis pallidis, pollicaria. *Flores* nunquam vidimus. Facies hujus a ceteris ALOES speciebus multum aliena, neque succus huic amarus, sic ut potius CRASSULAM fore conjiceremus.

CCIV. ORNITHOGALUM.

Cor. 6-petala, erecta, persistens, supra medium patens. Filamenta alterna, basi dilatata.

1. O. (*rupestre.*) foliis filiformibus, carnosis; floribus alternis. ORNITHOGALUM *rupestre Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 328. *Suppl.* p. 199.

Crescit in muscis summorum rupium; flore albo in Witteklipp; flore flavo in Groene Kloof. Floret Septembri, Octobri.

Radix bulbosa, carnosa, succo referta, alba. *Scapus* simplex, erectus, teres, glaber, pollicaris, digitalis. *Folia* radicalia, unum, duo vel tria subcarnosa, dorso convexa, intus basi sulcata, apice plana, glabra, scapo longiora, rarius breviora. *Flores* in summo scapo, pedunculati, unus, duo, tres vel quinque. *Bractea* ad basin pedunculi, ovata, basi lata, acuta, membranacea, longitudine pedunculi. *Pedunculi* teretes, erecti, glabri, uniflori, lineam longi. *Cal.* nullus. *Corolla* 6-petala: petala tria exteriora alba, carinâ virescente; interiora tota alba, ovata, concava, aequalia, obtusa. *Stamina* filamenta 6, receptaculo inserta, complanata, basi latiora, versus apicem sensim subulata, corollâ breviora, alba, erecta, intus concava: tria alterna, sesquilatiora. *Antherae* ovatae, minutae. *Pollen* flavum. *Germen* superum, triquetrum, glabrum. *Stylus* nullus. *Stigma* trigonum, obtusum, flavum. *Capsula* ovata, triquetra, acuta, trisulca, angulis obtusis, sulcatis, glabra, trivalvis, trilocularis. Semina plurima.

2. O. (*pilosum.*) foliis lineari-ensiformibus, ciliatis; floribus racemosis, pedunculis incurvis. ORNITHOGALUM *pilosum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 328. *Suppl.* p. 199.

Crescit in campis arenosis. Floret Septembri, Octobri.

Folia radicalia tria vel quatuor, glabra, erecta, scapo breviora, digitalia. *Scapus* unicus, raro duo, simplex, teres, flexuoso-erectus, glaber, spithamaeus. *Flores* erecti, plurimi, albi. *Racemus* palmaris. *Bracteae* lanceolatae, pedunculis breviores. *Pedunculi* filiformes, patulo-erecti, inferiores longiores, pollicares, superiores sensim breviores, ultimi unguiculares. *Corollae* albidae.

3. O. (*graminifolium.*) foliis linearibus, integris, glabris; racemo spicato, erecto.

Folia radicalia, scapo breviora, spithamaea. *Scapus* teres erectus, pedalis. *Racemus* ovatus, pollicaris. *Pedunculi* vix lineam longi. *Corollae* albae, carinâ petalorum virescente. *Bracteae* lanceolatae, apice setaceae, pedunculis paulo longiores.

4. O. (*albucoides.*) foliis linearibus, canaliculatis, glabris; racemo erecto. Anthericum *albucoides Lee H. New.* I. p. 449.

Crescit in Saldanhabay, Paardeberg in depressis arenosis, prope Piquetberg. Floret Septembri, Octobri.

Radix bulbus ovatus, albus, carnosus, fibrosus, piso major. *Folia* radicalia subteretia, sensim attenuata, carnosa, scapo breviora, spithamaea. *Scapus* teres, erectus, glaber, pedalis. *Flores* alterni, pedunculati, remoti, pauci. *Spatha* sub singulo pedunculo, 1-phylla, lanceolata, acuta, membranacea. *Pedunculi* teretes, glabri, uniflori, cernui, unguiculares. *Cal.* nullus. *Corolla* 6 petala, subcampanulata. *Petala* ovalia, concava, apice incrassata, incurva, flava, carinâ viridi, unguicularia. *Filamenta* 6 subulata, omnia basi dilatata, alba, nervo viridi, corollâ duplo breviora, erecta. *Antherae* ovatae, striatae, erectae, flavae. *Germen* superum. *Stylus* filiformis, staminibus paulo longior, erectus, flavescens *Stigma* capitatum, villosum, flavum. *Capsula* ovata, obtusa, obtuse triquetra, trisulca, trilocularis, glabra. *Semina* plurima. Datur varietas major, foliis basi latis.

5. O. (*bracteatum.*) foliis ensiformibus, acuminatis; bracteis floribus longioribus. Ornithogalum *longibracteatum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 327.

Folia apice attenuato-acuminata, integra, glabra, unguem lata, bipedalia. *Scapus* teres, erectus, glaber, bipedalis. *Racemus* florum erectus, sensim florens, spithamaeus vel ultra. *Pedunculi* inferiores longiores, remotiores, pollicares; superiores approximati, sensim breviores, ultimi vix unguiculares. *Bracteae* lanceolato-setaceae, supremis floribus duplo longioribus. *Corolla* alba, petalis dorso viridibus.

6. O. (*maculatum.*) foliis lanceolatis; floribus secundis: petalis tribus exterioribus brevioribus fusco maculatis.

Crescit in Saldanhabay, prope Compagnie Post. Floret Augusto, Septembri.

Folia radicalia circiter tria, linearia vel lanceolata, attenuato-acuminata, convoluto-concava, integra, glabra, erecta, scapo triplo breviora, pollicaria usque digitalia. *Scapus* teres, subfiliformis, flexuoso-erectus, glaber, spithamaeus. *Flores* racemosi, solitarius, bini vel sex, erecti. *Spatha* paulo infra florem, membranacea, ovata, acuta, convoluta. *Petala* 6, inaequalia, ovata, concava, obtusa, patula, erecta: tria exteriora paulo breviora, obtusa, carinata, crocea, sub apice maculâ magnâ fuscâ; tria interiora tota crocea, unguicularia. *Filamenta* 6 inserta infimâ basi petalorum, erecta, corollâ duplo breviora, alba, subulata: tria alterna basi dilatata. *Germen* ovatum, triangulare, superum, glabrum. *Stylus* o. *Stigma* triquetrum, mar-

ginatum. *Capsula* ovata, triquetra, angulis obtusis, trisulca, tristriata, glabra, trivalvis, trilocularis. *Semina* plurima.

7. O. (*thyrsoides.*) foliis ensiformibus; racemo ovato subfastigiato. ORNITHOGALUM *thyrsoides Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 328. *Jacq. Hort. Vind.* III. p. 17. t. 28.

Crescit in collibus prope Kap, in Roode Sand. Floret Septembri, Octobri.

Radix bulbosa: bulbus parum profundus, globosus, fibrosus, glaber, albus, magnitudine Juglandis. *Folia* proveniunt Majo, radicalia, primum ovata, adultiora lato-lanceolata s. ensiformia, integra, glabra, erecta, scapo breviora, spithamaea. *Scapus* teres, crassitie fere calami, erectus, glaber, saepe flexuosus, spithamaeus usque pedalis. *Floram* racemus rotundato-subfastigiatus. *Pedunculi* inferiores longiores, teretes, erecto-patentes, pollicares, superiores sensim breviores unguiculares. *Bracteae* sub singulo pedunculo sessiles, ovato-oblongae, apice setaceae, membranaceae, pedunculis duplo breviores. *Corolla* alba petalis ovatis. Variat α. petalis basi fusco maculatis; β. magnitudine scapi, foliorum et racemi. Valde simile *arabico*, cui racemus magis fastigiatus, pedunculi infimi bracteis pluries longiores et petalo magis oblongo et acuto.

8. O. (*altissimum.*) foliis oblongo-ellipticis; racemo longissimo; bracteis setaceis. ORNITHOGALUM *altissimum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 328. *Suppl.* p. 199.

Incolis: Feukbolles. Crescit prope Cap a Buffeljagtsrivier usque ad Soendagsrivier. Floret Decembri, Januario.

Radix bulbosa. *Bulbus* tunicatus, magnitudine capitis infantis, albus: succedaneus *Scillae*, diureticus. *Folia* radicalia, pauca, integra, glabra, pedalia, sesquipollicem lata. *Scapus* simplex, flexuoso-erectus, teres, glaber, viridis, tripedalis et ultra. *Flores* racemosi, remoti, patentes. *Racemus* sensim florens. *Pedunculi* capillares: inferiores longiores, semipollicares, patentes, superiores breviores, contracti. *Bracteae* vix longitudine pedunculorum.

9. O. (*crenulatum.*) foliis oblongis, obtusis, ciliatis; racemo erecto. ORNITHOGALUM *crenulatum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 328. *Suppl.* p. 198.

Folia radicalia, bina, striato-subrugosa, tenuissime ciliato-crenata, patentia, vix pollicaria. *Scapus* filiformis, flexuoso-erectus, palmaris. *Racemus* pauciflorus, floribus 3 usque 7, pollicaris. *Corolla* albida, petalis dorso virentibus. *Bracteae* basi latae, apice setaceae, pedunculis breviores. *Pedunculi* vix lineam longi.

10. O. (*ovatum.*) foliis ovatis, integris, glabris; racemo ovato.

Folia radicalia, duo, acuta, pollicaria. *Scapus* teres, striatus, erectus, pollicaris. *Racemus* erectus, vix pollicaris. *Pe-*

dunculi vix lineam longi. *Bracteae* lanceolato-setaceae, pedunculis aequales. *Corollae* albidae, carinâ petalorum virente.

11. O. (*ciliatum.*) foliis ovatis, acutis, ciliatis; racemo erecto. Ornithogalum *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 328. *Suppl.* p. 169.

Folia radicalia, bina, expansa, basi lata, margine cartilagineo ciliata, unguicularia. *Scapus* filiformis, flexuoso-erectus, glaber, rufescens, spithamaeus. *Racemus* pollicaris usque bipollicaris. *Pedunculi* capillares, horizontales, apice nutantes, floribus cernuis, unguiculares.

CCV. EUCOMIS.

Cor. infera, 6-partita, persistens, patens. Filamenta basi in nectarium adnatum connata.

1. E. (*nana.*) foliis obovatis; scapo clavato; floribus spicatis aggregatis, comosis. Fritillaria *nana Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 325. Eucomis *nana Hort. Kew.* I. p. 432.

Crescit in rupibus Roggeveld, in Hantum, alibique. Floret Augusto, Septembri.

Bulbus tunicatus, magnitudine rapae majoris. *Folia* radicalia, circiter 5, obovato-oblonga, diffusa, acuta, inferne attenuata, integra, nervosa, glabra, palmam lata, spithamaea et ultra. *Scapus* erectus, inferne attenuatus, albus, medio valde incrassatus, viridis, glaber, palmaris, apice comoso-foliosus, florifer. *Coma* foliorum terminalium polyphylla; foliola lanceolato-oblonga, acuta, nervosa, glabra, concaviuscula, patula, integra, sesquipollicaria. *Flores* sub coma foliacea verticillati, sessiles, plurimi. *Bractea* sub singulo flore ovata, basi lata, acuta, concava, flore paulo brevior. *Corolla* 6-petala, viridis, persistens, petala oblonga, obtusa, concava, erecta, semiunguicularia. *Filamenta* 6 subulata, inferne dilatata, petalorum basi invicemque connata, incurva, albida, longitudine fere petalorum. *Antherae* ovatae, erectae, flavae. *Germen* superum. *Stylus* subulatus, inflexus, viridis, lineam longus, persistens. *Stigma* acutum. *Capsula* triangularis, profunde trisulcata, retusa, inflata, angulis obtusis, glabra, corollâ major, viridis, trivalvis, triloculares. *Semina* in fundo loculamenti singuli, 1, 2, 3, ovato-globosa, glabra, immatura alba, matura nigra, magnitudine Milii. *Nectarium* nullum, nisi foveae inter basin staminum et petala, ubi connata sunt.

2. E. (*punctata.*) foliis ensiformibus, canaliculatis; scapo cylindrico; racemo longissimo, comoso; floribus remotis. Eucomis *punctata Ait. H. Kew.* I. p. 433.

Folia plurima, acuta, integra, erecto-patentia, margine purpurea et parum undata, subtus ultra medium purpureo-maculata. *Scapus* teres, purpureo-maculatus, erectus, sesquipedalis. *Flores* racemosi. *Racemus* subcylindricus, sensim florens. *Coma* e foliis plurimis, racemo brevior. *Folia* lanceolata, apice et margine purpurascentia. *Corolla* subhexapetala. *Petala* ovata, patentia, concava, albida dorso et apice virescentia. *Fila-*

menta 6, basi dilatata, invicem et cum petalis connata. *Stylus* simplex, staminibus paulo longior. *Germen* sulcatum, purpurascens, striis albis. Odor gravis, subingratus.

3. E. (*undulata.*) foliis ensiformibus, undatis; scapo subcylindrico; racemo comoso brevi. Eucomis *undulata Hort. Kew.* I. p. 433.

Folia sessilia, acuta, glabra, scapo longiora, spithamaea et ultra. *Scapus* glaber, spithamaeus. *Flores* comosi, racemosi, plurimi, virescentes. *Pedunculi* flore paulo breviores, cernui. *Coma* polyphylla, foliolis lanceolatis, acutis, tenuissime undulatis, longitudine racemi. *Corolla* virescens, marginibus albidis.

CCVI. ERIOSPERMUM.

Cor. 6-petala, campanulata, persistens. Filamenta basi dilatata. Caps. 3-locularis. Semina lanâ involuta.

1. E. (*latifolium.*) foliis cordatis, petiolatis. Ornithogalum *capense Thunb. Prodr. cap.* p. 62. *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 328.

Crescit in pede montis Taffelberg.

Folia radicalia, ovata, integra, undulata, supra obsolete venosa, subtus tenuissime punctata, pollicaria et ultra. Florentem nunquam vidi.

CCVII. ANTHERICUM.

Cor. 6-petala, patens. Caps. ovata.

1. A. (*filifolium.*) foliis filiformibus, scapo erecto brevioribus.

Folia radicalia, plura, filiformi-capillaria, sulco exarata, flexuoso-erecta, glabra, scapo duplo breviora, pollicaria vel paulo ultra. *Scapus* unicus, simplex, filiformis, rufescens, glaber, palmaris. *Flores* racemosi, racemo erecto, sesquipollicari. *Pedunculi* lineam longi, erecto-patentes. *Corollae* albidae, petalis dorsali lineâ rufescentibus.

2. A. (*triquetrum.*) foliis filiformibus, trigonis, racemo ovato brevioribus. Anthericum *triquetrum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 331. *Suppl.* p. 202.

Crescit in Houde Bockeveld et alibi. Floret Octobri.

Radix fasciculata. *Folia* radicalia, plura, glabra, erecta, acuta, scapo breviora, spithamaea. *Scapus* solitarius, simplex, filiformis, erectus vel flexuoso-erectus, glaber, spithamaeus, usque pedalis. *Pedunculi* erecti, lineam longi. *Corollae* albidae. Folia interdum flexuosa.

3. A. (*spiratum.*) foliis tereti-filiformibus, flexuosis, scapo flexuoso brevioribus.

Crescit in collibus montium prope urbem. Floret Augusto.

Folia radicalia, plura, circiter 6, compressa vel subteretia,

erecta, apice attenuata et spiralia, undulata, glabra, utrinque striata, scapo paulo breviora, subspithamaea. *Scapus* solitarius, simplex, flexuoso-erectus, glaber, spithamaeus vel paulo ultra. *Racemus* oblongus, pollicaris. *Pedunculi* patuli, lineam longi. *Corolla* alba, petalis dorso lineâ purpurascente. *Stamina* simplicia, tria longiora. Differt ab A. *triquetro* foliis teretibus, et apice spiralibus, corollis maculatis et racemo longiore.

4. A. (*filiforme.*) foliis lineari-filiformibus, scapo ramoso brevioribus; racemis elongatis.

Crescit in collibus infra Taffelberg, latere occidentale.

Radix fasciculata. *Folia* radicalia, plura, circiter 5-7, apice attenuata, inferne pilosa, patulo- vel flexuoso-erecta, scapo paulo breviora, spithamaea vel ultra. *Scapus* teres, raro simplex, saepius ramosus, flexuoso-erectus, glaber, subpedalis. *Rami* similes, alterni vel dichotomi, divaricato-patuli, ultimi filiformes. *Racemi* florum in scapo et ramis sensim florentes. *Pedunculi* capillares, lineam longi, superiores sensim breviores, et approximati.

5. A. (*revolutum.*) foliis linearibus, scapo longioribus. Anthericum *revolutum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 330. *Spec. Pl.* p. 445.

Crescit inter Leuwestart et littus, in arena volatili. Floret Julio.

Radix fasciculata. *Folia* radicalia, basi decumbentia, circiter tria, apice sensim attenuata, carnosa, integra, venosa, subscabra, glabra, flexuoso-erecta, spithamaea usque pedalia. *Scapus* flexuoso-erectus, teres, glaber, pedalis, subinde ramosus. *Rami* alterni, divaricati, scapo similes. *Racemus* subfastigiatus. *Bractea* ad basin pedunculi singuli, semiamplexicaulis, ovata, acuta, concava, membranacea, alba, carinâ rufescente, lineam longa, glabra. *Pedunculi* erecto-patentes; inferiores longiores, remotiores; superiores breviores, approximati. *Corolla* 6-petala, patens, infera. *Petala* lanceolata, obtusa, concaviuscula, alba, carinâ rufescente, intus supra basin maculâ rufescente, semiunguicularia. *Filamenta* 6, subulata, subaequalia, alba, corollâ breviora. *Antherae* ovatae, albae. *Germen* superum, obtuse 6-angulare, glabrum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum, album. *Stigma* simplex, obtusum. *Capsula* ovata, glabra, obtusa, triangularis: angulis obtusis, sulcatis, trilocularis, trivalvis. *Semina* in singulo loculamento bina, columnae affixa, globosa, glabra, parva.

6. A. (*flexifolium.*) foliis linearibus, spiralibus; scapo ramoso longioribus. Anthericum *flexifolium Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 331. *Suppl.* p. 201.

Radix fasciculata. *Folia* radicalia, plura, 4-6 vel plura, spirali-flexuosa, striata, glabra, apice attenuata, erectiuscula, scapo longiora. *Scapus* solitarius, teres, flexuoso-erectus, glaber, palmaris. *Rami* alterni, divaricati, similes. *Racemus* florum ovatus, unguicularis. *Corollae* albae, petalis dorso rufescentibus.

7. A. (*brevifolium.*) foliis lanceolatis, brevissimis; floribus remotissimis.

Folia radicalia circiter sex, convoluta, integra, striata, glabra, carnosa, falcata, inaequalia, pollicaria et sesquipollicaria. *Scapus* solitarius, filiformis, erectus, glaber, sesquipedalis. *Racemus* palmaris vel ultra, floribus inferioribus remotissimis. *Pedunculi* capillares, unguiculares, patuli. *Corollae* cernuae.

8. A. (*alooides.*) foliis carnosis, semiteretibus, racemo cernuo brevioribus. ANTHERICUM *alooides* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 330. *Spec. Pl.* p. 446.

Crescit ad latera montium capensium. Floret Junio, Julio.

Radix orbiculata, truncata, subconica, fibrosa, carnosa, saepe magnitudine pomi Fibrae marginales, radiatae, attenuatae, fibrillosae. *Folia* radicalia, semiteretia, s. interius plana, exterius convexa, vel basi semiteretia, laevia, glabra, calamo anserino crassiora, erecta, apice sensim attenuata et teretia, palmaria. *Scapus* teres, erectus, glaberrimus, foliis duplo longior. *Flores* in summo scapo, racemosi, racemo oblongo. *Pedunculi* capillares, semiunguiculares. *Bractea* ad basin pedunculi ovata, acuta, alba, brevissima. *Corolla* 6-petala, patens. *Petala* lanceolata, acuta, flava, carinâ viridi. *Filamenta* 6, corollâ breviora, basi capsulae inserta, subulata, medio barbata barbâ flavâ. *Antherae* ovatae, sulcatae, erectae, fusco-flavescentes. *Germen* superum, trigonum, glabrum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* simplex, obtusum. *Capsula* ovata, triangularis, 6-sulca, glabra, obtusa, trivalvis, trilocularis. *Semina* plurima, globosa, glabra.

9. A. (*incurvum.*) foliis carnosis, trigonis, incurvis, brevissimis: racemo oblongo, cernuo.

Radix fasciculata, fibris filiformibus. *Scapus* filiformis, solitarius, simplex, glaber, spithamaeus. *Folia* radicalia, plura, subulata, erecta, apice incurvo, viridia, glabra, pollicaria. *Flores* racemosi, remoti. *Racemus* digitalis. *Pedunculi* capillares, semiunguiculares. *Corollae* flavae.

10. A. (*nutans.*) foliis lineari-ensiformibus, scapo brevioribus; racemo ovato, cernuo.

Folia radicalia, plura, 6 vel 8, apice valde attenuata, erecta, integra, glabra, scapo paulo breviora, spithamaea. *Scapus* solitarius, simplex, teres, erectus, glaber, subpedalis. *Racemus* pollicaris. *Corollae* flavae.

11. A. (*contortum.*) foliis ensiformibus, caule ramoso brevioribus; floribus remotissimis. ANTHERICUM *contortum* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 331. *Suppl.* p. 202.

Crescit in vinetis et arvis, infra Taffelberg et alibi. Floret Decembri, Januario et Februario.

Caulis basi anceps, mox ramosus, glaber. *Rami* alterni, inferiores ancipites, superiores teretes, ultimi filiformes et capillares, glabri, diffusi, elongati. *Folia* ad nodos inferiores al-

ternantia, amplexicaulia, attenuata, integra, glabra, spithamaea, superiora sensim multo breviora. *Flores* in ramis sparsi, pedunculati. *Pedunculi* capillares, reflexi, unguiculares. *Corolla* contorta.

12. A. (*pauciflorum.*) foliis ensiformibus, canaliculatis, scapo brevioribus; racemo oblongo erecto.

Crescit in lateribus occidentalibus Leuwekop et in Swartland. Floret Augusto, Septembri.

Radix fasciculata. *Fibrae* fusiformes, carnosae, albae, fibrillosae. *Scapus* simplex, teres, erectus, glaber, spithamaeus et ultra. *Folia* radicalia plura, circiter 2 usque 6, vel octo, convoluto-canaliculata, flexuoso-erecta, striata, integra, glabra. *Racemus* palmaris. *Bractea* sub singulo pedunculo, lanceolata, acuta, concava, membranacea, cinerea, lineâ utrinque fuscâ, pedunculo longior. *Pedunculus* teres, erecto-patens, glaber, semiunguicularis, uniflorus. *Corolla* 6-petala, patens. *Petala* ovato-lanceolata, obtusa, concava, semiunguicularia, alba, carinâ viridi. *Filamenta* 6, filiformia, alba, erecta, corollâ paulo breviora, simplicia. *Antherae* ovatae, incumbentes, sulcatae, flavae. *Germen* superum, trigonum, glabrum. *Stylus* filiformis, erectus, staminibus longior, albus. *Stigma* simplex, obtusum, villosum. *Capsula* ovata, obtusa, triquetra angulis obtusis, trisulcata, tristriata, glabra, trivalvis, trilocularis. *Semina* plurima, ovata, glabra.

13. A. (*scabrum.*) foliis trigonis serrulatis, scapo ramoso scabro longioribus; pedunculis fructiferis recurvis. ANTHERICUM *scabrum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 331. *Suppl.* p. 202.

Crescit in campo sabuloso inter Cap et Hottentott Holland. Floret Augusto.

Scapus compressus, debilis, decumbens, lucidus, spinulis crystallinis scaber, pedalis et ultra. *Rami* alterni, breves, simplices. *Folia* radicalia, plurima, exacte trigona, supra canaliculata, angulis serrato-scabris, subtus carinâ-laevi, carnosâ, diffusâ, glabra, saepe longiora. *Racemi* spicati erectique. *Pedunculi* teretes, uniflori, scabri, pollicares, superiores breviores, fructiferi remotiores, reflexi. *Bractea* sub pedunculo ovata, brevis, acuta, margine tenui. *Corolla* 6-petala, patens. *Petala* ovata, oblonga, obtusa, concava, alba, carinâ viridi scabra, lineam longa. *Filamenta* sex, filiformia, alba, simplicia, erecta, corollâ breviora, tribus brevioribus. Antherae ovatae, didymae, flavae, inferne fissae. *Germen* superum. *Stylus* filiformis, albus, longitudine staminum. *Stigma* simplex, obtusum. *Capsula* subrotunda, sexstriata, trilocularis, trivalvis. Semina plura.

14. A. (*lagopus.*) foliis lineari-ensiformibus, scapo simplici brevioribus; racemo erecto, longissimo.

Folia radicalia, pauca, versus apicem attenuata, integra, striata, glabra, spithamaea. *Scapus* teres, striatus, glaber, erectus, pedalis et ultra. *Racemus* sensim florens, spithamaeus

Pedunculi capillares, glabri, unguiculares, sensim florentes; superiores erecti, approximati, inferiores magis remoti, fructiferi reflexi. *Corollae* luteae, petalis oblongis flavis, carinâ rufescente.

15. A. (*favosum.*) foliis carnosis, semiteretibus, scapo brevioribus; racemo erecto, longissimo.

Crescit in campo arenoso extra Cap. Floret Martio, Aprili.

Radix carnosa, subconica, subtus convexo-plana, laevis, fibrosa, magnitudine rapae medocris. Fibrae marginales. *Folia* radicalia, tria vel plura, apice attenuata, glabra, erecta, spithamaea et ultra. *Scapus* solitarius, simplex, teres, glaber, flexuoso-erectus, sesquipedalis usque tripedalis. *Racemus* sensim florens, palmaris, sesquipedalis. *Pedunculi* erecti, capillares, unguiculares; superiores magis approximati.

16. A. (*caudatum.*) foliis canaliculato-ensiformibus, scapo longioribus; racemo oblongo erecto. ANTHERICUM *cauda felis Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 331. *Suppl.* p. 202.

Africanis: Kattstartps. Crescit in Swartland prope pontem fluvii. Floret Septembri.

Folia radicalia, plura, circiter 6-8, apice attenuata, striata, integra, glabra, inferne erecta, superne laxa, subreflexo-dependentia. *Scapus* solitarius, simplex, teres, glaber, flexuoso-erectus, pedalis usque bipedalis. *Racemus* digitalis. *Corollae* albae. Variat foliis latioribus et angustioribus.

17. A. (*hispidum.*) foliis carnosis lineari-ensiformibus, hispidis, scapo longioribus. ANTHERICUM *hispidum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 331. *Spec. Pl.* p. 446.

Crescit in Leuweberg et alibi circum Cap, Duyvelsberg. Floret Junio, Julio.

Radix ovata, oblonga, carnosa, fibrosa, saepe bilobata. *Folia* radicalia ensiformiâ, canaliculata, spithamaea s. scapo duplo longiora, laxa, recurvata, undique villosa pilis albis rectis. *Scapus* simplex vel ramosus, villosus, multiflorus, unus vel plures. *Bracteae* longitudine fere pedunculorum, lanceolato-subulatae, membranaceae, villosae. *Rami* alterni, erecti. *Pedunculi* uniflori, virides vel rufescentes, villosi, unguiculares s. pollicares. *Flores* spicati. *Spica* fastigiata, excrescens, sensim florens. *Corolla* 6-petala, infera. *Petala* lanceolata, obtusa, alba, carinâ in junioribus viridi, in adultioribus rufescente extus ad basin hispida, pilis albis. *Filamenta* 6, lateri germinis affixa, corollâ paulo breviora; tubus exterioribus brevioribus; subulata, alba, geniculato-inflexa, simplicia. *Antherae* ovatae, sulcatae, flavae. *Germen* superum. *Stylus* longitudine filamentorum, filiformis, albus. *Stigma* granulato-trigonum, flavescens. *Capsula* ovata, glabra, sexsulca, triloculatis, trivalvis, triangularis. *Semina* plura, globosa, glabra.

18. A. (*undulatum.*) foliis ensiformibus, falcatis, undulatis, scapo longioribus.

Habitat in Promontorio b. Spei inter littus et montes in collibus arenosis, florens Julio.

Radix carnosa, palmato-quadripartita, fibrosa. *Folia* radicalia, glaberrima, bina vel terna, undulato-plicata, viridia, marginibus fuscescentibus, integra. *Scapus* unicus, raro duo, simplex, pilosus, digitalis, multiflorus. *Bracteae* ovato-lanceolatae, apice setaceae, glabrae, hyalinae, membranaceae, carinâ viridi, pedunculo vix breviores. *Flores* pedunculati. *Pedanculi* simplices, pilosi, pollicares. Perianthium nullum. *Corolla* 6-petala patens; petala lanceolata, obtusa, intus glabra, extus pilosa, marginibus albidis et carinâ rufescente; exteriora tria paulo angustiora. *Filamenta* 6, corollâ breviora, inferioribus tribus brevioribus, aba, linearia, papuloso-villosa, non barbata, germini inserta. *Antherae* ovatae, flavae, dorso medio affixae, antice trisulcae. *Germen* superum, ovatum, trisulcatum, glabrum. *Stylus* unicus, filiformis, albus, longitudine staminum. *Stigma* obtusum, pallide flavescens. *Caps.* obovata, obtusa, trisulcata, trilocularis, glabra.

19. A. (*fimbriatum.*) foliis lineari-ensiformibus, falcatis, margine muricatis; scapo ramoso glabro.

Crescit in campis arenosis Kap inter et montes.

Folia radicalia, striata, glabra, laeviuscula, integra, margine ciliato-muricato, pedalia et ultra. *Scapus* teretiusculus, flexuoso-erectus, pedalis et ultra. *Rami* alterni, patenti-erecti. *Racemus* oblongus, floribus remotis.

20. A. (*hirsutum.*) foliis linearibus, hirsutis; scapo ramoso brevioribus; longissimo.

Folia radicalia, striata, tota hirsuta, pedalia et ultra. *Scapus* teres, hirtus, erectus, bipedalis. *Rami* pauci, alterni, glabri, vel inferne parum villosi, erecti. *Racemus* sensim florens, subpedalis. *Pedunculi* teretes, erecto-incurvi, unguiculares, inferiores remotiores.

21. A. (*muricatum.*) foliis linearibus, muricatis, striatis; scapo ramoso, inferne muricato. ANTHERICUM *muricatum* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 331. *Suppl.* p. 202.

Crescit in collibus Duyvelsberg et infra latus occidentale Taffelberg. Floret Julio.

Radix fasciculata: fibrae carnosae, filiformes, attenuatae, fibrosae, lutescentes. *Folia* radicalia, plura, vaginanti-sessilia, apice attenuata, carnosa, compressa, concaviuscula, integra, utrinque striata, glabra, squamulis subulatis albis muricata, diffusa, pedalia. *Scapus* teres, inferne flexuosus saepe, purpureus, villoso-hispidus; superne erectus, virescens, rarissime villosus, apice corymboso-ramulosus, pedalis et ultra. *Rami* alterni, erecti, glabri, teretes vel compressi, rarissime villosi, sensim breviores, ramulosi. *Flores* alterni, approximati, pedicellati. *Pedicelli* teretes, glabri, rarissime pilosi, purpurascentes, uniflori, lineam longi. *Bracteae* pedunculos et pedicellos basi cingentes, solitariae, sessiles, concavae, latae, albae, acumine setaceo, longo, rufescente. *Corolla* 6-petala. *Petala* obovata,

obtusiuscula, concava, patentia, alba carinâ rufescente, semiunguicularia. *Filamenta* 6, inaequalia, subulata, corollâ breviora, alba, basi cohaerentia, non connata: tria breviora, simplicia; tria paulo longiora, a basi ad medium latiora, villosa, subgeniculata, geniculo flavescente. *Antherae* ovatae, didymae, flavae. *Germen* superum conicum, 6-sulcatum, glabrum. *Stylus* filiformis, erectus, albus, longitudine staminum. *Stigma* simplex, obtusum, flavescens. *Capsula* ovata, 6-sulcata, glabra, trivalvis, trilocularis. *Semina* plurima, globosa, glabra. Differt ab ANTHERICO *hispido*: 1. foliis glabris, nec villosis, sed squamulis muricatis; 2. scapo longo, altiore.

22. A. (*falcatum.*) foliis ensiformibus, falcatis, glabris; scapo ramoso. ANTHERICUM *falcatum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 331. *Suppl.* p. 202.

Crescit in Saldanhabay. Floret Augusto.

Folia plura, radicalia, subcarnosa, paginâ alterâ planâ, alterâ convexiusculâ, integra, diffusa, pollicem lata, pedalia et ultra. *Scapus* articulatus, carnosus, subteres, glaber, erectus, bipedalis. *Rami* ex singulo nodo circiter tres, erecti, florentes fere toti racemo elongato, spithamaei. *Flores* pedunculati, erecti, remoti. *Pedunculi* teretes, glabri, uniflori, unguiculares.

23. A. (*comosum.*) foliis ensiformibus, glabris; scapo ramoso, comoso.

Crescit in Langekloof, in collibus montium. Floret Novembri, Decembri.

Folia radicalia, pauca, utrinque attenuata, plana, striata, integra, spithamaea et ultra. *Scapus* angulatus, glaber. *Rami* alterni, similes, apice ramosi. *Stipulae* sub ramis lanceolatae, acuminatae. *Coma* polyphylla: foliola lanceolata, falcata, pollicaria vel ultra. *Flores* racemosi, sub coma remoti. *Corolla* 6-petala, infimâ basi connata. *Petala* lanceolata, obtusa, patentia, concaviuscula, semiunguicularia, ciliata, caerulea, carinâ subtus rufescente. *Filamenta* 6 subulata, utrinque attenuata, petalorum unguibus inserta, petalis breviora, tria breviora, inaequalia, alba, fasciâ mediâ apiceque saturate caerulea. *Antherae* lanceolatae, incumbentes, flavae. *Stylus* filiformis, staminibus paulo longior, albus, fasciâ duplici caerulescente. *Stigma* acutum, simplex. *Germen* superum glabrum. *Capsula* ovata, obtusissima, triangularis, angulis obtusis, trisulca, trivalvis, trilocularis, glabra.

24. A. (*latifolium.*) foliis lato-ensiformibus, glabris, scapo brevioribus; racemo longissimo. ANTHERICUM *latifolium Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 331. *Suppl.* p. 202.

Folia basi lata, apice attenuata, carnosa, integra, spithamaea. *Scapus* solitarius, simplex, teres, striatus, glaber, erectus, pedalis et bipedalis. *Racemus* erectus, teres, spithamaeus, usque pedalis. *Pedunculi* sparsi, frequentissimi, erecti, unguiculares. *Corollae* luteae. *Bracteae* membranaceae, lanceolatae, acuminatae, erectae.

25. A. (*ciliatum.*) foliis ensiformibus, carnosis, ciliatis; scapo simplici aequantibus; racemo longissimo. ANTHERICUM *ciliatum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 331. *Suppl.* p. 202.

Crescit in lateribus Leuwekop ab occidente. Floret Augusto.

Folia radicalia, latere altero contracto-subundulata, intus plana, extus convexa, rugosa transverse, carinâ elevatâ praesertim apicem versus subtrigona, striata, glabra, integra, margine ciliata, decumbentia, tripedalia. *Scapus* carnosus, teres, subangulatus, glaber, erectus, tripedalis. *Flores* sparsi, pedunculati, sensim florentes, remoti. *Bractea* sub singulo pedunculo lanceolata, convoluto-carinata, acuta, membranacea, alba carinâ fusca, pedunculo triplo brevior, erecta, persistens. *Racemus* bipedalis, excrescens. *Pedunculi* sparsi, teretes, glabri, uniflori, unguiculares, ante florescentiam imbricato-adpressi, erecti, sub florescentia erecto-patentes, post nuptias reflexi. *Corolla* 6-petala, patens. *Petala* ovato-lanceolata, obtusa, semiunguicularia, alba, carinâ rubra. *Filamenta* 6, receptaculo inserta, filiformia, erecta, alba, inaequalia; tria longiora, petalis aequantia, supra basin inflexa, a medio ad basin tenuissime villosa, villo simplici, albo, brevissimo. *Antherae* ovatae, dorso affixae, erectae, didymae, flavae. *Germen* superum, glabrum. *Stylus* filiformis, erectus, albus, longitudine staminum. *Stigma* obtusiusculum, simplex, villosum. *Capsula* globosa, tristriata, pallide viridis, lineis tribus saturatioribus, minutissime punctata, glabra, trivalvis, trilocularis. Dissepimentum duplicatum. *Semina* in singulo loculamento plura, circiter 4, imbricata, ovata, acute triquetra, glabra, nigra punctis micantibus, virentibus, semine Polygoni paulo minora.

26. A. (*crispum.*) foliis ellipticis, crispis, ciliatis; scapo ramoso.

Folia radicalia, circiter 4, lanceolato-elliptica, glabra, erecta, sesquipollicaria. *Scapus* filiformis, glaber, superne ramosus, erectus, pedalis. *Rami* alterni, patenti-erecti. *Flores* racemosi, remoti. *Filamenta* sex, brevissima. *Antherae* oblongae, flavae.

27. A. (*marginatum.*) foliis oblongis, obtusis, marginatis, scapo simplici brevioribus; racemo subumbellato.

Crescit in Hantum. Floret Decembri.

Folia radicalia, circiter bina, sessilia, obtusissima, striata, glabra, margine reflexo tenuissime villosa, patentia, pollicaria, unguem lata. *Scapus* filiformis, basi flexuosus, erectus, glaber, palmaris usque spithamaeus. *Flores* subumbellati, fastigiati. *Pedunculi* capillares, patentes, sesquipollicares.

CCVIII. LANARIA.

Cor. 6-*partita, lanata. Stigma trifidum. Capsula* 3 *locularis.*

1. L. (*plumosa.*) HYACINTHUS *lanatus Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 336. *Spec. Pl.* p. 455. LANARIA *Hort. Kew.* I. p. 462.

Africanis: Paardekapock. Crescit in collibus trans Swellendam, prope Compagnie Post, Ritvalley, in Lange Kloof. Floret Novembri, Decembri.

Caulis simplex vel superne in plures corymbos divisus, pedalis et ultra, subtrigonus, inferne villosus, superne plumoso-lanatus. *Folia* radicalia ensiformia, canaliculata, carinata, venosa, serrato-scabra, glabra, longitudine caulis; caulina alterna, sessilia, lanceolata, acuta, conniventia, glabra, serrato-scabra, internodiis breviora, pollicaria: superiora magis approximata et breviora. *Flores* paniculati. *Panicula* composita, densa, pilis albis plumosis dense tecta. *Pedicelli* lineam longi, uniflori, plumoso-lanati. *Calyx* nullus. *Corolla* 1-petala, extus tota lanato-plumosa, intus purpurea, tubulosa. Tubus brevis. Limbus 6 partitus: laciniae lineari lanceolatae, concavae, obtusae, patentes, ultra lineam longae. *Filamenta* 6, laciniarum medio affixa, laciniis breviora, alba. *Antherae* cordatae, flavae. *Germen* superum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* bifidum. Differt ab ANTHERICO: corolla 6-fida et staminibus laciniis insertis.

CCIX. HYACINTHUS.

Cor. campanulata: pori 3 melliferi germinis.

1. H. (*brevifolius.*) corollis sexpartitis; racemo cernuo; foliis scapo brevioribus.

Crescit in Cannaland, Hantum, Roggeveld, prope Cap. Floret Novembri

Folia radicalia, circiter bina, lineari-lanceolata, versus apicem attenuata, reflexa, glabra, scapo multoties breviora. *Scapus* simplex, erectus, glaber, spithamaeus. *Racemus* florum ovatus, sensim florens. *Bracteae* lanceolatae, setaceo-acuminatae. *Corolla* subcylindrica, fauce parum coarctata, albida, carinâ extus virescente, subunguicularis.

2. H. (*corymbosus.*) corollis infundibuliformibus; racemo erecto; foliis scapo longioribus. HYACINTHUS *corymbosus Linn. Mant.* 2. p. 224. *Syst. Veg.* XIV. p. 335.

Crescit in arenosis pascuis inter Leuwestart et littus, copiose. Floret Aprili, Majo.

Radix globosa, carnosa, magnitudine pisi. *Folia* radicalia, vaginâ membranaceâ involuta, linearia, obtusiuscula, convoluta, carnosa, tria vel quinque, glabra, patenti-revoluta, scapo longiora s. digitalia. *Scapus* simplex, multiflorus, glaber, semidigitalis vel paulo longior. *Flores* racemoso-fastigiati, corymbosi. *Pedunculi* brevissimi, crassi, uniflori, glabri, lineam longi. *Calyx* nullus. *Corolla* 1-petala, infera, tubulosa. *Tubus* brevis. *Limbus* 6-partitus, campanulatus: laciniae ovato-lanceolatae, obtusae, patentes, glabrae, purpureae carinâ rubrâ. *Filamenta* 6, lateri germinis affixa, corollâ paulo breviora, tribus longioribus, tribusque brevioribus, capillaria, pallida. Antherae lateraliter affixae, ovatae, sulcatae, flavae. *Germen* superum: pori tres melliferi. *Stylus* filiformis, longitudine staminum longiorum, pallidus. *Stigma* subtrigonum, flaccens. *Capsula* obovata, glabra, trisulca, trilocularis.

Semina plurima, ovata, acuta, triquetra, glabra. *Bractea* sub pedunculo singulo ovata, acuta, membranacea, brevissima.

3. H. (*convallarioides.*) corollis campanulatis, ovatis, pendulis; scapo filiformi. HYACINTHUS *convallarioides Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 335. *Suppl.* p. 204.

Crescit in Carro infra Roggeveld. Floret Novembri, Decembri.

Bulbus ovatus, magnitudine Avellanae. *Folia* mihi nulla visa sub florescentia. *Scapus* flexuoso-erectus, glaber, palmaris. *Racemus* oblongus, suberectus. *Pedunculi* sparsi, capillares, reflexi. *Corollae* cernuae, albidae, carinâ dorsali, virescente.

4. H. (*flexuosus.*) corollis campanulatis; racemo erecto; foliis linearibus, scapo longioribus.

Crescit in interioribus regionibus. Floret Novembri, Decembri.

Folia circiter tria, laxa, integra, flexuoso-erecta, glabra, spithamaea. *Scapus* simplex, teres, glaber, flexuoso-erectus, palmaris. *Racemus* ovatus, pollicaris. *Pedunculi* filiformes, flexuoso-cernui post florescentiam.

5. H. (*revolutus.*) corollis ovatis, campanulatis, reflexis; foliis lanceolatis, subundulatis. HYACINTHUS *revolutus Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 335. *Suppl.* p. 204. DRIMIA *undulata Willd. Spec.* II. p. 166.

Crescit in interioribus regionibus.

Folia radicalia circiter tria vel quatuor, lato-lanceolata, acuminata, undulata, glabra, margine membranacea, scapo breviora, pollicaria, usque palmaria. *Scapus* filiformis, sulcatus, simplex, glaber, flexuoso-erectus, palmaris usque spithamaeus. *Racemus* terminalis, erectus, sensim florens, multiflorus, pollicaris usque palmaris. *Pedunculi* filiformes, sparsi, reflexi. *Corollae* revoluto-cernuae, albidae, carinâ dorsali, viridi. Differt ab *H. non scripto:* corollis subglobosis, foliis ovatis.

CCX. LACHENALIA.

Cor. 6-partita: laciniis tribus exterioribus brevioribus. Germen superum. Caps. 3-locularis.

1. L. (*contaminata.*) corollis campanulatis, sessilibus; foliis linearibus scapo longioribus. LACHENALIA *contaminata Hort. Kew.* I. p. 460. PHORMIUM *orchioides Thunb. Nov. gen. Pl.* P. I. p. 96.

Crescit in aquis stagnantibus Swartland. Floret Octobri.

Radix bulbosa, bulbo magnitudine Avellanae. *Folia* radicalia terna, versus apicem attenuata, glabra, reflexo-subfalcata. *Scapus* teres, glaber, purpurascens, simplex, flexuoso-erectus palmaris. *Flores* spicato-racemosi, erecti. *Racemus* ovatus, semipollicaris. *Pedunculi* brevissimi. *Corollae* albae sub apice laciniarum sanguineo maculatae.

2. L. (*orchioides.*) corollis campanulatis, subsessilibus; foliis lanceolatis scapo brevioribus. PHORMIUM *orchioides β. δ. Thunb. Nov. gen. Pl.* I. p. 97. LACHENALIA *orchioides Hort. Kew.* I. p. 460. HYACINTHUS *orchioides Linn. Syst. Veg.* XIII. p. 277. PHORMIUM *hyacinthoides Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 336.

Crescit prope Leuwekop.

β. Corollis flavis, scapo foliis longiore. *δ. Corollis* albis apice virentibus; scapo spithamaeo, albo, superne purpureo-punctato; foliis supra purpureo-maculatis.

3. L. (*hirta.*) corollis campanulatis, pedunculatis; foliis linearibus, hirtis. PHORMIUM *hirtum Thunb. Nov. gen. Pl.* p. 98.

In aquosis Promontorii bonae Spei. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Scapus simplex, flexuoso-erectus, glaber, purpureo-maculatus, spithamaeus. *Folium* unicum, basi latâ vaginans, hirsutum. *Flores* racemosi, cernui, ovati, albo-caerulescentes.

4. L. (*pallida.*) corollis campanulatis, pedunculatis, horizontalibus; foliis lanceolatis scapum aequantibus. PHORMIUM *orchioides γ Thunb. Nov. gen. Pl.* p. 96. LACHENALIA *pallida Hort. Kew.* I. p. 460.

Corollis apice purpureis, basi caerulescentibus; *scapo* palmari.

5. L. (*reflexa.*) corollis ventricosis, subsessilibus, erectis; foliis ensiformibus reflexis, scapo longioribus. PHORMIUM *orchioides α Thunb. Nov. gen. Pl.* p. 96.

Crescit in Prom. b. Spei ad pedem Leuwestaart, Duyvelsberg, depressis Swartland et alibi. Floret Julio, Augusto.

Bulbus globosus, carnosus, magnitudine Avellanae, albus, fibrillosus. *Folia* raro unicum, saepe duo radicalia, vaginantia, lato-lanceolata, convoluto-concava, acuminata, subundulata, integerrima, revoluta, glabra, digitalia vel ultra, altero breviore, pollicem lata. *Scapus* simplex, foliis vaginatus, teres, glaber. *Flores* racemosi, ovati, patuli. *Rhachis* flexuosa, angulata. *Bractea* ad basin floris ovata, acuta, membranacea, brevissima, alba. *Corolla* oblonga, subinflata, unguicularis, subclausa, incurva: laciniae concavae, obtusae: tribus exterioribus brevioribus, quarum dorsalis apice incrassata, subfornicata, obtusa: tribus interioribus longioribus, quarum infima paulo brevior. *Filamenta* filiformi-subulata, tubo corollae inserta et ad medium longitudinaliter adnata. *Antherae* parvae, supra flavae, subtus fuscae. *α* corollis flavis, ovato-oblongis; scapo subincluso, brevissimo, fere nullo supra terram.

6. L. (*tricolor.*) corollis cylindricis, pedunculatis, pendulis: laciniis interioribus excisis; foliis lanceolatis scapo brevioribus. LACHENALIA *tricolor Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 314. PHORMIUM *alooides α. γ. Thunb. Nov. gen. Pl.* p. 95.

Crescit in Promont. b. Spei campis depressis arenosis, in Paarden Eyland, in Swartland, Nordbuk, in monte Ribeck Kasteel dicto, collibus urbis, Paardeberg, alibi. Floret Majo, Junio, Julio, Augusto.

Bulbus globosus, carnosus, fibrosus, albus. *Folia* radicalia bina vaginantia, lanceolato-ensiformia, concava, subundulata, integra, glabra, patentia, supra purpureo-maculata. *Scapus* simplex, teres, carnosus, glaber, erectus, purpureo-maculatus. *Flores* racemosi, cernui. Rhachis angulata. *Bractea* sub pedunculo lata, acuta, membranacea, brevissima. *Pedunculus* teres, erecto-patens, glaber, semiunguicularis. *Corollae* laciniae tres interiores, longiores, lato-lineares, obtusissimae, emarginatae, concavae, pollicares, aequales, invicem minime cohaerentes; tres exteriores basi invicem et cum interioribus parum connatae, ovatae, concavae; superior retusa. *Filamenta* basi laciniarum inserta, alba, longitudine corollae. *α.* Corollis totis croceis; scapo purpurascente, immaculato, spithamaeo. *γ.* Corollis purpureis.

7. L. (*pendula.*) corollis cylindricis, pedunculatis, cernuis: laciniis interioribus integris; foliis ensiformibus, scapo longioribus. PHORMIUM *alooides β Thunb. Nov. pl. Gen.* p. 96. *Linn. Suppl.* p. 205. LACHENALIA *pendula Hort. Kew.* I. p. 461.

Corollis luteis: laciniis exterioribus apice virentibus, interioribus apice purpureis; scapo foliisque supra maculatis: scapo spithamaeo.

CCXI. ZUCCAGNIA.

Cor. 1-petala, 6-partita: laciniae exteriores tres longiores.

1. Z. (*viridis.*) LACHENALIA *viridis* corollis cylindricis; laciniis exterioribus setaceo-acuminatis; foliis linearibus, brevioribus. *Prodr. Fl. cap.* p. 64. *Hort. Kew.* I. p. 462. HYACINTHUS *viridis Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 335. *Spec. Pl. p.* 454.

Crescit prope Cafferkeuls-rivier. Floret Octobri, Novembri.

Radix bulbosa, fibrillosa. *Folia* erecta, glabra, scapo paulo breviora, integra, setaceo-acuminata, semilineam lata. *Scapus* inferne teres, superne compressus, erectus, apice cernuus, glaber, simplex, spithamaeus. *Flores* racemosi, cernui, subsecundi, 4 pluresve, in racemo cernuo. *Pedunculi* reflexi, semilineam longi, capillares. *Bractea* sub pedunculo solitaria, lanceolata, cuspidata, longitudine pedunculi. *Corollae* 1-petalae, unguiculares: laciniae exteriores duplo longiores, setacee-caudatae, saepe reflexae. *Caps.* supera, ovata, bilocularis.

CCXII. SANSEVIERIA.

Cor. 6-fida, laciniis erectis. Germen superum. Bacca.

1. S. (*thyrsiflora.*) acaulis; foliis lanceolatis, carnosis, floribus geminatis. Aletris *hyacinthoides: guineensis Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 336. *Ait. Hort. Kew.* I. p. 464.

Crescit in interioribus regionibus inter Kamtous et Soendags-rivier, solo argilloso, sterili. Florentem non vidi in Prom. b. Spei.

2. S. (*aethiopica.*) acaulis; foliis linguiformibus, convolutis, carnosis; racemo oblongo; floribus erectis.

Crescit in interioribus regionibus. Floret Decembri, Januario. *Folia* radicalia, acuminata, integra, erecta, scapo breviora, spithamaea. *Scapus* striatus. flexuoso-erectus, glaber, spithamaeus usque pedalis. *Stipulae* in summitate scapi racemosi, erecti. *Racemus* palmaris, pedunculis brevibus. *Bracteae* stipulis similes, sed minores. *Corollae* cylindricae, albidae, partitae.

CCXIII. ALLIUM.

Cor. 6-partita, patens. Spatha multiflora. Umbella congesta. Caps. supera.

1. A (*Ampeloprasum.*) caule planifolio, umbellifero; umbellâ globosâ; staminibus tricuspidatis, costatis, carinâ scabris. Allium *Ampeloprasum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 321. *Spec. Pl.* p. 423.

Crescit in collibus montium pone Warme Bockeveld, in Kramrivier. Floret Novembri, Decembri.

2. A. (*sativum.*) caule planifolio, bulbifero; bulbo composito; staminibus tricuspidatis. Allium *sativum? Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 322. *Spec. Pl.* p. 322.

Crescit in Bockevelds-Kloof prope Carro, juxta Hexrivier. Floret Decembri.

Bulbi plures. *Caulis* teres, erectus, obsolete striatus, glaber, erectus, bipedalis. *Folia* vaginantia, in caule alternantia, linearia, sensim attenuata, integra, striata, glabra, longitudine fere caulis, laxa. *Umbella* ovata, multiflora, bulbifera. *Bracteae* scariosae, argenteae. *Pedunculi* capillares, patuli, inaequales, semipollicares. *Petala* lanceolata, carinata.

CCXIV. CYANELLA.

Cor. hexapetala: petalis 3 inferioribus propendentibus. Stamen infimum declinatum, longius.

1. C. (*alba.*) foliis lineari-filiformibus. Cyanella *alba Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 329. *Suppl.* p. 201.

Crescit in Bockland. Floret Octobri, Novembri.

Radix alte descendens. *Folia* radicalia plurima, integra, glabra, scapis breviora. *Scapi* plures, divaricati, flexuoso-erecti,

simplices, teretes, glabri, uniflori, spithamaei. *Bractea* in medio scapo lanceolato-setacea, unguicularis. *Flos* terminalis, solitarius. *Corolla* alba.

2. C. (*lutea.*) foliis ensiformibus, planis; ramis erectis. CYANELLA *lutea Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 329. *Suppl.* p. 201. *Lee Hort. Kew.* I. p. 446.

Crescit in campis arenosis. Floret Octobri et sequentibus mensibus.

Scapus ramosus, pedalis, nudus, teres, erectus, glaber. *Rami* simplices, nudi alterni, floriferi, superiores breviores. *Folia* radicalia, tria seu quatuor, vaginantia, lanceolata, acuta, striata, glabra, caule multo breviora, digitalia. *Stipulae* infra singulum ramum lineari-subulatae, superiores breviores, sessiles, glabri. *Flores* racemosi, terminales, flavi. *Calyx* nullus. *Corolla* 6-petala, regularis. *Petala* ovata, acutiuscula, rubro striata. *Filamenta* 6, corollâ multoties breviora, subulata, flava. *Antherae* oblongae, lineares, quinque aequales, infimâ deflexâ majore, striatae, apice perforatae, incurvae, flavae. *Capsula* subrotunda, trivalvis, trilocularis.

3. C. (*capensis.*) foliis lanceolatis, undatis; ramis divaricatis. CYANELLA *capensis Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 329. *Spec. Pl.* p. 443.

Crescit in collibus infra Taffelberg tam frontis quam lateris utriusque. Floret Augusto usque ad Januarium.

Folia proveniunt Aprili vel Majo, radicalia, lato-lanceolata, acuminata, plura, 6 vel 8, superiora sensim angustiora et acutiora, diffusa, striata, integra, paginis et margine scabra, digitalia: sub florescentia undulae magis disparent. *Scapus* teretiusculus, flexuosus, ramosus, glaber, palmaris usque spithamaeus. *Rami* alterni. *Stipula* sub ramis solitaria, lanceolata, ramo brevior. *Flores* terminales, racemosi. *Corolla* caerulea.

CCXV. ALBUCA.

Cor. 6-petala: interioribus difformibus. Stam. 6, tribus sterilibus. Stigma cinctum cuspidibus tribus.

1. A. (*major.*) foliis lanceolatis. ALBUCA *major Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 326. *Spec. Pl.* p. 438. *Dryander Act. holm.* 1784. p. 293.

Crescit in Saldanhabay et alibi locis sabulosis. Floret Septembri et sequentibus mensibus.

Succus subgelatinosus scapi fracti ore tenetur ab Hottentottis, ut dicitur, ad extinguendam sitim. *Scapus* saepe in locis sabulosis et desertis.

2. A. (*minor.*) foliis filiformi-subulatis. ALBUCA *minor Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 326. *Spec. Pl.* p. 439. *Dryander Act. holm.* 1784. p. 294.

Crescit in Saldanhabay semper in locis sabulosis. Floret Septembri.

Scapus bipedalis et ultra.

3. A. (*fastigiata.*) foliis lanceolatis, ensiformibus; floribus ovatis; paniculâ fastigiatâ.

Crescit prope Verlooren-Valley, in Roggeveld, Hantum, Carro infra Bockland. Floret Octobri, Novembri.

4. A. (*viscosa.*) foliis linearibus, villoso-viscosis. Albuca *viscosa Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 326. *Suppl.* p. 196.

Crescit in Hantum. Floret Octobri, Novembri.

Bulbus tunicatus, ovo minor, valde fibrosus. *Folia* radicalia, plurima, apice sensim attenuato-acuminata, minutissime glandulosa, viscosa, erecta, vix semilineam lata, scapo plus duplo breviora, palmaria. *Scapus* simplex, striatus, villoso-scabridus, flexuoso-erectus, pedalis. *Flores* racemosi, plures, subcernui. *Bractea* ad basin pedunculi lanceolata, acuminata, concava, margine membranaceo. *Pedunculi* valde glandulosi, cernui, bracteâ longior, pollicaris. *Antherae* sex, fertiles.

5. A. (*spiralis.*) foliis spiralibus. Albuca *spiralis Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 326. *Suppl* p. 196.

Crescit in summo monte Ribeck-Casteel. Floret Octobri.

Bulbus magnitudine vix Avellanae. *Folia* radicalia pauca, 4 circiter vel 6, lineari-filiformia, inferne erecta, mox spiralia. in adultiore planta flexuosa, villoso-scabra, scapo breviora. *Scapus* simplex, filiformis, flexuosus, apice nutans, striatus, villoso-scabridus, digitalis seu spithamaeus post florescentiam, uniflorus vel biflorus. *Bractea* lanceolata, acuminata, pedunculo brevior. *Antherae* tres fertiles.

CCXVI. TULIPA.

Cor. 6-petala, campanulata. Stylus nullus.

1. T. (*breyniana.*) caule polyphyllo multifloro. Tulipa *breyniana Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 325. *Linn. Spec.* p. 438.

Crescit in campis arenosis. Floret Octobri et sequentibus mensibus.

Caulis simplex, vaginatus, striatus, glaber, spithamaeus. *Folia* 5-6, caulina, alterna, vaginantia, cucullata, ensiformia, superiora, sensim minora, inferiora longitudine caulis, patentia, glabra, margine membranaceo-ciliata. *Flores* spicati, alterni, pauci, terminales, sessiles. *Rhachis* striata, glabra. *Calyx* nullus. *Corolla* 6-petala, infera, erecta. *Petala* obovato-lanceolata, obtusa: ungues angustiores, unguiculares. *Color* corollae flavus, extus supra purpurascens, intus maculâ purpurascente. *Filamenta* 6, unguibus supra basin adnata, subulata, petalis breviora, purpurascentia. *Antherae* oblongae, lateraliter insertae, flavae. *Germen* triangulare, superum. *Stylus* nullus, sed stigmata 3, brevissima, patenti-recurva, angulis germinis affixa, obtusa. *Capsula* oblonga, e capsulis 3 unita, triangularis, trisulca, glabra, trivalvis, trilocularis. *Semina* plurima, rotunda,

compressa. Affinis Melanthiis; differt vero stigmatibus non ex centro capsulae orientibus, sed angulis ejus affixis.

CCXVII. ASPARAGUS.

Cor. 6-*partita*, *erecta*: *petalis* 3 *interioribus apice reflexis*. *Bacca trilocularis*, *trisperma*.

1. A. (*striatus.*) caulescens, erectus; foliis lanceolato-linearibus subfalcatis, obtusis. Dracaena *striata* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 334. *Suppl.* p. 204.

Caulis frutescens, teretiusculus, striatus, flexuosus, superne ramosus, spithamaeus. *Rami* alterni, similes. *Stipula* sub ramis, lanceolata, subtrigona, acuta, adpressa, vix linam longa. *Folia* sparsa, sessilia, lanceolata, acuta,*) integra, striata, glabra, unguicularia.

2. A. (*erectus.*) caulescens, erectus; foliis lanceolatis, acuminatis, sessilibus; floribus lateralibus. Dracaena *erecta* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 334. *Suppl.* p. 204.

Caulis compressus, ramosus, glaber, pedalis et ultra. *Rami* alterni, compressi, erecto-patuli, ramulosi. *Folia* alterna, integra, glabra, striata, patula, unguicularia. *Stipula* membranacea, sub foliis, brevissima. *Flores* axillares, pedunculati, cernui. *Pedunculi* capillares, uniflori, folio breviores. *Filamenta* lanceolata. *Stigma* trifidum.

3. A. (*volubilis.*) caule volubili; foliis lanceolatis. Dracaena *volubilis* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 334. *Suppl.* p. 204.

Crescit in campis.

Caulis filiformis, glaber, ramosus. *Rami* alterni, similes, breves. *Folia* alterna, sessilia, acuta, integra, striata, glabra, patentia, unguicularia. *Flores* axillares, solitarii, pedunculati, cernui. *Pedunculi* brevissimi.

4. A. (*undulatus.*) caulescens, erectus; foliis ovatis, acutis, multinervibus; floribus axillaribus, pedunculatis. Dracaena *undulata* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 334. *Suppl.* p. 203.

Caulis herbaceus, angulatus, striatus, glaber, flexuosus, erectiusculus, ramosus. *Rami* alterni, compressi, flexuosi, patuli. *Folia* alterna, sessilia, integra, undulata, multistriata, glabra, patentia, unguicularia. *Stipulae* sub foliis ovatae, scariosae, brevissimae. *Flores* bini vel tres, cernui. *Pedunculi* capillares, uniflori, foliis dimidio breviores. *Corolla* 6-petala, basi connata, aequalis, apicibus inflexis. *Filamenta* compressa, basi lata, membranacea, medio a latere altero parum dilatata, apice subulata. *Antherae* incumbentes, ovatae. *Styli* 3, stigmatibus tribus.

*) Supra *obtusa*. *Editor*.

5. A. (*medeoloides.*) herbaceus, volubilis; foliis ovatis, nervosis. Dracaena *medeoloides* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 334. *Suppl.* p. 203. Medeola *asparagoides?* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 349. *Spec. Pl.* p. 474.

Caulis teres, glaber, ramosus. *Rami* alterni, compressi, divaricati, breves. *Folia* alterna, sessilia, mucronata, integra, multistriata, glabra, patenti-imbricata, internodiis longiora, unguicularia. *Flores* axillares, bini vel terni, pedunculati reflexi. *Bracteae* sub floribus ovatae, scariosae, acuminatae, breves. *Pedunculi* brevissimi. *Filamenta* lanceolata, unguibus mediis inserta. *Antherae* rubrae. *Stylus* simplex; stigmatibus 3.

6. A. (*declinatus.*) caule inermi, tereti; ramis declinatis; foliis setaceis. Asparagus *declinatus* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 332. *Spec. Pl.* p. 449.

Crescit in sylvis Hautniquas. Floret Decembri, Januario.

Caulis herbaceus, flexuoso-erectus, glaber. *Rami* alterni, similes, divaricato-patentes. *Folia* fasciculata, glabra.

7. A. (*flexuosus.*) herbaceus, inermis; caule flexuoso; foliis lanceolatis.

Crescit in sylvis Hautniquas.

Caulis laxus, filiformi-subangulatus, striatus, glaber, scandens, ramosus. *Rami* alterni, retroflexi, ramulosi, breves. *Folia* fasciculata, tria vel pauca, acuta, glabra, vix unguicularia.

8. A. (*albus.*) frutescens, aculeatus; ramis angulatis, flexuosis; foliis fasciculatis, trigonis, muticis. Asparagus *albus* *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 333. *Spec. Pl.* p. 449. *)

Crescit in collibus montium.

Caulis frutescens, angulatus, sulcatus, glaber, erectus, bipedalis vel ultra. *Rami* alterni, compresso-angulati, divaricato-patentes, breves. *Aculei* sub ramis solitarii, recurvi. *Folia* in ramis plurima, acuta, glabra, lineam longa. *Stipulae* scariosae, ovatae. *Flores* axillares, pedunculati.

9. A. (*subulatus.*) frutescens, inermis; ramis retroflexis; foliis tereti-subulatis.

Caulis frutescens, teres, glaber, flexuoso-erectus, virescens, inermis, pedalis et ultra. *Rami* alterni, breves, ramulosi. *Ramuli* flexuosi, similes. *Folia* fasciculata, terna, sessilia, teretia, acuta, striata, glabra, unguicularia. *Flores* axillares, sessiles.

10. A. (*dependens.*) fruticosus, aculeatus; ramis reflexis; foliis subulatis.

Caulis frutescens, subangulosus, flexuosus, glaber, aculeatus. *Rami* alterni, subsecundi, divaricati, reflexo dependentes, elongati, filiformes, aculeati, ramulosi, spithamaei et ultra. *Ra-*

*) Synonymon hocce in altera schedula cum?, in altera sine dubio laudatur ab ill. auctore. *Editor.*

muli alterni, foliiferi, floriferi, aculeati, breves, unguiculares. *Aculei* caulis ramorum ramulorumque solitarii, recti, breves. *Folia* fasciculata, plurima, teretia, acuta, glabra, lineam longa. *Flores* inter folia pedunculati.

11. A. (*capensis.*) spinis subternis; ramis aggregatis: foliis filiformibus. Asparagus *capensis Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 333. *Spec. Pl.* p. 450.

Crescit infra montes ad Cap vulgaris in frutetis et sylvis fere omnibus. Floret Majo, Junio.

Fruticulus copiosissime tectus floribus albis, instar pruinae, et spinis horridis taediosissimus est ambulantibus; vestibus enim adhaeret, illas manusque lacerat, atque praetereuntes retinet, ut non sine ratione nomen illi dederint incolae: *Wagt een betje: exspecta paulisper. Rami* teretes flexuosi, glabri, cinerei, incurvi, nudi, ramulosi, spinosi. *Ramuli* fasciculati, circa spinas alternatim positi, filiformes, patentes, simplices, foliis tecti, virides, floriferi, unguiculares, a 12 ad 16. *Spinae* vel aculei terni, alternatim cauli insidentes, patentes, rectae, apice parum recurvae, inaequales, intermedio longiori, unguiculari, lateralibus duplo brevioribus. *Folia* fasciculata, ramulis alternatim insidentia, sena, sessilia, acuta, supra lineâ longitudinali, vix lineam longa, imbricata, internodiis longiora. *Stipulae* ovatae, cinereae, brevissimae, basin ramulorum et foliorum cingentes. *Flores* in ramulis terminales, rarius solitarii, saepissime bini, sessiles. *Cal.* nullus, nisi bractea membranacea. *Corolla* 6-petala, aequalis. *Petala* ovata, obtusa, basi infimâ coalita, erecto-patula, alba, carinâ rufescente extus, lineam longa. *Filamenta* 6, basi petalorum inserta, linearia, alba, petalis breviora. *Antherae* minutae, dorso affixae, virentes. *Germen* superum. *Stylus* triqueter, filamentis brevior, albus. *Stigmata* 3, patentia, revoluta, alba, obtusa, brevissima. *Bacca* ovata, triquetra, trisulca, angulis obtusis, striâ longitudinali, viridis, glabra.

12. A. (*scandens.*) herbaceus, inermis, volubilis; foliis lanceolatis, falcatis. Asparagus *aethiopicus? Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 332. *Mant.* p. 63.

Crescit in sylvis Houtniquas. Floret Octobri, Novembri.

Caulis filiformis, glaber, ramosus. *Rami* solitarii alterni vel terni, subcompressi, divaricati, subsimplices. *Folia* terna, sessilia, acuminata; integra, glabra, patentia, inaequalia, vix unguicularia. *Stipulae* sub ramis et folia scariosae, partitae.

13. A. (*lanceus.*) aculeis solitariis; foliis lanceolatis, subfalcatis; pedunculis axillaribus, solitariis.

Caulis suffrutescens, teres, superne angulatus, flexuosus, scandens, glaber. *Rami* alterni, divaricati. *Folia* fasciculata, elliptico-lanceolata, acuta, integra, glabra, patentia, unguicularia. *Flores* in ramis axillares, solitarii, pedunculati. *Pedunculi* unguiculares.

CCXVIII. EHRHARTA.

Cal. biglumis. Cor. duplex. Nectarium pateriforme.

a. *Maticae.*

1. E. (*capensis.*) valvulis corollinis exterioribus rugosis, obtusis, muticis; paniculâ simplici laxâ; culmo indiviso; foliorum margine cartilagineo, crispo. EHRHARTA *capensis Act. Holm.* 1779. p. 216. t. 8. *Nov. gen. Pl.* I. p. 17. *Linn. Suppl. Plant.* p. 209. *Syst. Veg.* per *Gmel.* p. 549. EHRHARTA *mnemateia Prodr. Fl. cap.* p. 66. EHRHARTA *cartilaginea Smith icon. pl. ined.* 2. 32.

Crescit in regionibus graminosis circa Swellendam et alibi.

Radices filiformes, simplices, rigidae, erumpentes sub bulbo glabro, vaginis foliorum radicalium subimbricatis, striatis, emarcidis tecto. *Culmus* simplex, erectus, subbipedalis. *Folia* radicalia longiora, palmaria; superiora breviora, ensiformia, marginata, subtus nervoso-striata. *Panicula* subflexuosa, erecta. *Pedunculi* bini ternique capillares, lati, inferiores 2-3-flori, incrassati, saepe colorati. *Flores* cernui, flavo-purpurascentes.

2. E. (*panica.*) glumis corollinis exterioribus glabris, subrugosis, obtusis; paniculâ secundâ; culmo subdiviso. EHRHARTA *panicea Smith Pl. ined.* 1. *tab.* 9.

Radices longae, simplices, filiformes. *Culmi* cespitosi, basi decumbentes, adscendentes, teretiusculi, striati, glabri, bipedales. *Folia* lineari-lanceolata, acuta, integra, subundulata, scabrida, striata, erecta, juniora, pubescentia, spithamaea. *Paniculae* terminales, laxae. *Pedunculi* capillares, superiores simplices, erecti, inferiores secundi, terni, quorum duo elongati, patentes. *Pedicelli* incrassati, pubescentes, uniflori.

3. E. (*ramosa.*) glumis corollinis exterioribus scabris, retusis, muticis; paniculâ coarctatâ; culmo ramosissimo, suffrutescente. MELICA *ramosa Prodr. Fl. cap.* p. 21. EHRHARTA *digyna? ibidem* p. 66.

Crescit prope Zoete Melks valley.

Culmus glaber, erectus, ramosus, tripedalis. *Rami* dichotomi, teretes, glabri, vaginati. *Folia* inferiora vaginantia, lanceolata, striata, glabra; superiora linearia. *Paniculae* terminales erectae, bipollicares. *Pedunculi* 2-3, conferti, inaequales, uniflori.

4. E. (*melicoides.*) glumis corollinis exterioribus glaberrimis, obtusis, paniculâ patentissimâ. MELICA *capensis Prodr. Fl. cap.* p. 21.

Culmus erectus, inferne geniculatus, teres, striatus, glaber. *Folia* linearia, acuta, erecta, striata, glabra, margine cartilagineo-scabra. *Panicula* erecta, pedalis. *Pedunculi* patentissimi, capillares, purpurascentes. *Pedicelli* incrassati, colorati.

5. E. (*calycina.*) glumis corollinis exterioribus subpilo-

sis, obtusis cum acumine brevi; paniculâ coarctatâ simplicius-culâ; culmo ramoso. EHRHARTA *calycina Smith Plant. ined. fasc.* 2. *tab.* 33. AIRA *capensis Linn. Suppl.* p. 108.

Radices fibrosae. *Culmi* cespitosi, subramosi, teretes, inferne geniculati, glabri, tripedales. *Folia* linearia, acuta, erecta, striata, margine scabra, quadripollicaria. *Panicula* erecta, semipedalis. *Pedunculi* 2 usque 4, capillares, subsecundi, inferiores 2-4-flori. *Pedicelli* incrassati.

b. *aristatae:*

6. E. (*geniculata.*) glumis corollis exterioribus hirtis: alterâ brevissime aristatâ; paniculâ coarctatâ; culmo decumbente geniculato. MELICA *geniculata Prodr. cap.* p. 21.

Radices fibrosae. *Culmi* teretiusculi, basi decumbentes, laxi, glabri, tripedales. *Folia* linearia, acuminata, plana, margine cartilaginea, leviter undulata, striata, glabra. *Panicula* erectiuscula, pedalis. *Pedunculi* subsecundi. *Pedicelli* incrassati.

7. E. (*longiflora.*) glumis corollinis exterioribus rugosis, hispidis, aristatis; paniculâ laxiusculâ. EHRHARTA *longiflora Smith ic. ined.* t. 32. EHRHARTA *aristata Prodr. cap.* p. 66. EHRHARTA *Banksii Linn. Syst. Veg.* per *Gmelin* p. 549.

Culmus simplex, basi subgeniculatus, teres, glaber, erectus, tripedalis. *Folia* lanceolata, erecta, glabra, striata, margine cartilagineo-scabra, pedalia. *Panicula* palmaris. *Pedunculi* capillares, inaequales, subverticillati. *Pedicelli* incrassati, hispidi.

8. E. (*gigantea.*) glumis corollinis exterioribus hirsutis aristatis; paniculâ coarctatâ subverticillatâ; culmo arundinaceo. MELICA *gigantea Prodr. cap.* p. 21. *Willd. Spec.* p. 382. AIRA *villosa Linn. Suppl.* p. 109.

Culmus basi sublignosus, erectus, tripedalis et ultra. *Folia* linearia, involuta, integra, striata, glabra, erecta, rigida, semipedalia. *Panicula* erecta, bipedalis. *Pedunculi* capillares, subverticillati vel secundi, glabri, nigricantes, erectiusculi. *Pedicelli* incrassati.

9. E. (*bulbosa.*) glumis corollinis exterioribus obovatis, emarginatis, rugosis, aristatis; paniculâ simplici, laxâ. EHRHARTA *bulbosa Smith Pl. inedit. fasc.* p. 2. TROCHERA *striata Richard* in *Rozier Journ. de Phys.* XIII. p. 225. t. 3.

Radix bulbosa. *Culmus* erectus, pedalis et ultra. *Folia* lanceolato-linearia; glabra. *Panicula* erecta, lata. *Pedunculi* capillares.

CCXIX. JUNCUS.

Cal. 6-*phyllus.* *Cor.* 0. *Caps.* 1-*locularis.*

1. J. (*punctorius.*) culmo nudo tereti; folio subulato; paniculâ compositâ, coarctatâ. Juncus *punctorius Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 340. *Suppl.* p. 208.

Calmus glaber, inanis, subtilissime striatus, erectus, bipedalis. *Folia* nulla, nisi sub panicula florum duo spathaeformia, quorum exterius, teres, subulato-acutum, incurvum, paniculâ longius, palmare usque spithamaeum; interius simile, pollicare. *Panicula* decomposita. *Bracteae* spathaeformes, sub floribus lanceolatae, acuminatae, carinatae, glabrae.

2. J. (*cephalotes.*) culmo nudo tereti; foliis canaliculatis; capitulis subumbellatis.

Radix fibrosa. *Folia* radicalia tria vel quatuor, linearia, erecta, glabra, culmo breviora, palmaria. *Culmi* solitarii vel tres, inaequales, glabri, erecti, aphylli, palmares, usque subpedales. *Capitula* florum plura. *Bracteae* setaceae; communis nunc longior, nunc brevior; glumae lanceolatae, acuminatae.

3. J. (*bufonius.*) culmo dichotomo; foliis setaceis; floribus alternis solitariis sessilibus. Juncus *bufonius Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 391. *Spec. Pl.* p. 466.

4. J. (*capensis.*) culmo nudo, compresso; capitulis sessilibus, pedunculatisque.

Culmus striatus, glaber, erectus, spithamaeus. *Florum* capitula trichotome paniculata, in trichotomia sessilia. *Pedunculi* capillares, unguiculares.

5. J. (*serratus.*) foliis ensiformibus, serratis; paniculae vaginis perfoliatis. Juncus *serratus Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 341. *Suppl. p.* 208.

Africanis: Palmit. Crescit locis aquosis in paludibus et rivulis minoribus vulgaris. Floret Octobri, Novembri.

Radix teres, descendens, inanis, subligiosa, lacero-subvillosa, longa, supra terram saepe denudata, crassitie brachii, perennis. *Folia* radicalia, plura, apice valde attenuata, supra canaliculata, subtus carinata, carinâ scabra, margine serrata, glabra, erecta, bipedalia et ultra. *Panicula* florum terminalis, supradecomposita, amplissima, pedalis et ultra. *Vaginae* ramis et ramulis paniculae subjectae, basi vaginantes, inde lanceolatae, acuminatae, serratae, glabrae, paniculis breviores, sensim minores.

TRIGYNIA.

CCXX. MELANTHIUM.

Cor. 6-*petala.* *Filamenta ex elongatis unguibus corollae.*

1. M. (*capense.*) foliis lanceolatis, cucullatis; floribus radicalibus. MELANTHIUM *capense* *Linn. Spec.* p. 483. *Syst. Veg.* XIV. p. 349.

Crescit none Cap, vulgaris infra Leuweberg et in fossa Duyvelsberg. Floret Junio, Julio.

Radix profunde descendens. *Caulis* vel scapus nullus. *Folia* radicalia, vaginantia, basi lata, conniventia, ovato-lanceolata, acuta, sulco medio, glabra, integerrima, margine tenuissime cartilaginea, patenti-erecta, subquina, interioribus sensim minoribus; mediis basi, intimis totis albis, unguicularibus, extimis bipollicaribus. *Flores* inter folia sessiles, aggregati. *Bractea* simplex, ovata, acuminata, alba. *Calyx* nullus. *Corolla* 6-petala, infera. Ungues angustae, lineares. *Lamina* ovata, conniventi-umbellata, acuta, alba, unguicularis, erecta. *Filamenta* 6, laminis vel petalis mediis inserta, basi crassa, subulata, laciniis breviora, virescentia. *Antherae* ovatae, sulcatae, subincurvatae, rufescentes. *Germina* tria, supera. *Styli* tres subulati, erecti, petalis paulo breviores, virescentes. *Stigmata* simplicia, obtusa, villoso-fusca. *Capsula* oblonga, trisulca, subtriangularis, angulis depressis, glabra, stylis tribus aristata, trivalvis, trilocularis. *Semina* plurima globosa, glabra, columnae affixa.

2. M. (*Wurmbeum.*) foliis ensiformibus distichis, corollâ connato-tubulosâ. WURMBEA *capensis* *Thunb. Nov. gen. Pl.* I. p. 18. *Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 348.

Crescit ad Cap infra colles, in Groene Kloof et alibi, locis arenosis. Floret Julio, Augusto, Septembri, Octobri.

Radix globosa, glabra, profunda. *Caulis* simplex, foliatus, vaginatus, striatus, flexuosus, erectus, glaber, digitalis vel palmaris. *Folia* tria: caulina alterna, vaginantia, basi latiora, concava, sensim angustata, apice setacea, patentia, integerrima glabra, caulis longitudine vel paulo longiora; superiora breviora. *Flores* spicati, sessiles, sparsi alterni. *Rhachis* flexuosa, angulata, striata, pollicaris vel digitalis. *Varietas* hujus triplex: α. *humilior*, calycibus albis: laciniarum marginibus maculâque supra os tubi purpureis; staminibus albis; spicâ 3-s. 4-flora vel ultra. β. calycibus totis purpureis; marginibus nigris; staminibus purpureis; spicâ ovatâ. γ. calycibus albis; marginibus fuscis; spicâ longiore. δ. calycibus totis albis, elongatis; spicâ longâ.

Obs. Corolla huic speciei connata, monopetala; a MELANTHIIS tamen jure non separanda.

3. M. (*viride.*) foliis ovato-lanceolatis, corollâ reflexâ. MELANTHIUM *viride Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 349. *Suppl.* p. 213.

Crescit in collibus monti tabulari subjectis, prope Kap, quâ ad fossam majorem itur solo sabuloso, sat copiose. Floret Majo, Junio.

Radix carnosa, globosa, vel subfasciculata, profunde descendens, fibrosa, alba. *Caulis* simplex vel subramosus, erectiusculus, striatus, glaber, viridis, palmaris. *Folia* radicalia vaginantia, amplexicaulia, lato-lanceolata, longe acuminata, supra sulco medio, subtus carinâ laevi, integerrima, glabra, longitudine caulis vel paulo longiora, disticha, patentia: caulina duplo vel triplo breviora, sessilia, sparsa, frequentia. *Flores* pedunculati, solitarii cernui. *Pedunculi* sparsi, decurrentes, filiformes, uniflori, glabri; inferiores longiores, bipollicares, superiores sensim breviores. *Calyx* nullus. *Corolla* 6-petala infera. *Petala* ovato-lanceolata, concava, obtusiuscula, reflexa, subunguicularia, viridia: marginibus et apice purpurascentibus, basi intus lunâ albidâ nectareâ, persistentia. *Filamenta* 6, basi germinis inserta, subulata, reflexa, corollâ duplo breviora. *Antherae* ovatae, incumbentes, flavae. *Germen* superum rotundatum, obtuse sexangulare, glabrum. *Styli* 3, staminibus paulo longiores, patentissimi, apice reflexi. *Stigmata* obtusa. *Capsula* ovata, obtusa, subtriangularis, sexsulcata, glabra, trivalvis, trilocularis. *Semina* plura, ovata, alba. Foliis convenit cum CONVOLVULO *Falckia* et MELANTHIO *capensi*. Basis petalorum concava, lunulato-albida, membranacea, succo melleo repleta est.

4. M. (*ciliatum.*) foliis ensiformibus, cucullatis; floribus spicatis; petalis unguiculatis. MELANTHIUM *ciliatum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 349. *Suppl.* p. 213. Hyacinthus stellatus, spicatus, floribus incarnatis, caule et folio Orchidis ex Prom. b. Spei. *Pluk. Phyt.* t. 195. f. 4.

Crescit prope Kap in collibus. Floret Julio, Augusto, Septembri.

Radix carnosa, globosa, glabra, fibrillosa. *Caulis* erectus, simplex, vaginatus, teres, superne striatus, glaber, palmaris, vel spithamaeus, multiflorus. *Folia* pauca, circiter tria, caulina alterna, vaginantia, cucullata, basi lata, sensim angustata, apice filiformia, erecta, integra, glabra, superiora breviora; margine saepius tenuissime cartilagineo-ciliata. *Flores* terminales, raro pauci, saepius plurimi, sessiles. *Calyx* nullus. *Corolla* 6-petala, patens. Ungues angustati, staminiferi, lamina ovatâ, obtusâ, albâ. *Filamenta* 6, unguibus paulo supra basin inserta, subulata, petalis dimidio breviora, alba. *Antherae* ovatae, sulcatae, flavae. *Germen* superum, triangulare, glabrum. *Styli* tres, filiformes, e centro germinis, longitudine staminum, albi. *Stigmata* obtusiuscula. *Capsula* a basi sensim ampliata, glabra, triangularis, trilocularis: apicibus hamato-recurvatis, convexiusculis. Dum ad agros crescit, folia evadunt

caule duplo longiora, lineari-ensiformia, ciliis albis et caulis etiam altior.

5. M. (*triquetrum.*) foliis trigonis, glabris; floribus spicatis. MELANTHIUM *triquetrum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 349. *Suppl.* p. 213.

Crescit locis aquosis. Floret Augusto et sequentibus mensibus. *Foliam* radicale unicum, scapum longe vaginans, canaliculato-trigonum, integrum, erectum, scapo longius. Aliud folium bracteiforme sub spica florum, simile, sed brevius. *Scapus* teres, simplex, erectus, spithamaeus. *Flores* plures. *Spica* digitalis, erecta. *Petala* ovata, obtusa, alba. *Filamenta* petalis breviora.

CCXXI. TRIGLOCHIN.

Cal. 3-*phyllus. Pet.* 3, *calyciformia. Stylus* 0. *Caps. basi dehiscens.*

1. T. (*maritimum.*) capsulis sexlocularibus ovatis. TRIGLOCHIN *maritimum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 348. *Spec. Pl.* p. 483.

Crescit ad littora fluvii Zeekorivier, prope villam Kock. Floret Novembri.

2. T. (*bulbosum.*) radice bulbosâ, fibris obtectâ. TRIGLOCHIN *bulbosum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 348. *Mant.* p. 226.

Crescit ad Groene Kloof prope Compagnei Post, ad Breederivier. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

CCXXII. RUMEX.

Cal. 3-*phyllus. Petala* 3 *conniventia. Semen* 1, *triquetrum.*

1. R. (*lanceolatus.*) foliis lanceolatis, reflexo-marginatis; caule angulato.

Caulis sulcatus, glaber, flexuoso-erectus, bipedalis. *Rami* alterni, pauci, flexuoso-erecti, virgati. *Folia* alterna, petiolata tenuissime crispa, margine reflexo, glabra, erecta, spithamaea, superioribus sensim minoribus. *Petioli* unguiculares.

2. R. (*spathulatus.*) foliis obovatis, obtusis; valvulis graniferis.

Caulis erectiusculus, striatus, glaber, purpureus, pedalis. *Rami* pauci breves. *Folia* petiolata, superiora lanceolata, erecto-patentia, pollicaria. *Petioli* folio paulo breviores. *Flores* verticillati, erecti. Differt a R. *patientia:* foliis obovatis, obtusis.

3. R. (*aquaticus.*) foliis cordatis, glabris, supremis lan

ceolatis; valvulis integris, nudis. Rumex *aquaticus Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 347. *Spec. Pl.* p. 479.

Crescit prope urbem.

4. R. (*spinosus.*) foliis cordato-ovatis, calycibus spinescentibus. Rumex *spinosus Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 349. *Spec. Pl.* p. 481.

Crescit in collibus ubique ad Kap usque Krumrivier, praecipue circa villas. Floret Augusto, Septembri.

Fructus spinosi taediosi ambulantibus pedibus nudis, ut rusticis et servis nigris.

5. R. (*tuberosus.*) foliis sagittatis, obtusis; caule curvato, erecto. Rumex *tuberosus? Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 348. *Spec. Pl.* p. 481. *Pluk.* t. 331. f. 2?

Crescit in collibus infra Taffelberg versus orientem et prope urbem. Floret Julio.

Caulis flexuoso-erectus, compressus, glaber, spithamaeus et ultra. *Rami* pauci. *Folia* petiolata, alternantia, cordato-sagittata, obtusiuscula, integra, pollicaria: alae divaricatae, rotundatae. *Petioli* longitudine folii.

6. R. (*sagittatus.*) foliis sagittatis, acuminatis; caule flexuoso.

Caulis angulatus, glaber. *Rami* divaricati, flexuosi. *Folia* petiolata, alterna, alia etiam acuta, integra, glabra, patentia, pollicaria. *Petioli* longitudine foliorum. Differt a R. *acuto*, cui similis valde foliis acuminatis apice et alis; caule flexuoso, magis ramoso; valvulis integris. A R. *tingitano:* foliis non erosis.

7. R. (*acetosella.*) foliis hastatis: auriculis simplicibus. Rumex *acetosella Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 348. *Spec. Pl.* p. 481.

CCXXIII. SMILAX.

♂. *Cal.* 6-*phyllus. Cor.* 0. ♀. *Cal. et Cor. ut in* ♂. *Styli* 3. *Bacca* 3-*locularis. Sem.* 2.

1. S. (*herbacea.*) caule inermi, angulato; foliis inermibus; ovatis, septemnervibus. Smilax *herbacea? Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 888. *Spec. Pl.* p. 1469.

Crescit in sylvis Houtniquas. Floret Octobri et sequentibus mensibus.

Caulis herbaceus, filiformis, striatus, volubilis, ramosus. *Folia* alterna, cordata, acuminata, venosa, integra, inaequalia, unguicularia atque sesquipollicaria. *Flores* subracemoso-spicati, remoti.

Classis VII.

HEPTANDRIA.

MONOGYNIA.

CCXXIV. LIMEUM.

Cal. 5-*phyllus.* *Pet.* 5, *aequalia.* *Caps. globosa, bilocularis.*

1. L. (*africanum.*) foliis ovato-lanceolatis, subpetiolatis. LIMNEUM *africanum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 352. *Spec. Plant.* p. 488.

Crescit prope littus infra latus occidentale Leuwebild. Floret Augusto.

Radix lignosa, perennis, nodulosa, glabra. *Caules* plures, radicales, simplices, vel rarius ramosi, prostrati, tetragoni, glabri, palmares vel spithamaei. *Rami* alterni, brevissimi, cauli similes, diffusi. *Folia* alterna, subpetiolata, ovato-oblonga, obtusa cum acumine, rarius lanceolata, crassiuscula, carnosa, supra sulco longitudinali, subtus nervo crasso, glabra, integra, reflexa, semiunguicularia vel unguicularia, remota vel approximata. *Petioli* breves, supra plani, subtus teretes, decurrentes, glabri. *Axillae* foliorum foliis minoribus quatuor vel pluribus onustae. *Flores* in ramis et caulibus terminales, paniculati: panicula composita. *Bracteae* in basi pedunculorum et pedicellorum ovatae, acutae, minimae, fuscae, margine membranaceo, albido. *Perianthium* 5-phyllum: foliola ovata, acuta, concava, fusca, margine membranaceo albo, lineam dimidiam longa, patentia, glabra. *Petala* 6 unguiculata, obovata, obtusa, tenuia, alba, patentia, calyce duplo breviora. *Filamenta* 7 subulata, basi cum petalis connata, capsulae inserta, erecta, alba, inaequalia, corollâ fere breviora, tribus brevioribus. *Antherae* ovatae, erectae, didymae, luteae. *Nectarium* heptaphyllum basi staminum connatum, album, laccro-villosum, germen cingens. *Germen* superum. *Stylus* brevissimus, glaber. *Stigmata* obovata, obtusa, corollâ breviora. *Capsula* globosa, bisulca, obtusa, glabra, bivalvis, bilocularis. *Semina* bina, vel unum bifidum, glabrum. *Stamina* saepissime 7, rarius 6 vel 8. Facies omnino Telephii.

2. L. (*capense.*) foliis ovatis, sessilibus. LIMEUM *aphyllum Linn. Syst. Veg.* XIV. p. 352. *Suppl. Syst.* p. 214.

Caulis frutescens, teres, glaber, erectus, spithamaeus. *Rami* alterni, divaricati, teretes. *Ramuli* subangulati, flexuosi, ultimi filiformes, divaricati. *Folia* sparsa, obtusa, glabra, erecta, remota, semilineam longa. *Flores* in ramulis terminales, subumbellati.

3. L. (*aethiopicum.*) foliis lineari-lanceolatis.

Radix lignosa, profunde descendens. *Caules* e radice saepe plures, prostrati, teretes, cinerei, glabri. *Rami* alterni, subangulati, striati, glabri vel tenuissime villosi, virescentes, diffusi, parum ramulosi. *Folia* sparsa, linearia vel lineari-lanceolata, acuta, integra, margine reflexo, supra sulco longitudinali, tenuissime pubescentia, patentia, unguicularia. *Flores* in ramis terminales, subumbellati.

Classis VIII.

OCTANDRIA.

MONOGYNIA.

CCXXV. ERICA.

Cal. 4-phyllus. Cor. 4-fida. Filamenta receptaculo inserta. Antherae bifidae. Caps. 4-locularis.

* *Muticae.*

†. *foliis oppositis:*

1. E. (*tenuifolia.*) mutica; foliis oppositis, lanceolatis, glabris; floribus ternis; calyce colorato. Erica *tenuifolia Linn.* Spec. Plant. p. 507. Syst. Veg. XIV. p. 367. *Berg. Pl.* cap. p. 116.

Crescit in campis extra urbem sabulosis.

Caulis totus glaber, erectus, spithamaeus. *Rami* et *Ramuli* filiformes et capillares, erecti. *Folia* subtus convexa sulco tenui, adpressa. *Flores* terminales, umbellati, toti cum calyce et bracteis sanguineis. *Calycis* foliola corollam aequantia, carinata. *Antherae* stylusque inclusus.

††. *foliis ternis:*

2. E. (*bracteata.*) mutica; foliis ternis, lanceolatis, glabris; floribus umbellatis; bracteis petiolatis, coloratis. Erica *bracteata. Diss. de Erica* p. 13.

Crescit in montibus Platte Kloof. Floret Novembri et sequentibus mensibus.

Caulis erectus, glaber, pedalis. *Rami* inferne pauci, alterni; superne aggregati, subverticillati, fastigiati. *Folia* acuta, integra, supra concava, subtus convexa sulco longitudinali, adpressa, internodiis parum longiora. *Flores* terminales, rubri, bracteis obvallati. *Bracteae* ovatae, acuminatae, carinatae, glabrae; exteriores margine, interiores totae sanguineae. *Antherae* stylusque inclusus.

3. E. (*Thunbergii.*) mutica; foliis ternis, linearibus, glabris; floribus umbellatis; corollae tubo globoso; limbo campanulato. Erica *Thunbergii. Dissert. de Erica* p. 14. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 367. Suppl. Pl. p. 220. *Montin.* Acta nov. Ups. Vol. 2. p. 250. tab. 9. f. 2.

Crescit in Roode Bockeveld. Floret Septembri et sequentibus mensibus.

Caulis bruneus, glaber, erectus, sesquipedalis. *Rami* alterni, conferti, cauli similes. *Folia* acuta, integra, supra plana, subtus convexa sulco longitudinali, adpressa, longitudine internodiorum. *Flores* speciosi, bicolores. *Pedunculi* sanguinei, glabri, unguiculares. *Bracteae* duae, alternae, lanceolatae, integrae, flavae. *Calycis* foliola ovata, acuminata, integra, concava, flava. *Corolla* dilute sanguinea; *tubus* calyce paullo brevior; *Limbus* laciniis ovatis, acutis. *Antherae* stylusque inclusus.

4. E. (*tetragona.*) mutica; foliis ternis, lanceolatis, ciliatis; floribus racemosis, secundis, tetragonis. Erica *tetragona. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 370. Suppl. p. 223. *Thunb. Diss. de Erica* p. 14. tab. 4.

Caulis totus glaber, erectus, bipedalis. *Rami* verticillati, erecti, inferiores longiores, superiores breviores, raro ramulosi. *Folia* trigona, tenuissime ciliata, imbricata, unguicularia. *Flores* horizontales, lutei. *Pedunculi* brevissimi, bracteis foliis similibus. *Calycis* foliola foliis similia, adpressa, corollâ duplo breviora. *Corolla* oblonga, acuta, tetragona, oris laciniis reflexis. *Antherae* stylusque inclusus. *Differt* ab E. *lutea* 1. corollâ tetragonâ. 2. calyce lanceolato, ciliato. 3. antheris muticis. 4. foliis ternis.

5. E. (*petiolata.*) mutica; foliis ternis, lanceolatis, glabris; floribus umbellatis, campanulatis; caule decumbente. Erica *petiolata. Diss. de Erica* p. 15. tab. 6.

Crescit in Monte tabulari. Floret Januario, Februario usque in Martium.

Caulis teres, flexuosus, rigidus, glaber. *Rami* sparsi, oppositi et terni, erectiusculi, inflexi, flexuosi, ramulosi, superne tomentosi. *Folia* supra plana, subtus sulcata a marginibus revolutis integra, patentia. *Petioli* semiteretes, longitudine foliorum, internodia aequantes, adpressi, pallidi. *Flores* in ramulis terminales, subterni. *Pedunculi* brevissimi, tomentosi. *Bracteae* lanceolatae, juxta basin calycis sitae. *Calycis* foliola ovata, acuta, integra, glabra, concava, sub apice connata, adpressa, corollae longitudine. *Corolla* campanulata, pallida, glabra. *Antherae* subexsertae, purpureae. *Stylus* longitudine staminum, filiformis, stigmate obtuso.

6. E. (*axillaris.*) mutica; foliis ternis, trigonis, glabris; floribus racemosis, globosis; ramis tomentosis. E. *axillaris. Diss. de Erica* p. 16.

Caulis erectus, glaber, pedalis et ultra. *Rami* frequentes, sparsi oppositique, erecti, ramulosi. *Folia* lineari-trigona, acuta, subtus sulco tenuissimo, erecta, internodiis paulo longiora. *Flores* in axillis foliorum solitarii, pedunculati, minuti. *Antherae* stylusque inclusus.

7. E. (*imbricata.*) mutica; foliis ternis, oblongis, serratis; floribus umbellatis; bracteis imbricatis; antheris exsertis.

ERICA *imbricata*. *Linn.* Sp. Pl. p. 503. Syst. Veg. XIV. p. 369. ERICA *quinquangularis*. *Berg.* Plant. Cap. p. 117.

Crescit juxta Cap in collibus infra montes. Floret Julio, Augusto, Septembri.

Caulis erectus, glaber, pedalis et ultra. *Rami* alterni, superne pubescentes, erecti. *Ramuli* oppositi, brevissimi, foliosi. *Folia* obtusa, supra plana, subtus sulcata, margine serrulata, glabra, imbricata. *Flores* in ramulis terminales, terni, brevissime pedunculati, minuti, albi. *Calyx* albus, imbricatus: bracteis albis, carinatis. *Antherae* purpureae. *Stylus* exsertus, flore duplo longior.

8. E. (*serrata.*) mutica; foliis ternis, ovatis, imbricatis, serratis, glabris; capitulis terminalibus erectis.

Caulis erectus, cinereus, ramosissimus. *Rami* et *ramuli* sparsi, a casu foliorum tuberculato-scabri, cinerei, superiores tomentosi. *Folia* obtusiuscula, supra plana, subtus convexa et sulcata, margine serrulata, lineam longa. *Flores* in ramulis terminales, aggregati, sessiles. *Perianthium* 1-phyllum campanulatum, glabrum, longitudine corollae, angulatum, 4-partitum; *Laciniae* ovatae, obtusae, carinatae, margine nigro-punctatae, pallidae. *Corolla* 1-petala, globosa, cinerea, minuta, glabra, limbo quadripartito, connivente, obtuso. *Filamenta* nulla. *Antherae* subsessiles, didymae, flavae, inclusae. *Germen* superum. *Stylus* filiformis, pubescens, corollâ brevior. Singularis margine calycis nigro-punctato. *Differt* ab ERICA *Absinthoide*, cui similis — 1. stigmate incluso; 2. margine calycis punctato; 3. foliis margine scabris; 4. floribus sessili-capitatis.

9. E. (*glabra.*) mutica; foliis ternis, lanceolatis, imbricatis, glabris; floribus subracemosis.

Caulis flexuoso-erectus. *Rami* et *Ramuli* sparsi, flexuosi, cinerei, ultimi filiformes. *Folia* brevissime petiolata, acuta, supra plana, subtus convexa et sulcata, scabra, lineam dimidiam longa. *Flores* versus summitatem ramulorum ex axillis foliorum racemosi. *Calyx* glaber, brevissimus. *Corolla* cylindrica, alba, glabra. *Filamenta* 4, filiformia. *Antherae* oblongae, purpurascentes, exsertae.

10. E. (*melanthera.*) mutica; foliis ternis, trigonis, glabris; floribus umbellatis; bracteis ovatis, laxis; antheris inclusis. ERICA *melanthera*. *Linn.* Mant. p. 232. Syst. Veg. XIV. p. 367.

Crescit in campis sabulosis extra urbem. Floret Majo, Junio et sequentibus mensibus.

Caulis teres, bruneus, flexuosus, erectus, totus glaber, pedalis. *Rami* sparsi et subverticillati, flexuosi, erecti, virgati. *Ramuli* filiformes, consimiles. *Folia* lineari-lanceolata, subtus convexa sulco longitudinali, laevia, erecta apice patula, frequentissima, lineam longa. *Flores* in ramulis terminales, bini vel terni, incarnati. *Bracteae* calyciformes, incarnatae. *Calycis* foliola ovata, acuta, suave rubentia, corollâ breviora. *Co-*

rolla campanulata. *Antherae* purpureae. *Stylas* staminibus longior, subexsertus.

11. E. (*Leucanthera.*) mutica; foliis ternis, trigonis, glabris; floribus umbellatis; antheris exsertis, albis. Erica *Leucanthera. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 368. Suppl. Pl. p. 283.

Floret Septembri, Octobri, Novembri.

Caulis erectus, glaber, pedalis et ultra. *Rami* subterni, pubescentes, erecti, virgati. *Ramuli* sparsi, frequentissimi, filiformes et capillares, pubescentes, erecti, foliosi. *Folia* obtusa, adpressa, subtus sulco tenuissimo. *Flores* in ramulis terminales, bini et terni, brevissime pedunculati erecti, albi, calyce pallidiores.

12. E. (*spumosa.*) mutica; foliis ternis, trigonis, glabris; floribus capitatis; bracteis imbricatis. Erica *spumosa. Linn.* Spec. plant. p. 508. Syst. Veg. XIV p. 167. *Bergii* Plant. Cap. p. 103. Erica *scariosa. Bergii* Plant. Cap. p. 102.

Crecit in summo Monte Tabulari. Floret Januario et sequentibus mensibus.

Caulis erectus, teres, punctis elevatis scaber, fuscus, pedalis et ultra. *Rami* dichotomi et trichotomi, divaricato-erecti, cauli similes. *Ramuli* filiformes, sparsi, ramis similes, foliosi. *Folia* subtus sulcata, sexfariam imbricata, lineam longa. *Flores* terminales, bini ternique, albo-purpurascentes, globosi. *Antherae* inclusae. *Stylus* exsertus. Singularis floribus tribus in capitulum congestis.

13. E. (*albida.*) mutica; foliis ternis, trigonis, pilosis; floribus lateralibus; calyce villoso. Erica *albens. Prodr.* cap. p. 70.

Crescit in summo Monte Tabulari. Floret Aprili.

Fruticulus flexuoso-erectus, fuscus, palmaris usque pedalis et ultra. *Rami* sparsi, frequentes, breves, parum ramulosi, flexuoso-erecti, cinereo-tomentosi. *Folia* brevissime petiolata, linearia, obtusa, supra plana, subtus sulcata, vix conspicue villosa, patentia, lineam longa. *Flores* in ramis et ramulis sparsi, aggregati, sessiles vel brevissime pedunculati. — *Calyx* corolla paulo brevior. *Corolla* campanulata, ore quadrifido patula, alba. *Antherae* 4, purpurascentes, pertusae, bifidae, exsertae.

14. E. (*nudiflora.*) mutica; foliis ternis, linearibus, ciliatis; caule hispido-tomentoso; floribus racemosis. Erica *nudiflora. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 369. Mant. p. 229.

Caulis fruticosus, erectus, ramosissimus. *Rami* et ramuli sparsi, hispido-tomentosi, cinerei. *Folia* obtusa; supra concava; subtus convexa, sulcata; laevia, glabra, incurva, imbricata. *Flores* rubri. *Pedunculi* filiformes, longitudine foliorum. *Calycis* laciniae glabrae, subciliatae. *Affinis* E. *pusillae*, differt vero foliis laevibus, non scabris, sed ciliatis.

15. E. (*pusilla.*) mutica; foliis ternis, linearibus, piloso-

hispidis; floribus racemosis, cernuis. BLAERIA *pusilla*. *Linn:* Syst. Veg. XIV. p. 154.

Crescit in Promontorii bonae Spei regionibus montosis.

Caulis flexuoso-erectus, fusco-cinereus, bipedalis et ultra. *Rami* sparsi et subverticillati, curvato-erecti, cinereo-tomentosi. *Ramuli* filiformes, ramis similes, subfastigiati. *Folia* breviter petiolata, oblonga vel sublinearia, obtusiuscula, supra plana, subtus convexa et sulcata, scabra, incurvato-imbricata, lineam longa. *Flores* in ramulis inter folia. *Pedunculi* capillares, nutantes, tenuissime villosi, purpurascentes, ebracteati, foliis longiores. *Calyx* brevissimus, villosus. *Corolla* ovata, purpurea. *Filamenta* 4, filiformia. *Antherae* purpurascentes, pertusae, bifidae, exsertae, saepius quatuor, rarius octo vel novem. *Stylus* staminibus longior. *Variat* rarius et foliis magis vel minus hirsutis et albo villosis.

16. E. (*capitata.*) mutica; foliis ternis, ovatis, hirsutis; floribus umbellatis; calycibus lanatis. ERICA *capitata*. *Linn.* Spec. Plant. p. 504. Syst. Veg. XIV. p. 367. *Bergii* Plant. Cap. p. 94. ERICA *bruniades*. *Linn.* Spec. Plant. p. 504. Syst. Veg. XIV. p. 369.

Caulis raro erectus, saepius decumbens, glaber, flexuosus, filiformis. *Rami* filiformes, flexuosi, villosi. *Ramuli* capillares, frequentes, tomentosi. *Folia* patentia, pilis longis hirta. *Flores* in extremis ramulis terminales, pedunculati, solitarii, bini vel terni, calycibus totis densissime albo-lanatis. *Antherae* exsertae, purpureae. *Stylus* exsertus antheris paulo longior.

17. E. (*passerinae.*) mutica; foliis ternis, ovatis, glabris; floribus subsolitariis; calycibus tomentosis. ERICA *passerinae*. *Montin* Act. Nova Upsal. Vol. 2. p. 289. tab. 9. f. 1. *Linn.* Suppl. Syst. p. 221. Syst. Veg. XIV. p. 367.

Caulis erectus, teres, inferne glaber, supra tomentosus, bipedalis. *Rami* sparsi et subverticillati, breves, erecti, albo-tomentosi. *Ramuli* brevissimi. *Folia* obtusa, supra plana, incurvata, subtus sulcata, adpressa, internodiis breviora, lineam vix longa. *Petioli* brevissimi, tomentosi. *Flores* in ramulis lateralibus terminales, solitarii et bini, pedunculati, erecti. *Pedunculi* teretes, albo tomentosi, unguiculares. *Calycis* foliola basi cohaerentia, ovata, albo-tomentosa, corollâ duplo breviora. *Corolla* campanulata, rubra. *Antherae* stylusque inclusus.

18. E. (*tota.*) mutica; foliis ternis, oblongis, hispidis; floribus ternis; calycibus ciliatis. ERICA *tota*. *Diss. de Erica* p. 18.

Caulis fruticosus, inferne nudus, erectus, pedalis et ultra. *Rami* dichotomi et trichotomi, divaricati, erecti, hispidi. *Ramuli* ramis similes, superne frequentes. *Folia* patenti-reflexa, lineam longa. *Flores* in ultimis ramulis terminales, solitarii, bini et terni, brevissime pedunculati, cernui, albidi. *Calycis* foliola ovata, albida, corollâ breviora. *Bracteae* ad basin calycis ovatae, albae, calyciformes. *Antherae* stylusque inclusus.

19. E. (*virgata.*) mutica; foliis ternis, oblongis, scabris; floribus ternis, globosis; calycibus integris; stylo exserto. Erica *virgata. Bergii* Plant. Cap. p. 97. Erica *absenthoides. Linn.* Mant. p. 66. Syst. Veg. XIV. p. 368.

Crescit in Monte Tabulari; in campis sabulosis inter Cap et Bayfals. Floret Julio et insequentibus mensibus:

Caulis erectus, totus hirtus, pedalis. *Rami* sparsi et subterni, filiformes, virgati, vel paniculati, erecti, hispidi, frequentes, digitales. *Ramuli* subopposita, frequentissimi, brevissimi. *Folia* supra plana, subtus convexa, sulcata, pilosa, patentia, lineam longa. *Flores* in ramis terminales. *Calycis* foliola ovata, integra, corollâ duplo breviora. *Corolla* globosa, pallida. *Antherae* inclusae. *Stylus* stigmate peltato. *Variat* α. Caule virgato, ramis foliisque valde hirsutis et scabris. β. Caule virgato ramisque hirsutis; foliis rugosis, villosis, patulis. γ. Caule paniculato, ramulis brevissimis, foliisque parum scabris et hirtis.

20. E. (*absinthoides.*) mutica; foliis ternis, oblongis, glabris; floribus terminalibus, globosis; stylo peltato, exserto. Erica *virgata.* δ. *glabra. Thunb. Diss. de Erica.* p. 18. N. 18.

Caulis fruticosus, erectus, cinereus, pedalis. *Rami* et *Ramuli* sparsi, virgati, cinerei. *Folia* terna, lineari ovata, sulcata, obtusa, glabra, imbricata. *Flores* solitarii, bini, terni, minuti, glabri. *Stylus* subexsertus.

21. E. (*ciliaris.*) mutica; foliis ternis, ovatis, ciliatis; floribus axillaribus, campanulatis; calycibus ciliatis Erica *ciliaris. Linn.* Spec. Plant. p. 503. Syst. Veg. XIV. p. 368.

Caulis decumbenti-erectus, basi glaber, supra villosus, bipedalis. *Rami* et *Ramuli* sparsi et terni, filiformes, divaricato-patentes et reflexi, villosi. *Folia* acuta, margine reflexo, supra viridia, subtus glauca, patentia, frequentia, lineam longa. *Flores* racemosi et verticillato-terni, cernui. *Calycis* foliola foliis similia, reflexa, corollâ duplo breviora. *Corolla* oblonga, alba. *Antherae* inclusae, purpureae. *Stylus* exsertus, corollâ duplo fere longior.

22. E. (*hispida.*) mutica; foliis ternis, ovatis, integris; floribus umbellatis, globosis; calycibus integris. Erica *hispida. Linn.* Suppl. p. 222. Syst. Veg. XIV. p. 368.

Crescit in summo Monte Tabulari. Floret Julio, Augusto, Septembri.

Caulis erectus, totus villoso-hispidus, bipedalis. *Rami* et *Ramuli* sparsi, bini ternique, basi divaricati, erecti, valde hispidi; ultimi ramuli alterni, brevissimi. *Folia* acuta, margine reflexo, glabra, raro subciliata, erecta, patentia, lineam longa. *Flores* in ultimis ramulis terminales, raro solitarii vel bini, saepe tres vel plures, erecti. *Calycis* foliola lanceolata, glabra, erecta, albida. *Corolla* minuta, albida, glabra. *Antherae* inclusae.

Stylus exsertus, stigmate peltato. *Similis* valde: E. *planifoliae;* sed differt: 1. Caule fruticoso, erecto; 2. Antheris muticis. 3. Foliis vix ciliatis, revolutis, magis approximatis. 4. Corollis globosis, glabris.

23. E. (*Petiverii.*) mutica; foliis ternis, linearibus, reflexis, glabris; floribus terminalibus, solitariis, cylindricis; bracteis imbricatis. Erica *Petiverii. Linn*: Mant. p. 235. Syst. Veg. XIV. p. 369. Erica *Plukenetii. Bergii* Plant. Cap. p. 91.

Crescit in campis sabulosis juxta rivulos; in collibus montium, prope urbem; in Monte Tabulari, alibique. Floret Majo et sequentibus mensibus hybernis.

Caulis flexuoso-erectus, glaber, pedalis vel ultra. *Rami* sparsi, frequentes, simplices, saepe secundi, brevissimi. *Folia* basi ciliata, recurva unguicularia. *Flores* in apicibus ramulorum recurvi. *Bracteae* tres, calyciformes, (unde calyx heptaphyllus) ovatae, acutae, pallidae, glabrae. *Calycis* foliola ovata, acuta, concava, dorso carinata, integra, pallida, glabra. *Corolla* cylindrica, curvata, glabra, pollicaris, rubeus. *Filamenta* capillaria, longitudine corollae. *Antherae* lineares, exsertae, unguiculares, attenuatae in filamenta. *Stylus* exsertus, staminibus paulo longior, stigmate parum incrassato. *Variat* 1. foliis squarrosis longioribus. 2. foliis erectis brevioribus.

24. E. (*pilifera.*) mutica; foliis ternis, glabris, mucronato-piliferis; floribus terminalibus, aggregatis.

Caulis fruticosus, decumbens, palmaris. *Rami* sparsi, erectiusculi, cinerei, pollicares. *Folia* breviter petiolata, trigona, sulcata, laevia, mucronata seu apice pilifera, imbricata. *Flores* subterni, glabri, lutescentes. *Bracteae* plures, glabrae, uti et calyx. *Corolla* oblonga, glabra. *Antherae* exsertae, fissiles.

25. E. (*scariosa.*) mutica; foliis ternis, linearibus, glabris; floribus racemosis, campanulatis; bracteis remotis.

Caulis fruticosus, erectus, glaber, ramosus. *Rami* sparsi, pauci, erecti. *Folia* trigona, obtusa, sulcata, recta, imbricato-erecta, lineam longa. *Flores* versus summitates alterni, cernui. *Pedunculi* filiformes, rufescentes, glabri, longitudine foliorum. *Bracteae* in basi pedunculi, ovatae, minutissimae, glabrae, margine scariosae. *Calycis* laciniae trigonae, acutae, glabrae, margine albo scariosae. *Corolla* ovato-campanulata absque tubo, ventricosa, glabra, antheris brevior.

26. E (*Plukenetii.*) mutica; foliis ternis, linearibus, glabris; floribus racemosis, cylindricis; bracteis remotis. Erica *Plukenetii. Linn.* Spec. Plant. p. 504. Syst. Veg. XIV. p. 369. *Diss. de Erica* p. 21. tab. 2.

Crescit in montibus et collibus prope Cap et alibi vulgaris. Floret Januario, Februario atque Martio.

Frutex totus glaber, erectus, pedalis. *Rami* dichotomi et

trichotomi, teretes, a casu foliorum nodoso-scabri, flexuosi, erecti, ramulis similibus fastigiatis. *Folia* lineari-trigona, acuta, integra, incurva, unguicularia. *Flores* in ramulis inter folia cernui. *Pedunculi* recurvati. *Calycis* foliola ovata, acuta, carinata, integra, virescentia, glabra, lineam longa. *Corolla* curvata, purpurea, glabra. *Antherae* lineares, exsertae, purpureae, pollicares. *Stylus* exsertus, longitudine staminum, stigmate parum incrassato.

†††. *foliis quaternis pluribasve.*

27. E. (*cephalotes.*) mutica; foliis senis, lanceolatis; floribus verticillato-capitatis, clavatis. Erica *cephalotes. Diss. de Erica* p. 21.

Frutex glaber, punctato-scaber, erectus, pedalis. *Rami* verticillati, divaricato-erecti, cauli similes, subfastigiati, raro ramulosi, pubescentes. *Folia* glabra, patentia, apice incurvata, approximata, supra plana, subtus convexa, unguicularia. *Flores* in apicibus purpureis, glabri. *Corolla* clavato-cylindrica, obtusa, unguicularis. *Antherae* inclusae. *Stylus* exsertus. *Differt* 1. ab *empetrifolia*, cui similis: *α.* foliis laevibus, non sulcatis; *β.* corollis minoribus. 2. ab Erica *pulchella: α.* floribus sessilibus, villosis. *β.* foliis latioribus.

28. E. (*pulchella.*) mutica; foliis senis, lanceolatis; floribus axillaribus., tubuloso-campanulatis. Erica *pulchella. Diss. de Erica* p. 22. tab. 4.

Floret Januario et sequentibus mensibus.

Frutex totus glaber, erectus, pedalis. *Rami* verticillati, subsimplices, erecto-patentes, longi. *Folia* oblique verticillata, lineari-lanceolata, integra, glabra, incurva, supra plana, subtus convexiuscula sulco tenuissimo, erecto-patentia, internodiis multoties longiora, unguicularia. *Flores* in ramis laterales, breviter pedunculati, subdistichi, speciosi, horizontales. *Bracteae* foliaceae in pedunculo. *Calycis* foliola lineari-lanceolata, subtus sulcata, adpressa, viridia, corollâ triplo breviora. *Corolla* apice dilatata, tenuissime villosa, crassa, purpurea, unguicularis: ore obtuso laciniisque reflexis. *Antherae* inclusae. *Stylus* exsertus stigmate capitato. *Differt* ab E. *coccinea* antheris inclusis; corollâ clavatâ.

29. E. (*vestita.*) mutica; foliis senis, linearibus, secundis; floribus axillaribus, clavatis, villosis. Erica *vestita. Diss. de Erica* p. 22.

Caulis erectus, cinereo-fuscus, glaber, pedalis. *Rami* verticillati, erecto-patentes, ramulis similibus. *Folia* obliqua, attenuata in petiolos capillares, semiunguiculares, acuta, integra, glabra, supra concava, subtus convexa absque sulco, basi imbricata, subsecunda, apice patenti-recurva, subpollicaria. *Flores* in ramulis mediis subverticillati, breviter pedunculati, erecti. *Calycis* foliola basi lata, dein lineari-subulata, viridia, glabra, corollâ triplo breviora. *Corolla* curvata, obtusa, alba, pollica-

ris. *Antherae* subexsertae, purpureae. *Stylus* exsertus stigmate fusco.

30. E. (*pinea.*) mutica; foliis senis, lineari-lanceolatis; floribus verticillatis, clavatis, glabris. Erica *pinea. Diss. de Erica.* p. 23.

Fratex totus glaber, cinereo-fuscus, erectus, plus quam pedalis. *Rami* verticillati, erecto-patentes, raro ramulosi, cauli similes. *Folia* glabra, supra plana, subtus convexa sulco longitudinali, erecto-incurvata, unguicularia. *Flores* in mediis ramis et ramulis subverticillati, brevissime pedunculati, erecti. *Calycis* foliola basi latiora, dein lineari-subulata, glabra, corollâ triplo breviora. *Corolla* curvata, alba, obtusa, pollicaris. *Antherae* minutae, purpureae, subinclusae. *Stylus* vix exsertus. *Differt* ab E. *Vestita:* foliis lanceolatis sulcatis; corollis glabris.

31. E. (*coccinea.*) mutica; foliis senis, lanceolatis; floribus racemosis, clavatis, villosis. Erica *coccinea. Linn.* Sp. Pl: p. 505. Syst. Veg. XIV. p. 368.

Crescit inter Cap et Bayfalso, et in collibus intra Taffelberg, latere orientali. Floret Majo, Junio, Julio, Augusto.

Fratex glaber, erectus, pedalis. *Rami* verticillati, basi divaricati, flexuoso-erecti, subfastigiati. *Folia* acuta, glabra, supra plana, subtus convexa sulco longitudinali incurvata, patentia, semiunguicularia. *Flores* in summitate ramorum subverticillati. *Pedunculi* brevissimi. *Calycis* foliola ovata, acuminata, villosa, corollâ quadruplo breviora. *Corolla* incurvata, sanguinea, pubescens. *Antherae* subexsertae. *Stylus* exsertus. *Variat* foliis senis, septem et octo.

32. E. (*grandiflora.*) mutica; foliis quaternis, linearibus, glabris; floribus racemosis, clavatis, glabris. Erica *grandiflora. Linn.* Suppl. p. 223. Syst. Veg. XIV. p. 370.

Caulis fuscus, erectus, punctato-scaber, pedalis et ultra. *Rami* alterni et verticillati, erecti, cauli similes, simplices. *Folia* acuta, integra, supra plana, subtus convexa sulco longitudinali, incurvata, patentia; summa recta, erecta; unguicularia. *Flores* in apice ramorum, erecti. *Calycis* foliola ovata, acuminata, corollâ multoties breviora. *Corolla* curvata, coccinea, pollicaris. *Antherae* stylusque exsertus. *Simillima* E. *coccineae*, a qua vix differt, nisi foliis quaternis, et corollis glabris.

33. E. (*cylindrica.*) mutica; foliis quaternis, trigonis glabris; floribus terminalibus, cylindricis, glabris. Erica *cylindrica. Diss. de Erica* p. 24.

Fratex glaber totus, flexuoso-erectus, bipedalis. *Rami* et *Ramuli* trichotomi et dichotomi, cauli similes. *Folia* ramulorum supra plana, subtus convexa, sulco longitudinali, nitida, imbricata, lineam longa. *Flores* in ultimis ramulis subsolitarii, erecti. *Calycis* foliola carinata, subulata, glabra, corollâ triplo breviora. *Corolla* alba, semipollicaris. *Antherae* stylusque inclusus.

34. E. (*curviflora.*) mutica; foliis quaternis, trigonis, glabris; floribus terminalibus solitariis, curvatis, clavatis, glabris. Erica *curviflora. Linn.* Spec. Plant. p. 505. Syst. Veg. XIV p. 368.

Crescit juxta rivos in regionibus Drakensteen, Roode Sand, et alibi. Floret Septembri et insequentibus mensibus.

Caulis erectus, glaber vel superne villosus, bipedalis. *Rami* subverticillati, erecti, ramulosi: ramulis brevissimis, frequentissimis, sparsis. *Folia* supra plana, subtus convexo-trigona: sulco tenuissimo; imbricata, lineam longa. *Flores* in ramulis, cernui, racemum quasi formantes longum, subsecundi vel distichi. *Calycis* foliola ovata, acuminata, glabra, corollâ quadruplo breviora. *Corolla* cylindrica, subclavata, obtusa, sanguinea, pollicaris. *Antherae* inclusae. *Stylus* subexsertus.

35. E. (*tubiflora.*) mutica; foliis quaternis, trigonis, ciliatis; floribus terminalibus, solitariis curvatis, clavatis, hirsutis. Erica *tubiflora. Linn.* Spec. Plant. p. 505. Syst. Veg. XIV. p. 368.

Crescit cum priori, vulgatissima. Floret Septembri usque ad finem anni.

Caulis flexuosus, erectus, cinereus, superne tomentosus, bipedalis. *Rami* sparsi, filiformes, frequentes, tomentosi, virgati *Folia* supra plana, subtus convexa sulco longitudinali, subciliata, imbricata, lineam longa. *Flores* in ramulis quasi racemum formantes, secundi. *Calycis* foliola oblonga, acuta, brevissima. *Corolla* villosa, pollicaris. *Antherae* stylusque subexsertus.

36. E. (*conspicua.*) mutica; foliis quaternis, ovatis, glabris; floribus terminalibus, solitariis, hirsutis. Erica *conspicua. Hort. Kewens.* Vol. 2. p. 22. An satis distincta ab E. *tubiflora* foliis?

Rami teretes, cinerei, hirti, curvato-erecti. *Ramuli* brevissimi, virgati. *Folia* brevissime petiolata, oblonga; supra plana, subtus convexa, sulcata; utrinque glabra, imbricata. *Flores* in ramulis. *Calycis* foliola ovata, glabra. *Corolla* subcylindrica, clavata, hirta, curva. pollicaris, limbi laciniis reflexis. *Filamenta* 8, capillaria, longitudine corollae. *Antherae* exsertae. *Stylus* corollâ staminibusque longior.

37. E. (*glandulosa.*) mutica; foliis quaternis, linearibus, glanduloso-pilosis; floribus clavatis, glabris; calycibus hispidis. Erica *glandulosa. Diss. de Erica* p. 25.

Folia obtusa, supra plana, subtus profunde sulcata, pilis glandulosis hispida, imbricata, lineam longa. *Calycis* foliola ovata, brevissima, pilis glanduloso-capitatis viscidis hispida. *Corolla* cylindrico clavata, sanguinea, pollicaris. *Antherae* inclusae. *Stylus* exsertus stigmate capitato. *Differt* facile a congeneribus pilis glanduloso-capitatis et viscidis.

38. E. (*transparens.*) mutica; foliis quaternis, trigonis, ciliatis; floribus terminali-subsolitariis.

Crescit in montibus Drakensteen et Hottentotts Holland. *Rami* cinereo-pubescentes, erecti. *Ramuli* frequentissimi, brevissimi, virgati, foliis tecti. *Flores* in ultimis ramulis solitarii, raro bini vel tres, erecti. *Folia* incurva, imbricata, semiunguicularia. *Calycis* foliola basi lata, ovata, inde acuminata, hirta, corollâ multoties breviora. *Corolla* campanulata, sensim dilatata, albido-incarnata. *Filamenta* 8, capillaria, alba, corolla paulo breviora. *Antherae* purpurascentes, inclusae, pertusae, didymae. *Stylus* filiformis, longitudine corollae, inclusus.

39. E. (*cerinthoides.*) mutica; foliis quaternis, oblongis, ciliato-serratis; floribus cylindricis, villosis; calycibus serratis. Erica *cerinthoides. Linn.* Spec. Pl. p. 505. Syst. Veg. XIV. p. 368. *Bergii* Pl. cap. p. 104.

Crescit in collibus infra montem tabularem et Stenberg, vulgaris; β) in montibus Langekloof, alibique. Floret ab Octobri usque ad Martium.

Caulis cinereus, erectus, bipedalis. *Rami* dichotomi et trichotomi, divaricati, basi erecti, raro ramulosi ramis fastigiatis similibus. *Folia* ovata, acuta, supra plana, subtus convexa sulco longitudinali, imbricata, lineam longa. *Flores* terminales, umbellati, erecti. *Pedanculi* hispidi, breves. *Calycis* foliola lanceolata, ciliato-hispida, adpressa, corollâ triplo breviora. *Corolla* inflata, truncata, piloso-hispida, semipollicaris. *Antherae* tetragonae, inclusae. *Stylus* exsertus. *Variat α.* corollis rubris, pilosis. *β.* corollis rubris, strigosis. *γ.* corollis albis, crystallinis.

40. E. (*Sparrmanni.*) mutica; foliis quaternis, oblongis, ciliato-serratis; floribus campanulatis, calycibusque strigosis. Erica *Sparrmanni. Linn.* Act. Holmens. 1772 p. 24. tab. 2. Suppl. p. 219. Syst. Veg. XIV p, 369.

Crescit in montibus circa Langé Kloof, et alibi rarior. Floret a Novembri usque ad Martium.

Caulis erectus, cinereus, pedalis et ultra. *Rami* verticillati, elongati, erecti. *Ramuli* oppositi et sparsi, frequentes, brevissimi. *Folia* ciliis luteis, supra plana, subtus a marginibus revolutis sulcata, imbricata, ultra lineam longa. *Flores* in ramulis terminales, umbellati, subquaterni. *Calycis* foliola oblonga, flavescentia, setis flavis longis hispida. *Corolla* setis longioribus flavescentibus valde strigosa, unguicularis. *Antherae* inclusae. *Stylus* exsertus stigmate peltato. Valde similis E. *Cerinthoidi*, a qua differre videtur: 1. foliis longioribus. 2. corollis paucioribus, brevioribus. 3. setis strigosis, flores totos obtegentibus.

41. E. (*Massoni.*) mutica; foliis quaternis, oblongis, serratis, villosis; floribus cylindricis, viscosis. Erica *Massoni. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 369. Suppl. p. 221. *Diss. de Erica* p. 27. tab. 3.

Crescit in montibus Hottentotts Holland adjacentibus. Floret ab initio anni usque ad Martium.

Caulis teres, bruneus, erectus, pedalis. *Rami* verticillato-terni, inaequales, erecti, foliis toti tecti. *Folia* ciliata, scabra, supra plana, subtus sulcata, octofariam imbricata. *Flores* terminales, umbellati, plurimi, speciosi. *Pedunculi* brevissimi, pilosi, subnutantes. *Calycis* foliola linearia, hirsuta, adpressa, corollâ multoties breviora. *Corolla* purpurea, unguiculàris, ore acutiusculo, parum aperto. *Filamenta* pallida, longitudine tubi. *Antherae* minutae, purpureae, inclusae. *Stylus* subexsertus.

42. E. (*ventricosa.*) mutica; foliis quaternis, trigonis, ciliatis; floribus ventricosis, glabris. Erica *ventricosa. Diss. de Erica* p. 27. tab. 1.

Caulis erectus, glaber, parum ramosus; spithamaeus. *Rami* alterni, in summitate frequentes, subvillosi, erecti. *Folia* lineari-trigona, acuta, subtus tenuissime sulcata, patentia, unguicularia. *Flores* in ramis terminales, umbellati, erecti. *Pedunculi* villosi, unguiculares. *Calycis* foliola lineari-trigona, glabra, adpressa, corollâ dimidio breviora. *Corolla* grossa, albo-purpurascens, subpellucida: ore quadrifido laciniisque reflexis. *Antherae* inclusae.

43. E. (*fastigiata.*) mutica; foliis quaternis, trigonis, glabris; floribus capitatis; calycibus integris Erica *fastigiata. Linn.* Mant. p. 6. Syst. Veg. XIV. p. 368.

Crescit in Platte Kloof, Fransche Hoek, et in montibus Hottentotts Holland. Floret a Novembri ad mensem Februarii.

Caulis brevissimus, ramosus, vel caules plures radicales, subsimplices, fastigiati, cinerei, glabri, palmares vel paulo ultra. *Rami* et *ramuli* terni, flexuosi, fastigiati. *Folia* imbricata, lineam longa. *Flores* terminales, erecti. *Calycis* foliola oblonga, acuta, margine membranacea, integra, carinata, glabra. *Corolla* oblonga, subcylindrica, basi inflata, glabra, extus pallide sanguinea, intus alba; laciniis ovatis, reflexis. *Antherae* stylusque inclusus.

44. E. (*comosa.*) mutica; foliis quaternis, trigonis, glabris; floribus capitatis; calycibus ciliatis. Erica *comosa. Linn.* Mant. p. 234. Syst. Veg. XIV. p. 369. Erica *transparens. Berg.* Plant. cap. p. 108.

Crescit in summitate montis tabularis et in Platte Kloof. Floret Novembri et insequentibus mensibus.

Frutículus totus glaber, erectus, pedalis et ultra. *Rami* et *Ramuli* dichotomi, trichotomi et verticillati, superiores filiformes, flexuosi, erecti, virgati. *Folia* supra plana, subtus sulcata, imbricata, lineam longa. *Flores* in ramulis terminales, per ramulos quasi spicam comosam densam digitalem formantes. *Calycis* foliola lanceolata, margine scariosa, glabra, corollâ diplo breviora. *Corolla*, *Antherae* et *Stylus* ut in E.

fastigiata. Valde affinis et similis E. *fastigiatae;* differt tamen: 1. foliis subtus manifeste sulcatis. 2. floribus non fastigiatis, sed racemum spicatum formantibus, licet in ramulis capitatis. 3. calycibus ciliatis.

45. E. (*dentata.*) mutica; foliis quaternis, trigonis, glabris; floribus capitatis; calycibus serratis. Erica *denticulata. Linn.* Mant. p. 229. Syst. Veg. XIV. p. 368.

Caulis flexuosus, erectus, palmaris, totus glaber. *Rami* pauci in summitate caulis, breves, erecti. *Folia* imbricata. *Flores* in apice ramorum subterni. *Bracteae* naviculares, ciliato-serratae, calyciformes, pallidae carinâ viridi, longitudine calycis. *Calycis* foliola ovata, acuta, lacero-ciliata, inflato-concava, pallida, glabra, corollâ duplo breviora. *Corolla* subcylindrica, purpurea, laciniis oblongis reflexis. *Antherae* stylusque inclusus.

46. E. (*viscaria.*) mutica; foliis quaternis, trigonis, glabris; floribus racemosis, campanulatis; calyce rudi, ciliato. Erica *viscaria. Linn.* Mant. p. 231. Syst. Veg. XIV. p. 369.

Crescit extra urbem in collibus infra Taffelberg, imprimis latere orientali. Floret Majo et sequentibus mensibus.

Caulis flexuoso-erectus, bipedalis vel ultra. *Rami* et *Ramuli* verticillati, terni, quaterni et plures, inferne villosi, superne albo-tomentosi, virgati. *Folia* acuta, supra plana, subtus convexa sulco longitudinali, imbricata apice incurvo, semiunguicularia. *Flores* in medio ramulorum, comosi, patentes, sanguinei. *Pedunculi* tomentosi, unguiculares; *bracteis* tribus, lineari-lanceolatis, pallidis. *Calycis* foliola naviculariа, viridia, glabra, ciliata, corollâ dimidio breviora. *Corolla* glabra, magnitudine pisi minoris. *Antherae* inclusae. *Stylus* raro exsertus, saepius inclusus.

47. E. (*caduca.*) mutica; foliis quaternis, lanceolatis, glabris; floribus caducis; caule flexuoso, debili.

Crescit in summo Monte Tabulari in lateribus praeruptis. Floret Februario.

Tota glabra. *Caulis* fruticescens, basi decumbens et flexuosus, apice erecto-incurvus, rufescens. *Rami* et *Ramuli* filiformes, elongati, flexuosi, striato-subangulati, rufescentes. *Folia* petiolata, patentia, unguicularia. *Petioli* breves erecto-adpressi. *Corollae* cylindricae, albidae.

48. E. (*purpurea.*) mutica; foliis quaternis, ovatis, subciliatis; floribus umbellatis; caule flexuoso, erecto. Blaeria *purpurea Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 154. Suppl. p. 122.

Crescit in monte Taffelberg vulgatissima pulcherrima. Floret Augusto et sequentibus mensibus.

Caulis frutescens, fuscus, pedalis et ultra. *Rami* alterni, flexuosi, divaricati, fusci. *Ramuli* sparsi, frequentissimi, filiformes, flexuosi, fusco-cinerei, glabri, erectiusculi, foliosi

Folia terna, *) brevissime petiolata, obtusa, supra plana, subtus convexa et sulcata, imbricata, glabra, dimidiam lineam longa. *Flores* in ultimis ramulis aggregati, copiosi, erecti. *Pedunculi* capillares, longitudine foliorum, purpurascentes. *Bracteae* duae, breves. *Calyx* brevissimus, 4-phyllus, carinatus, acutus, glaber. *Corolla* cylindrica, purpurea. *Filamenta* 4, brevia. *Antherae* purpurascentes, subexsertae. *Stylus* filiformis, corollâ longior.

49. E. (*articulata.*) mutica; foliis quaternis, ovatis, glabris; floribus capitatis, cernuis. Blaeria *articulata. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 154. Mantiss. p. 198.

Crescit in Fransche Hoek, Bayfalso et alibi, rarior. Floret Januario et aliis mensibus.

Caulis fruticosus, erectus, fusco-cinereus. *Rami* sparsi et *Ramuli* filiformes, aggregati, virgati, erecti, cinereo-tomentosi, apice cernui. *Folia* obtusa, supra plana, subtus convexa, dorso sulcata sulco albo, margine integra vel tenuissime villosa, imbricata, lineam dimidiam longa. *Flores* in ramulis terminales, copiosi, sessiles, capitulis nutantibus. *Calyx* villosus. *Corollae* cylindricae, subclavatae, incurvae, albido incarnatae, glabrae. *Filamenta* 4, capillaria, purpurea, corollâ longiora. *Antherae* oblongae, fissiles seu bipartitae, purpurascentes, exsertae. *Stylus* staminibus longior, capillaris. *Stigma* simplex, obtusum. Facile cognoscitur capitulis cernuis.

50. E. (*fasciculata.*) mutica; foliis quaternis, lanceolatis, ciliato-scabris; capitulis erectis.

Crescit in summo monte Taffelberg in Promontorio bonae Spei Africes. Floret Augusto.

Caulis erectus, cinereus, glaber, ramosus. *Rami* sparsi, flexuoso-erecti, cinerei, glabri. *Ramuli* sparsi et verticillati; superiores filiformes, cinerei, villosi et tomentosi, subfastigiati, flexuosi. *Folia* ovato lanceolata, obtusa, supra plana, subtus convexa, sulcata, margine scabra et ciliata; patentia, lineam longa. *Flores* in summitatibus ramulorum terminales, capitati. *Calyx* et *Corolla* albae, glabrae. *Filamenta* 4, brevia. *Antherae* purpurascentes, inclusae.

51. E. (*scabra.*) mutica; foliis quaternis, lanceolatis, piloso-hispidis; florum capitulis erectis; corollis clavatis.

Caulis cinereus, purpurascens, glaber, erectus. *Rami* teretes, flexuosi, similes. *Ramuli* capillares, subfastigiati, piloso-hispidi. *Folia* brevissime petiolata, obtusiuscula, supra convexa, subtus sulcata, margine revoluto, undique piloso-hispida, imbricata. *Flores* terminales, capitati. *Corollae* minutae, tubuloso-campanulatae, glabrae, albae. *Filamenta* 4, purpurascentia. *Antherae* bifidae, rufae, exsertae. *Stylus* filiformis, exsertus.

*) Supra *quaterna. Editor.*

52. E. (*blaeria.*) mutica; foliis quaternis, oblongis, villoso-scabris; capitulis erectis; corollis campanulatis. Blaeria *ericoides Linn.* Sp. Pl. p. 162. Syst. Veg. XIV. p. 154.

Crescit in collibus prope et extra Cap, vulgaris. Floret per plures menses.

Caulis erectus, totus fusco-cinereus, ramosissimus. *Rami* et *Ramuli* sparsi et subverticillati, cinereo-tomentosi, virgati; ultimi filiformes, valde tomentosi et villosi. *Folia* ovata, obtusa, crassiuscula, adpressa, supra plana, subtus convexa et sulcata, undique scabra et villosa, vix lineam longa. *Flores* terminales in ultimis ramulis, aggregati, sessiles, subcapitati. *Calyx* albo-hirsutus. *Corolla* ovato-cylindrica, purpurea. *Filamenta* quatuor, capillaria, longitudine corollae. *Antherae* ovatae, exsertae. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* capitatum.

53. E. (*hirsuta.*) mutica; foliis quaternis, lanceolatis, scabris, pilosis; calycibus lanatis.

Crescit in Promontorio bonae Spei rarior.

Caulis frutescens. *Rami* et *Ramuli* sparsi, cinerei, tomentosi, flexuoso-erecti. *Folia* breviter petiolata, obtusa, incurva, imbricata, supra planiuscula, subtus convexa et sulcata, scabrida et pilis albis laxis villosa, lineam longa. *Flores* in ramulis terminales, aggregati, subracemosi. *Calyces* hirsutissimi pilis longis, albis. *Corolla* campanulata, purpurascens, glabra. *Filamenta* 4, capillaria. *Antherae* purpureae, exsertae, bipartibiles.

54. E. (*racemosa.*) mutica; foliis quaternis, lanceolatis, villosis; floribus racemosis, globosis; calycibus tomentosis. Erica *racemosa. Diss. de Erica* p. 31. tab. 5.

Caulis erectus, pedalis et ultra. *Rami* verticillati et elongati, divaricato-erecti, pubescentes. *Ramuli* verticillati, breves, per intervalla sparsi, villosi. *Folia* obtusa; supra plana, laeviuscula; subtus sulcata, hispida; patentia, lineam longa. *Flores* in ramulis subnutantes, incarnati. *Racemi* subdistichi, pollicares usque digitales. *Pedunculi* capillares, villosi, cernui, corollae longitudine. *Calycis* foliola ovata, obtusa, incano-tomentosa, adpressa, brevissima. *Corolla* subglobosa ore patulo, obtusa. *Antherae* exsertae, bruneae. *Stylus* exsertus, staminibus longior stigmate capitato. Differt 1. ab E. *purpurascente:* caule erecto. 2. ab E. *vaginante:* foliis pilosis. 3. ab E. *mediterranea:* foliis pilosis corollâque globosâ. 4. ab E. *hirta:* floribus racemosis.

55. E. (*cubica.*) mutica; foliis quinis, trigonis, incurvis, glabris; floribus umbellatis, globosis; calyce colorato, carinato. Erica *cubica. Linn.* Mant. *p.* 233. Syst. Veg. XIV. p. 368.

Frutex totus glaber, bruneus, erectus, pedalis. *Rami* et *Ramuli* trichotomi, filiformes, flexuosi, laxi, erecti, subfastigiati. *Folia* quaterna, saepe quina, trigono-subulata, paten-

tia, internodiis parum longiora, semilineam longa. *Flores* in apicibus ramulorum plurimi, cernui. *Pedunculi* angulati, scabridi, purpurei. *Calycis* foliola ovata, acuta, carinata, purpurea, glabra, corollà paulo breviora. *Corolla* globoso-campanulata, purpurea. *Antherae* inclusae. *Stylus* exsertus, corollà duplo longior, purpureus: stigmate fusco, parum incrassato. *Singularis* foliis incurvatis.

56. E. (*incurva.*) mutica; foliis quinis, trigonis, incurvis, glabris; floribus racemosis, ovatis calyce viridi.

Crescit in interioribus provinciis.

Caulis erectus, cinereus, ramosus, bipedalis et ultra. *Rami* verticillato-terni, quaterni, elongati, ramulis paucis similibus. *Folia* linearia, obtusa, integra, sulcata, lineam longa. *Flores* versus summitates ramorum et ramulorum comosi, cernui. *Calyx* carinatus, acutus. *Corolla* ovato-campanulata, rubra, glabra. *Stylus* corollae aequalis, vix exsertus.

** *Aristatae:*

†. *foliis oppositis:*

57. E. (*glutinosa.*) aristata; foliis oppositis, sparsisque, linearibus, ciliato-glandulosis. ERICA *glutinosa.* BERGII Plant. Cap. p. 99. ANDROMEDA *droseroides.* *Linn.* Mant. p. 239. Syst. Veg. XIV. p. 406.

Crescit in planitie frontis Taffelberg, copiose. Floret Martio, Aprili, Majo.

Caulis erectus, palmaris usque spithamaeus, totus viscosus. *Rami* sparsi, filiformes, hirsuti, erecto-patentes, virgati. *Folia* obtusa, supra plana, subtus convexa, hirsuta, pilis glandulosis ciliata, patentia, approximata, semiunguicularia. *Flores* terminales, racemoso-subumbellati, erecti. *Pedunculi* filiformes, pilis glandulosis hirti, foliis duplo longiores. *Bracteae* supra medium pedunculi minimae. *Calycis* foliola ovata, acuta, glabra, concava, viridia, corollà triplo breviora. *Corolla* ovato-oblonga, pubescens, purpurascens ore obtuso laciniisque reflexis. *Antherae* inclusae. *Stylus* subexsertus stigmate capitato. Florum multa millia aperui et octo stamina constanter numeravi; idcirco non *Andromeda.*

58. E. (*lutea.*) aristata; foliis oppositis, lineari-trigonis, glabris. ERICA *lutea.* *Bergii* Plant. Cap. p. 115. *Linn.* Mant. p. 234. Syst. Veg. XIV. p. 364. ERICA *albens.* *Linn.* Mant. p. 231.

Crescit in summitate montis Tabularis. Floret Martio et sequentibus mensibus.

Frutex totus glaber, caule rufescente, erecto, bipedali. *Rami* sparsi, erecto-patentes, virgati. *Ramuli* sparsi, filiformes, frequentissimi, virgati, breves. *Folia* obtusa, subtus sulcata, imbricata, lineam longa. *Flores* in ultimis ramulis solitarii, bini vel terni, erecti. *Bracteae* lineares, obtusae, concavae, pallidae. *Calycis* foliola ovata, acuminata, sub apice carinata,

adpressa, concava, corollâ duplo breviora. *Corolla* ovata, attenuata, semiunguicularis: ore ante florescentiam acuto, dein obtuso laciniisque reflexis. *Antherae* stylusque inclusus. *Variat* corollis, calycibus et bracteis lutcis et albis, adeo ut E. *Lutea* et *Albens* reverà non sint, nisi varietates. *Tota* tecta floribus nitidis, aureis vel argenteis, omnium pulcherrima.

††. *foliis ternis.*

59 E. (*paniculata.*) aristata; foliis ternis, trigonis, glabris; floribus lateralibus, aggregatis; caule erecto.

Caulis bipedalis et ultra. *Rami* sparsi, flexuoso-erecti, cinereo fusci, per spatia tomentosi. *Ramuli* filiformes, paniculati, virgati, cinereo-tomentosi. *Folia* brevissime petiolata, trigono-lanceolata, obtusa, subtus sulcata, integra, imbricata, lineam longa. *Flores* versus apices ramulorum cernui, brevissime pedunculati. *Pedanculi* corollâ breviores *Calyx* glaber, minutissimus. *Corolla* ovata, incarnato-alba. *Filamenta* 4, capillaria. *Antherae* bipartibiles, purpureae, exsertae. *Stylus* corolla duplo fere longior. *Stigma* crassius.

60. E. (*depressa.*) aristata; foliis ternis, oblongis, glabris; floribus subracemosis; caule decumbente Erica *depressa*. *Linn.* Mant p. 230. *Diss. de Erica* p. 33. tab. 6.

Crescit in lateribus rupium pone planitiem in summitate montis Tabularis. Floret Martio usque in Junium.

Fruticulus vix palmaris, fuscus, flexuosus, scaber, decumbens. *Rami* sparsi, decressi, similes cauli, ramulosi. *Folia* obtusa, supra concava, subtus trigono convexa, sulco longitudinali, imbricata, vix semiunguicularia. *Flores* racemosi vel terminales, albi. *Bracteae* lineares, concavae, pallidae. *Calycis* foliola oblonga, acuta corollam aequantia. *Corolla* campanulata, lineam longa. *Antherae* stylusque inclusus. *Vix* dici possunt antherae cristatae.

61. E. (*halicacaba.*) aristata; foliis ternis, lanceolatis, glabris; floribus solitariis; caule decumbente. Erica *halicacaba*. *Linn* Sp. Plant. p. 507. Syst. Veg. XIV. p. 364.

Crescit in rupibus praeruptis versus summitatem montis Tabularis latere occidentali. Floret ab initio anni usque ad Aprilis mensem.

Caulis glaber, scaber, fuscus, flexuosus, strictus, spithamaeus. *Rami* alterni, divaricati, cauli similes. *Ramuli* tomentosi, ramis similes. *Folia* acuta, supra plana, subtus convexa sulco tenui, patentia, unguicularia. *Flores* terminales, pedunculati. *Pedanculus* tomentosus, reflexus, unguicularis. *Bracteae* ovatae, acutae, approximatae, calyce multoties minores. *Calycis* foliola ovata, acuta, carinata, integra, adpressa, glabra, pallida, duas lineas longa. *Corolla* ovata, inflata, acuta, pallide incarnata; *laciniis* rectis, acutis, conniventibus. *Antherae* stylusque inclusus. *Corolla* ex omnibus Ericis maxima.

62. E. (*Monsoniana*) aristata; foliis ternis, ovatis, gla-

bris; floribus solitariis; caule erecto. ERICA *Monsoniana*. *Linn.* Suppl. p. 223. *Diss. de Erica* p. 34. tab. 1.

Crescit in montibus Hottentotts Holland, Fransche hoek, aliisque. Floret a Novembri ad Martium.

Caulis pubescens, aphyllus, bipedalis. *Rami* sparsi, frequentes, patentes, foliis tecti, brevissimi, simplices. *Folia* obtusa, subtus convexa sulco longitudinali, supra plana, integra, imbricata, vix lineam longa. *Flores* in ramis terminales, nutantes, albi. *Pedunculus* pubescens, reflexus, semiunguicularis. *Bracteae* ovatae, carinatae, acutae, albae, calyce paulo breviores, in medio pedunculo sitae. *Calycis* foliola ovata, acuta, concava, carinata, alba, glabra, corollâ fere triplo breviora. *Corolla* ovato-oblonga, sensim parum attenuata, inflata, pollicaris ore quadrifido: *laciniae* obtusae, brevissimae. *Antherae* oblongae, apice fissae, inclusae, basi bicornes, cornibus simplicibus. *Stylus* filiformis, longitudine corollae, inclusus *stigmate* capitato. *Similis* quidem E. *halycacabae*; differt vero: 1. foliis ovatis, nec linearibus. 2. Corollis minus profunde partitis et minus inflatis. 3. floribus copiosissimis. 4. caule erecto.

65. E. (*nigrita.*) aristata; foliis ternis, oblongis, glabris; floribus ternis; bracteis acutis, imbricatis. E. *nigrita*. LINN. Mant. p. 65. Syst. Veg. XIV. p. 364. ERICA *laricina*. *Berg.* Plant. Cap. p. 94.

Crescit in summitate montis Diaboli prope urbem. Floret Majo, Junio, Julio.

Caulis bruneus, erectus, pedalis et ultra. *Rami* et *Ramuli* sparsi et verticillati, flexuoso-erecti, virgati, cinereo-tomentosi. *Folia* lineari-ovata, obtusa, margine tenuissime scabra, supra plana, subtus convexa sulco tenui longitudinali, nitida, basi adpressa, a medio patenti-recurvata, lineam longa. *Flores* terminales, pedunculati, erecti. *Bracteae* oblongae, carinatae, albae, calyci approximatae, calyciformes. *Calycis* foliola ovata, acuta, carinata, tenuissime margine scabrida, alba, glabra, corollam subaequantia. *Corolla* campanulata, albida. *Antherae* purpureae *stylusque* inclusus.

64. E. (*regerminans.*) aristata; foliis ternis, linearibus, glabris; floribus racemosis; caule erecto. ERICA *regerminans*. *Linn.* Mant. p. 232. Syst. Veg. XIV. p. 364.

Frutex totus glaber, erectus, rufescens, bipedalis. *Rami* verticillati, longi, simplices, erecti. *Folia* acuminata, integra, patentia, internodiis longiora, unguicularia. *Flores* in ramis supremis secundi, cernui. *Pedunculi* purpurei, reflexi. *Bracteae* infra medium pedunculi minutae, coloratae. *Calycis* foliola lanceolata, carinata, rufescentia, glabra, adpressa, brevissima. *Corolla* ovato-cylindrica: ore aperto, obtuso; rufescens, glabra.

66. E. (*urceolaris.*) aristata; foliis ternis, lanceolatis, subtus tomentosis; floribus subracemosis, villosis. ERICA *ur-*

ceolaris. Berg. Pl. Cap. p. 107. Erica *pentaphylla. Linn.* Sp. Pl. p. 506. Syst. Veg. XIV. p. 364.

Crescit in montibus Rode Sand prope rivos infra Winterhoek; prope Paspas rivier alibique. Floret Septembri et insequentibus mensibus.

Caulis flexuoso-erectus, cinereus, bipedalis. *Rami* oppositi et terni, cinereo-villosi, virgati. *Ramuli* filiformes, sparsi, frequentes, virgati. *Folia* lineari-lanceolata, supra convexoplana; subtus sulcata a marginibus revolutis; tomentoso-albida, erecto-patentia, subcurvata, unguicularia. *Flores* subracemoso-umbellati, incarnati, toti hirsuti petiolis, calyce, corollâ. *Calycis* foliola lanceolata, corollâ duplo breviora. *Corolla* oblonga, subcampanulata, lineam longa. *Antherae* stylusque inclusus. *Variat* floribus valde hirsutis et pilosis, rubris et incarnato-albidis.

66. E. (*hirta.*) aristata; foliis ternis, linearibus, hispidis; floribus umbellatis; calyce scabro, rudi. Erica *hirta. Diss. de Erica* p. 36. tab. 2.

Floret Julio et sequentibus mensibus.

Caulis flexuoso-erectus, glaber, pedalis. *Rami* et *Ramuli* sparsi, virgati. *Folia* acuta, supra plana, subtus sulcata a marginibus revolutis scabra, ciliata, imbricato-patentia, subunguicularia. *Flores* terminales, incarnati. *Calycis* foliola lanceolata, ciliata, adpressa, corollâ duplo breviora. *Corolla* ovato-globosa, subvillosa. *Antherae* stylusque inclusus.

67. E. (*bicolor.*) aristata; foliis ternis, ovatis, scabris; floribus ternis, cernuis, glabris; calyce villoso, colorato. Erica *bicolor. Diss. de Erica* p. 36.

Crescit in Fransche hoek montibus. Floret a Januario usque ad Majum.

Caulis flexuoso-erectus, cinereo-subtomentosus, spithamaeus vel paulo ultra. *Rami* vel simplices vel ramulosi, frequentes, cauli similes, virgati. *Folia* obtusa, tenuissime villosa, subtus sulcata a marginibus revolutis, imbricata, lineam dimidiam longa. *Flores* in ramis et ramulis terminales, saepius terni, nutantes, sanguinei, per fruticem copiosi. *Calycis* foliola ovata, tenuissime villosa, adpressa, rubentia, corollâ duplo breviora. *Corolla* campanulata, glabra. *Antherae* subexsertae, atro-purpureae. *Stylus* sanguineus, curvatus, exsertus, corollâ duplo longior, *stigmate* capitato.

68. E. (*articularis.*) aristata; foliis ternis, ovatis, glabris; floribus racemosis; caule erecto, Erica *articularis. Linn.* Mant. p. 65. Syst. Veg. XIV. p. 356.

Caulis fuscus, flexuoso-erectus, inferne glaber, pedalis. *Rami* et *Ramuli* verticillati, fastigiati, flexuosi, patentes, tenuissime villosi. *Folia* supra concava, subtus convexa, sulco longitudinali; adpressa, internodiorum magnitudine ramos quasi articulatos formantia, lineam longa. *Flores* distichi, cernui. *Racemus* pollicaris vel digitalis, comosus. *Pedunculi* ca-

pillares, purpurei, tenuissime villosi, cernui, longitudine foliorum. *Bracteae* minutae, purpureae. *Calycis* foliola ovata, intus concava, extus carinata, fusco-purpurea, ciliata, glabra, corollà dimidio breviora. *Corolla* campanulata, glabra, sanguinea. *Antherae* stylusque inclusus. *Antherae* in hac specie singulares, cum connatae videantur cum filamento, sic ut potius filamentum, quam anthera, aristatum dicendum.

69. E. (*planifolia.*) aristata; foliis ternis, ovatis, ciliatis; floribus axillaribus; caule decumbente. Erica *planifolia. Linn.* Sp. Pl. p. 508. Syst. Veg. XIV. p. 302. Pl. Cap. p. 100.

Crescit in collibus montium et in summitate montis Tabularis. Floret Octobri et insequentibus mensibus.

Caulis, *Rami* et *Ramuli* trichotomi, filiformes et capillares, flexuosi, glabri vel tenuissime scabri. *Folia* rarius quaterna, axillis aliis foliolis saepe onusta, acuta, tenuissime subciliata, margine parum revoluta, patentia, lineam dimidiam longa, internodiis breviora. *Flores* versus apices racemosi, cernui. *Pedunculi* capillares, foliis longiores. *Calycis* foliola ovata, scabra, breviora. *Corolla* campanulata, purpurascens. *Antherae* inclusae. *Stylus* exsertus, corollà duplo longior, *stigmate* parum capitato. *Variat:* α. caule scabro et glabro. β. foliis acutis et pilo capitato terminatis.

70. E. (*marifolia.*) aristata; foliis ternis, ovatis, subtus tomentosis; floribus subumbellatis; caule erecto. Erica *marifolia. Hort. Kewens.* Vol. 2. p. 15.

Caulis erectiusculus, infernè glaber. *Rami* sparsi, teretes, hirti, curvati, inflexo-erecti. *Folia* brevissime petiolata, acuta, integra margine reflexo; supra viridia, pubescentia; subtus albo-tomentosa, patentia vel subimbricata, lineam longa. *Flores* in ramis et ramulis. *Calycis* foliola foliis similia, sed angustiora et minora. *Corolla* campanulata, alba, pubescens. *Antherae* inclusae. *Stylus* longitudine corollae, vix exsertus.

71. E. (*pubescens.*) aristata; foliis ternis, linearibus, scabris; floribus umbellatis, villosis. Erica *pubescens. Diss. de Erica* p. 38. tab. 5. *Linn.* Sp. Pl. p. 506. Syst. Veg. XIV. p. 365. *Berg.* Pl. cap. p. 121. Erica *parviflora. Linn.* Sp. Pl. p. 506. Ejusdem Mantss. p. 374.

Crescit in collibus infra Taffelberg. Floret Julio, Augusto, Septembri.

Caulis cinereus, hispidus, flexuosus, erectus, bipedalis et ultra. *Rami* sparsi, raro verticillati, cauli similes. *Ramuli* filiformes et capillares, breves, virgati. *Folia* terna et quaterna; saepe quaterna in ramis et terna in ramulis, raro quaterna omnia; obtusa, villosa, incurva, subtus sulcata, patentia, lineam longa. *Flores* in ramulis terminales, bini, terni vel plures, copiosi, sanguinei, hirsuti. *Pedunculi* capillares, bracteati. *Calycis* foliola lanceolata, rufescentia, pilosa, brevissima. *Corolla* ovata, obtusa, villosa. *Antherae* stylusque inclusus. *Va-*

riat valde haec species, caule, ramis, foliis et floribus. Praecipue vero varietates sunt sequentes: *α. pilosa* foliis ternis corollisque tenuissime pilosis. *β. hispida* foliis ternis, hispidis. *γ. villosa* foliis quaternis, scabris ramisque verticillatis. *δ. parviflora* foliis ramorum quaternis, ramulorum ternis hispidis; corollis minutis. *Villosa* eadem est, licet differre videatur foliis quaternis, scabris, longioribus; caule ramisque verticillatis, magis glabris; corollis magis cylindricis et floribus conglomeratis.

†††. *foliis quaternis pluribusve.*

72. E. (*persoluta.*) aristata; foliis ternis, quaternisque, trigonis, glabris; floribus umbellatis; calyce ciliato. Erica *persoluta.* Linn. Mant. p. 230. Syst. Veg. XIV. *p.* 365. Erica *paniculata. Linn.* Sp. Pl. p. 508. Erica *milleflora. Berg.* Pl. Cap p. 69. Erica *subdivaricata. Berg* Pl. Cap. p. 114.

Crescit in collibus infra Taffelberg, in campis arenosis extra Urbem, et alibi vulgaris. Floret Majo et sequentibus mensibus.

Frutex totus cinereo-tomentosus, idque magis in ramis et ramulis, flexuoso-erectus, spithamaeus vel ultra. *Rami* sparsi, oppositi et terni, cauli similes. *Ramuli* filiformes, frequentes, breves, virgati. *Folia* in nonnullis, sed raro terna; in nonnullis, at rarius et terna et quaterna; in plurimis quaterna, linearia, obtusa, supra plana, subtus convexa sulco longitudinali, rarius integra, saepius tenuissime ciliata, imbricata, vix lineam longa. *Flores* in ramulis saepissime terni, per ramos quasi racemosi, copiosi, incarnati, minuti, cernui. *Bracteae* pallidae, subciliatae. *Calycis* foliola ovata, acuta, subcarinata, tenuissime ciliata, corollâ duplo breviora. *Corolla* campanulata sinu laciniarum pertuso. *Antherae* inclusae, purpureae. *Stylus* paulo longior staminibus, saepius inclusus. *Variat* valde haec species polymorpha, sic ut exinde plures species constituerint auctores. *α.* foliis ternis et quaternis, integris et ciliatis. *β.* Corollis majoribus et minoribus, campanulatis vel magis globosis. *γ.* Antheris stylisque inclusis et exsertis.

73. E. (*glabella.*) aristata; foliis quaternis, oblongis, glabris, margine scabris; floribus aggregatis, terminalibus. Blaeria *purpurea. Berg.* Plant. C p p. 34.

Ramuli filiformes, glabri. *Folia* petiolata, ovato-oblonga, obtusa, supra convexa, subtus sulcata, glabra utrinque, margine aculeato-scabrida, imbricata, apice patulo. *Flores* subcapitati. *Calyx* glaber. *Corolla* subcylindrica, albida, glabra. *Antherae* 4, purpureae, exsertae. *Stylus* pallidus, paulo longior.

74. E. (*plumosa.*) aristata; foliis quaternis, glabris; calyce lacero-ciliato. Blaeria *ciliaris. Linn.* Syst. Veg. p. 154. Suppl. p 122.

Crescit in regionibus Bockland. Floret Octobri, Novembri, Decembri usque ad Februar.

Caulis rigidus, fusco-cinereus. *Rami* sparsi, uti et ramuli

cinerei, glabri. *Ramuli* uti et rami flexuosi, divaricati, diffusi, ultimi filiformes. *Folia* brevissime petiolata, ovata, obtusa, integra, supra plana, subtus sulcata et convexa, imbricata, lineam dimidiam longa, vix nisi tenuissime et inconspicue villosa. *Flores* in ultimis ramulorum apicibus terminales, aggregati, subsessili-capitati, cernui. *Calyx* albidus, glaber. *Corolla* albida, glabra. *Antherae* subtetragonae, purpurascentes, apice bifidae, inclusae. *Stylus* filiformis, corollâ longior. Dignoscitur ab aliis facile calyce pulcherrime ciliato.

75. E. (*arborea.*) aristata; foliis quaternis, lanceolatis, ciliatis; floribus racemosis. Erica *arborea? Linn.* Spec. Pl. p. 503. Syst. Veg. XIV. p. 365. Erica *caffra? Linn.* Sp. Plant. p. 502. Syst. Veg. XIV. p. 365. an eadem?

Caulis infra bruneus, supra cinereo-tomentosus, flexuosus, erectus, orgyalis. *Rami* subverticillati, hispidi, virgati. *Ramuli* sparsi, filiformes, hispidi, virgati, frequentes. *Folia* rarius terna, saepissime quaterna, glabra, patentia, internodiis longiora, lineam longa. *Flores* in apicibus ramulorum cernui. *Calycis* foliola lanceolata, spinoso acuta, glabra, breviora. *Corolla* campanulata, purpurea, glabra. *Antherae* inclusae. *Stylus* exsertus, sanguineus: *stigmate* capitato, purpureo.

76. E. (*florida.*) aristata; foliis quaternis, lanceolatis, hirsutis; floribus umbellatis; calyce villoso, reflexo. Erica *florida. Diss. de Erica* p. 40. tab. 6.

Caulis teres, purpureus, superne villosus, flexuosus, erectus, pedalis et ultra. *Rami* sparsi, laxi, cauli similes, virgati, subsimplices. *Folia* subtus sulcata, curvata, patenti-erecta, semiunguicularia. *Flores* terminales, cernui, quatuor et ultra. *Pedunculi* capillares, sanguinei. *Calycis* foliola linearia, obtusa, hirsuta, reflexa, foliis duplo breviora. *Corolla* globosa, pallide sanguinea, inflata, glabra. *Antherae* stylusque inclusus.

77. E. (*pilulifera.*) aristata; foliis quaternis, linearibus, ciliatis; floribus umbellatis; calyce naviculari: apice ciliato, glabro. Erica *pilulifera. Linn.* Spec. Pl. p. 507. Syst. Veg. XIV. p. 364. Erica *nudicaulis. Berg.* Pl. Cap. p. 113.

Crescit in montibus inter Cap et Bayfalso. Floret Majo et sequentibus mensibus hybernis.

Frutex totus glaber, purpureus, erectus, pedalis et ultra. *Rami* et *Ramuli* trichotomi, erecto-patentes, subfastigiati. *Folia* oblique verticillata, tria situ aequalia, quarto inferiore, obtusa, supra plana, subtus convexa sulco longitudinali, profundo, inferiora glabra, suprema tenuissime ciliata, in petiolos pallidiores attenuata, imbricata, semiunguicularia. *Flores* terminales, quatuor usque decem, cernui. *Pedunculi* sanguinei, foliis longiores. *Calycis* foliola navicularia, acuta, pallide sanguinea, glabra, apice ciliata, adpressa, corollâ paulo breviora. *Corolla* campanulata, sanguinea, glabra. *Antherae* stylusque inclusus.

78. E. (*inflata.*) aristata; foliis quaternis, linearibus, gla-

bris; floribus umbellatis, ventricosis; calyce subulato, glabro. Erica *inflata*. *Diss. de Erica* p. 41. tab. 2.

Fratex totus glaber, nodulosus, erectus, pedalis. *Rami* verticillati, cauli similes, longi, erecti, subsimplices. *Folia* acuta, integra, supra plana, subtus convexa, sulco omnium tenuissimo, curvata, patenti-erecta, unguicularia. *Flores* cernui. *Pedunculi* sanguinei, villosi, pollicares. *Bracteae* supra medium pedunculi lineares, sanguineae. *Calycis* foliola lineari-subulata, integra, patenti-erecta, sanguinea, corollâ quadruplo breviora. *Corolla* ventricosa, inflata, obtusa, pallide sanguinea, glabra, subpollicaris. *Antherae* stylusque inclusus.

79. E. (*abietina*) aristata; foliis quaternis, lanceolatis, glabris; floribus racemosis, cylindricis; calyce ovato, serrato. Erica *abietina*. *Linn.* Sp. Pl. p. 506. Syst. Veg. XIV. p. 365.

Caulis cinereus, scaber, erectus, pedalis et ultra. *Rami* et *Ramuli* subverticillati, erecto-patentes. *Folia* lanceolato-subulata, subtus sulcata, imbricata, unguicularia. *Flores* in apicibus ramorum nutantes. *Pedunculi* sanguinei, villosi, longitudine foliorum. *Bracteae* infra medium pedunculi, ovatae, acutae, ciliatae, carinatae, pallidae. *Calycis* foliola lato-ovata, acuta, carinata, tenuissime subciliata, glabra, sanguinea. *Corolla* cylindrica, infra apicem subventricosa, parum curvata, obtusa, glabra, sanguinea, semipollicaris. *Antherae* stylusque inclusus.

80. E. (*Patersonii.*) aristata; foliis quaternis, trigonis, acutis, glabris; floribus racemosis, cylindricis; calyce trigono, basi dilatato.

Crescit in interioribus provinciis.

Caulis erectus, subsimplex, apice bifidus, totus glaber, bipedalis vel ultra. *Folia* filiformi-trigona, integra, laevia, subpollicaria. *Flores* laterales, densi, comosi. *Calycis* foliola filiformi-trigona, acuta, glabra; basi dilatata, cordato-ovata, margine membranacea, tenuissime serrulata. *Corolla* obtusa, glabra, purpurascens, unguicularis. *Antherae* aristatae, inclusae. *Stylus* exsertus *stigmate* capitato.

81. E. (*verticillata.*) aristata; foliis rameis quaternis, caulinis senis ciliatis; floribus subcapitatis; calyce lineari, glabro. Erica *verticillata*. *Berg.* Pl. Cap. p. 99.

Frutex erectus, pubescens, rufescens, ramosus, pedalis et ultra. *Rami* per intervalla subverticillati, simplices, brevissimi. *Folia* ramea breviter petiolata, linearia, subtrigona, subtus carinata, supra concava, obtusa, integra, tenuissime ciliata, imbricata, lineam longa. *Flores* in ramis terminales, aggregato-subcapitati. *Calyx* simplex, foliis similis. *Corolla* cylindrica, pubescens, purpurea, parum curvata, subpollicaris. *Antherae* inclusae, *filamentis* longitudine tubi corollae. *Stylus* exsertus stigmate capitato. *Similis* E. *abietinae*, sed flores huic hirti.

82. E. (*mammosa.*) aristata; foliis senis, lanceolatis, gla-

bris; floribus umbellatis; calyce subulato, glabro. Erica *mammosa*. *Linn* Mant. p. 234. Sytt. Veg. XIV. p. 365.

Caulis cinereo-fuscus, flexuosus, erectus. *Rami* subtrichotomi, scabri, flexuosi, iterum trichotome ramulosi, ramulis subfastigiatis. *Folia* supra plana, subtus convexa sulco longitudinali, integra, curvata, patentia, subunguicularia. *Flores* terminales, plures. *Pedanculi* villosi, erecti, foliis longiores. *Calycis* foliola lineari-subulata, corollâ duplo breviora. *Corolla* oblonga, subcampanulata, oblique truncata, glabra, incarnata, unguicularis. *Antherae* stylusque inclusus. *Differt* ab E. *abietina* 1. calyce lineari. 2. corollis magis inflatis. 3. floribus umbellatis. 4. foliis senis.

83. E. (*empetrifolia.*) aristata; foliis senis, oblongis, ciliatis; floribus verticillatis; calyce ciliato. Erica *empetrifolia*. *Linn.* Sp. Pl. p. 507. Syst. Veg. XIV. p. 366. *Berg.* Pl. Cap. p. 120.

Crescit in montium jugis inter Cap et Bayfals. Floret Martio, Aprili, Majo.

Caulis fuscus, scaber, pedalis. *Rami* verticillati, cauli similes, flexuoso-erecti. *Ramuli* trichotomi et dichotomi, similes ramis. *Folia* obtusa, incurvata, supra trigono-plana, subtus sulcata, scabra imprimis subtus, tenuissime ciliata, imbricata, lineam longa. *Petioli* imprimis ciliati. *Flores* in mediis ramulis et in apicibus aggregati. *Calycis* foliola lanceolata, sanguinea. *Corolla* ovato-campanulata, inferne hirta, sanguinea. *Antherae* inclusae. *Stylus* purpureus, curvatus, corollâ duplo longior, exsertus *stigmate* capitato.

84. E. (*spicata.*) aristata; foliis senis, lanceolatis, glabris; floribus verticillatis; calyce petiolato, integro. Erica *spicata*. *Diss. de Erica* p. 43. tab. 4. Erica *sessiflora*. *Linn.* Suppl. p. 222. Syst. Veg. XIV. p. 365.

Crescit in montibus inter Nordhoek et Bayfalso. Floret Martio et sequentibus mensibus.

Caulis crassus, rigidus, fusco-purpureus, scaber, flexuoso-erectus, spithamaeus usque pedalis. *Rami* et *Ramuli* alterni vel subverticillati, cauli similes, erecto-patentes, apice incurvi, virgati. *Folia* integra subtus sulcata, patentia, incurvato-imbricata, subunguicularia. *Flores* in apicibus ramorum inter folia breviora verticillato-spicati, cernui, plurimi. *Spica* crassa, pollicaris usque digitalis. *Bracteae* calyci approximatae, basi attenuato-subpetiolatae, dein oblongae, acutae, integrae, tenuissimae, incarnatae. *Calycis* foliola spathulata, seu basi attenuata, apice ovata, concava, margine scariosa, integrâ, corollâ multoties breviora. *Corolla* clavata, curvata, obtusa, glabra, alba, subpollicaris. *Antherae* inclusae. *Stylus* purpureus: *stigmate* exserto, flavescente.

85. E. (*octophylla.*) aristata; foliis octonis, linearibus, truncatis, squarrosis; floribus umbellatis. Erica *octophylla*.

Diss. de Erica p. 44. tab. 3. Erica *fascicularis*. *Linn.* Suppl. p. 210. Syst Veg. XIV. p. 365.

Crescit in montibus summis Hottentotts Holland. Floret Januario et sequentibus mensibus.

Fratex totus glaber: caule cinereo, erecto; pedalis. *Rami* dichotomi, pauci, simplices, longi. *Folia* integra, glabra, patenti-recurvata, imbricata, disticha, unguicularia. *Petioli* pallidi, lineam longi. *Flores* ramos terminantes, plurimi, erecti, speciosi, viscosi. *Calycis* foliola lanceolata, glabra, adpressa, corollâ multoties breviora *Corolla* cylindrico-clavata, glabra, purpurea, pollicaris: *laciniis* erectis. *Antherae* inclusae. *Stylus* capillaris, purpurascens, erectus, *stigmate* capitato.

*** *Cristatae:*

†. *foliis sparsis:*

86. E. (*obliqua.*) cristata; foliis oblique sparsis, linearibus, truncatis, glabris. Erica *obliqua*. *Diss. de Erica* p. 44. tab. 1.

Crescit in montibus Hottentotts Holland. Floret Januario, Februario, Martio.

Caulis filiformis, laxus, bruneus, superne scaber, totus glaber, erectus, pedalis. *Rami* dichotomi, simplices, cauli similes, subfastigiati. *Folia* sparsa oblique circum ramos, attenuata in petiolos, basi imbricata, apice patenti recurvata, subdisticha, semiunguicularia. *Flores* terminales, umbellati, plurimi, viscosi, suberecti. *Pedunculi* capillares, purpurei, foliis triplo longiores. *Bracteae* tres; solitariae in medio, paulo superius duae oppositae; minimae, patentes. *Calycis* foliola linearia obtusa, patentia, brevissima. *Corolla* globosa; ore acuminato, contracto; purpurea. *Antherae* stylusque inclusus. *Folia* versus apices ramorum circum ramos oblique ita sparsa sunt, ut minime verticillata dici possint, ceterum valde similia foliis E. *octophyllae.*

††. *foliis ternis:*

87. E (*gnaphalodes.*) cristata; foliis ternis, ovatis, integris, glabris, floribus ternis, glabris; calyce bracteisque naviculatis, coloratis. Erica *gnaphaloides*. *Linn.* Sp Pl. p. 501. Syst. Veg. XIV. p. 366. *Berg.* Pl. Cap. p. 119.

Crescit in collibus montium extra urbem. Floret a Septembri ad anni exitum.

Fruticulus totus glaber, fusco-cinereus, erectus, spithamaeus. *Rami* et *Ramuli* dichotomi et trichotomi, filiformes, erecto-patentes, fastigiati. *Folia* supra plana, subtus convexa sulco longitudinali, adpressa, longitudine internodiorum, ramulos quasi articulatos formantia, lineam dimidiam longa. *Flores* in ultimis ramulis terminales, subterni, purpurei. *Bracteae* calyci approximatae, purpureae, tenuissime ciliatae. *Calycis* foliola naviculata, adpressa, purpurea, corollae longitudine. *Corolla* campanulata. *Antherae* stylusque inclusus.

88. E. (*mucosa.*) cristata; foliis ternis, ovatis, serratis, glabris; floribus umbellatis, viscosis; calyce ovato, colorato. Erica *mucosa. Linn.* Mant. p. 232. Syst. Veg. XIV. p. 364. Erica *ferrea. Berg.* Pl. Cap. p. 112.

Crescit inter Cap et Bayfalso. Floret Januario et sequentibus mensibus.

Fratex totus glaber, flexuoso-erectus, tener, pedalis. *Rami* subverticillati, filiformes, erecti, virgati, ramulosi. *Folia* obtusa, scabra, supra plana, subtus convexa sulco longitudinali, imbricata, lineam dimidiam longa. *Flores* terminales, terni vel plures, cernui. *Pedunculi* purpurei, brevissimi, bracteis purpureis. *Calycis* foliola ovata, concava, apice incrassato carinata, purpurea, corollâ paulo breviora. *Corolla* globosa, pallide purpurea. *Antherae* stylusque inclusus.

89. E. (*corifolia.*) cristata; foliis ternis, lanceolatis, integris, glabris; floribus umbellatis, glabris; calyce naviculari, inflato. Erica *corifolia. Linn.* Sp. Pl. p. 507. Syst. Veg. XIV. p. 366. *Berg.* Pl. Cap. p. 108.

Crescit in campo sabuloso infra Taffelberg et Stenberg copiose. Floret Martio et sequentibus mensibus.

Fruticulus totus glaber, fusco-cinereus, flexuoso-erectus, palmaris usque pedalis. *Rami* et *Ramuli* verticillati, subfastigiati. *Folia* supra plana, subtus convexa sulco longitudinali, margine integra vel ciliata, imbricata, internodiis paulo longiora, lineam longa. *Flores* terminales, plures. *Bracteae* lanceolatae, albo-purpureae apice fusco. *Calycis* foliola naviculari: apice compresso, fusco; inflata, integra, glabra, pallide purpurea, corollâ fere longiora. *Corolla* oblonga, inflata, glabra, pallide purpurea; ore contracto, acuto, fusco. *Antherae* stylusque inclusus.

90. E. (*calycina.*) cristata; foliis ternis, ovatis, integris, glabris; floribus umbellatis, glabris; calyce naviculari, truncato, cuspidato. Erica *calycina. Linn.* Sp. Pl. p. 507. Syst. Veg. XIV. p. 366. Erica *vespertina. Linn.* Suppl. p. 224. Syst. Veg. XIV. p. 365.

Crescit in summitate montis tabularis. Floret Julio, Augusto, Septembri, Octobri.

Caulis crassus, teres, nodulosus, cinereo-fuscus, erectus, pedalis. *Rami* trichotomi, cauli similes, cinereo-tomentosi, erecto-patentes, virgati, ramulosi, ramulis similibus. *Folia* acuta, supra concava, subtus convexa sulco longitudinali, imbricata, lineam dimidiam longa. *Flores* terminales, terni, cernui. *Pedunculi* brevissimi, hirti. *Bracteae* calyciformes, naviculares, calyci approximatae, erecto-patentes, glabrae, albae. *Calycis* foliola lato-ovata, obtusa cum acumine, intus concava, extus carinata imprimis apice, integra, glabra, erecta, corollâ duplo breviora. *Corolla* campanulata, alba. *Antherae* purpureae, ad basin usque bifidae, *stylusque* inclusus. *Germen* tomentosum, lobatum. *Valde* similis E. *nigritae* respectu florum; differt vero

sequentibus notis: 1. foliis ovatis, imbricatis. 2. calycibus magis obtusis et latis. 3. Antheris cristatis.

91. E. (*triflora.*) cristata; foliis ternis, subulatis, glabris; floribus subternis; calyce ovato, aequante; caule hispido. ERICA *triflora*. *Diss. de Erica* p. 47. tab. 5. *Linn.* Sp. Pl. p. 508. Syst. Veg. XIV. p. 366.

Crescit in summitate montis Diaboli. Floret Junio et sequentibus mensibus.

Caulis bruneus, inferne glaber, superne hispidus, erectus, pedalis. *Rami* dichotomi, inferne brunei et glabri, superne cinereo-hirsuti, erecti, fastigiati. *Ramuli* per ramos undique sparsi, filiformes, frequentes, hirti, virgati. *Folia* lineari-subulata, integra, supra plana, subtus convexa sulco tenuissimo, incurvata, erecto-patentia, subunguicularia. *Flores* in ramulis terminales, solitarii, bini vel terni, pedunculati, cernui. *Pedunculi* cernui, cinereo-tomentosi, brevissimi. *Bracteae* calyciformes, lanceolatae, glabrae, albae. *Calycis* foliola latoovata, acuminata, concava, carinata, margine membranacea, integra, erecto-patentia, glabra, alba, corollam aequantia. *Corolla* globoso-subcampanulata, glabra, alba, magnitudine piperis. *Antherae* stylusque inclusus.

92. E. (*Bergiana.*) cristata; foliis ternis, lanceolatis, scabris; floribus subternis; calyce reflexo, ciliato. ERICA *Bergiana*. *Linn.* Mant. p. 235. Syst. Veg. XIV. p. 364.

Crescit in Roode Sands Kloof. Floret Novembri et sequentibus mensibus.

Caulis erectus, rufescens, cinereo-hirsutus, pedalis vel ultra, totus tectus ramis et ramulis virgatis, florentibus. *Folia* pilosa, subtus sulcata, imbricata, lineam longa. *Flores* in ultimis ramulis terminales, umbellati. *Calycis* foliola ovata, acuminata, ciliata, reflexa, corollâ duplo breviora. *Pedunculus* hirtus bracteis filiformibus, albis, minutis. *Corolla* campanulata, glabra, purpurea: sinu laciniarum excavato. *Antherae* stylusque inclusus. *Pulcherrima* tota tecta floribus speciosis.

93. E. (*formosa.*) cristata; foliis ternis, ovatis, integris, glabris; floribus umbellatis, sulcatis; calyce patenti, integro. ERICA *formosa*. *Diss. de Erica* p. 49. tab. 3.

Caulis glaber, erectus, pedalis. *Rami* pauci, filiformes, sparsi, flexuosi, cinereo-villosi, erecto-patentes, fastigiati. *Ramuli* sparsi, capillares, breves, virgati. *Folia* obtusa, supra plana, subtus convexa sulco longitudinali, patentia, lineam dimidiam longa. *Flores* in ramulis terminales, umbellati, bini, terni, raro plures, cernui. *Pedanculus* foliis longior, pallidus. *Bracteae* ovatae, pallidae, calyci adproximatae. *Calycis* foliola ovata, acuta, concava, integra, patenti-reflexa, pallida, corolla triplo breviora. *Corolla* globosa, glabra, albida, laciniis reflexis. *Antherae* purpureae stylusque inclusus.

94. E. (*rubens.*) cristata; foliis ternis, linearibus, integris, glabris; floribus umbellatis, globosis; calyce lanceo-

lato, brevi; ramis glabris. Erica *rubens. Diss. de Erica* p. 49.

Frutex totus glaber, purpurascens, flexuoso-erectus, spithamaeus. *Rami* et *Ramuli* trichotomi, filiformes, erecto-patentes, fastigiati. *Folia* acuta, supra plana, subtus convexa sulco longitudinali, adpressa, internodiorum longitudinem vix aequantia, lineam longa. *Flores* terminales purpurei. *Pedunculi* capillares, laxi, purpurei, pollicares. *Bracteae* lineares, rufescentes, in medio pedunculo sitae. *Calycis* foliola lanceolata, adpressa, supra plana, subtus convexa: sulco longitudinali, viridi-purpurascentia, brevissima. *Corolla* sanguinea, magnitudine piperis. *Antherae* stylusque inclusus.

95. E. (*incarnata.*) cristata; foliis ternis, ovatis, integris, glabris; floribus umbellatis, ovatis; calyce integro; ramis villosis. Erica *incarnata. Diss. de Erica* p. 50.

Caulis cinereus, totus tenuissime villosus, erectus, pedalis et ultra. *Rami* et *Ramuli* trichotomi et verticillati, flexuosi, erecti, virgati. *Folia* obtusa, supra concavo-plana, subtus convexa sulco longitudinali, adpressa, longitudine internodiorum, lineam dimidiam longa. *Flores* in ramulis terminales, solitarii, terni vel plures. *Pedunculi* purpurei, foliis duplo longiores. *Bracteae* lanceolatae, concavae, virescentes. *Calycis* foliola lanceolata, integra, glabra, adpressa, purpurea, corolla quadruplo breviora. *Corolla* oblonga, campanulata, alba, semiunguicularis. *Antherae* inclusae. *Stylus* longitudine corollae, vix exsertus *stigmate* obtuso. *Differt* ab E. *rubente:* 1. corolla globosa. 2. pedunculis longioribus; ab E. *mammosa,* cui valde similis, 1. antheris cristatis; 2. foliis ternis.

†††. *foliis quaternis.*

96. E. (*ramentacea.*) cristata; foliis quaternis, trigonis, integris; floribus umbellatis, globosis; calyce lanceolato, brevi. Erica *ramentacea. Linn.* Mant. p. 65. Syst. Veg. XIV. p. 365. Erica *multumbellifera. Berg.* Pl. Cap. p. 110. Erica *pilulifera. Berg.* Pl. Cap. p. 111. Erica *granulata. Linn.* Mant. p. 234. Ejusdem Syst. Veg. XIV. p. 369.

Frutex totus glaber, fuscus, erectus, spithamaeus. *Rami* inferne dichotomi, superne verticillati, divaricato-patentes, ramulosi. *Folia* linearia, acuta, glabra, supra plana, subtus convexa, sulco tenuissimo, patentia. *Flores* terminales, umbellis confertis. *Pedunculi* capillares, incrassati, purpurei. *Calycis* foliola subulata, glabra, brevissima. *Corolla* purpureo-violacea; ore contracto. *Antherae* stylusque inclusus.

97. E. (*margaritacea.*) cristata; foliis quaternis, trigonis, integris; floribus umbellatis, campanulatis; calyce trigono, subaequante. Erica *margaritacea. Hort. Hewens.* Vol. 2. p. 20.

Crescit in montibus inter Hottentotts Holland et Swellendam.

Rami purpurascentes, uti totus frutex, glabri. *Ramuli* subverticillati, flexuoso-erecti. *Folia* glabra, imbricato-patula, semiunguicularia. *Flores* in ramulis terminales, 4 usque 8. *Calyx* trigonus, corollae longitudine vel paulo brevior. *Corolla* campanulata, alba. *Antherae* 8, purpureae, cristâ albidâ, inclusae. *Stylus* corollâ paulo longior, exsertus.

98. E. (*baccans.*) cristata; foliis quaternis, linearibus, serrulatis; floribus umbellatis; calyce ovato, aequante. ERICA *baccans. Linn.* Mant. p. 253. Syst. Veg. XIV. p. 366.

Crescit infra montes urbis in collibus. Floret Julio et pluribus mensibus sequentibus.

Frutex totus glaber, erectus, pedalis. *Rami* subverticillati et sparsi, fastigiati, erecto-patentes, ramulosi. *Folia* obtusiuscula, margine scabra, supra plana, subtus convexa sulco longitudinali, imbricata, incurvata, glabra, lineam longa. *Flores* terminales, nutantes. *Pedunculi* incarnati, cernui. *Bracteae* obovato-oblongae, acutae, concavae, carinatae, incarnatae. *Calycis* foliola ovata, acuta, carinata, concava, incarnata, corollam subaequantia. *Corolla* globosa, sanguinea, glabra, magnitudine pisi. *Antherae* stylusque inclusus.

99. E. (*physodes.*) cristata; foliis quaternis, linearibus; floribus umbellatis, viscosis, calyce ovato, brevi. ERICA *physodes. Linn.* Sp. Pl. p. 506. Syst. Veg. XIV. p. 366. *Berg* Pl Cap. p. 101.

Crescit in montis tabularis planitie. Floret Martio et sequentibus mensibus

Frutex totus glaber, erectus, rigidus, cinereus, bipedalis. *Rami* terni et dichotomi, erecti, virgati, ramulosi. *Folia* obtusa, margine scabrida, glabra, supra plana, subtus convexa sulco longitudinali, curvata, imbricato-patentia, semiunguicularia. *Flores* terminales, subterni, cernui, magnitudine pisi. *Calycis* foliola ovata, adpressa, pallida, brevissima. *Corolla* ovata, crystallina, alba. *Antherae* stylusque inclusus.

100. E. (*laxa.*) cristata; foliis quaternis, linearibus; floribus umbellatis, glabris, calyce ovato ciliato.

Caulis fusco-cinereus, erectus, pedalis. *Rami* et *Ramuli* subverticillati et sparsi, laxi, retroflexi, cinereo-subpubescentes. *Folia* subtus sulcata, glabra, patentia vel subrecurva, lineam longa. *Flores* in ultimis ramulis umbellati, tres usque octo, minuti, glabri. *Bracteae* tres unico pedunculi lateri insertae, ovatae, subciliatae, albae, a calyce remotae. *Calycis* foliola ovata, concava, subciliata, alba, corollâ duplo breviora. *Corolla* campanulata, crystallino-alba. *Antherae* tenuissime cristatae, inclusae, purpureae. *Stylus* exsertus, albus. *Stigma* granulatum, incarnatum.

101. E. (*cernua.*) cristata; foliis quaternis, ovatis, ciliatis; floribus capitatis; calyce ciliato. ERICA *cernua. Montin.* Nov. Act. Ups. Vol. 2.ª p. 292. tab. 9. fig. 3. *Linn.* Suppl. p. 222. Syst. Veg. XIV. p. 367.

Crescit in Houde Bockeveld. Floret Septembri, Octobri, Novembri.

Frutex totus glaber, bruneus, erectus, pedalis. *Rami* sparsi et terni, filiformes, flexuosi, erecti, ramulosi. *Folia* obtusa, supra plana, subtus convexa, sulcata, imbricata. *Flores* terminales, cernui. *Bracteae* calyciformes, ovatae, acutae, ciliatae, concavae, incarnatae. *Calycis* foliola similia bracteis, sed latiora. *Corolla* ovato-globosa, incarnata, glabra. *Antherae* stylusque inclusus.

102. E. (*retorta.*) cristata; foliis quaternis, ovatis, serrulatis, squarrosis; floribus umbellatis, viscosis. ERICA *retorta. Montin.* Act. Stockh. 1774. p. 279. tab. 7. *Linn.* Suppl. p. 220. Syst. Veg. XIV. p. 367.

Crescit in montibus Hottentotts Holland. Floret Novembri et sequentibus mensibus.

Frutex totus glaber, scaber, fuscus, erectus, pedalis et ultra. *Rami* verticillati, filiformes, flexuosi, erecti, subfastigiati, ramulosi. *Folia* acuta, setâ terminali aristata, margine tenuissime serrulato, glabra, subtus convexiuscula sulco tenui, lineam longa. *Flores* terminales, plures, erecti. *Calycis* foliola lanceolata, aristata, adpressa, glabra, purpurascentia, corollâ triplo breviora. *Corolla* basi inflata, apice attenuata, crystallina, alba, glabra, viscosa, pollicaris: *laciniis* ovatis, reflexis. *Antherae* villoso-cristatae, inclusae, minutae, filamentis longis albis insertae. *Stylus* staminibus longior, subexsertus.

CCXXVI. GRUBBIA.

Involucrum bivalve, trifloram. Cor. 4-petala, supera. Bacca 1-locularis.

1. G. (*rosmarinifolia.*) *Berg.* Cap. p. 90. tab. 2. Act. Stockh. 1767. p. 33. t. 2. OPHIRA *stricta. Linn.* Mant. p. 229. Syst. Veg. XIV. p. 371.

Crescit in summo Taffelberg, ad rivulos copiose. in summis montibus inter Cap et Bayfalso, inque montibus Hottentotts Holland. Floret Januario et sequentibus mensibus.

Radix perennis. *Caulis* fruticosus, semiorgyalis. *Rami* oppositi, teretes, articulati, scabri, erecti. *Ramuli* oppositi, filiformes. *Folia* opposita, subconnata, lineari-lanceolata, integra margine revoluto, supra scabra, subtus tomentosa, inferiora glabra; superiora villosa et approximata; patentia, unguicularia. *Flores* axillares, sessiles.

CCXXVII. OENOTHERA.

Cal. 4-fidus. Pet. 4. Caps. cylindrica, infera. Sem. nuda.

1. O. (*villosa.*) foliis lanceolatis, villosis; caule angulato, hirsuto.

Crescit in hortis urbis; nec alibi inveni. Floret Martio.

Caulis herbaceus, totus hirtus, erectus, pedalis et ultra. *Rami* alterni, pauci, subangulati, hirsuti, erecti. *Folia* sparsa, breviter petiolata, elliptica, acuta, integra et parum denticulata, venosa, utrinque villosa et subtomentosa, digitalia superioribus minoribus. *Flores* axillares, solitarii, lutei. *Differt* ab OEN. *mollissima*, cui similis: 1. foliis latioribus, potius villosis, nec undulatis. 2. caule angulato, crassiori.

CCXXVIII. EPILOBIUM.

Cal. 4-*fidus. Pet.* 4. *Caps. cylindrica, infera. Sem. nuda.*

1. E. (*villosum.*) foliis alternis, lanceolatis, serratis, hirsutis.

Crescit in plateis et cultis urbis. Floret Martio.

Caulis herbaceus, teres, pilis albis mollibus hirsutus, flexuoso-erectus, pedalis et ultra. *Rami* sparsi, pauci in caule infimo, similes, breves. *Folia* sparsa, sessili-subamplexicaulia, acuta, utrinque albo-hirsuta, mollia, erecta, sesquipollicaria. *Flores* in summitate caulis axillares, subfastigiati, sessiles. *Capsulae* hirsutae, 4-valves.

CCXXIX. PASSERINA.

Cal. 0. *Cor.* 4-*fida. Stam. tubo imposita. Sem.* 1, *corticatum.*

1. P. (*glomerata.*) foliis teretibus, truncatis, quadrifariis; floribus capitati. LACHNEA *conglomerata* *Linn.* Spec. Pl. p. 54. Syst. Veg. XIV. p. 374. PASSERINA *ericoides.* *Linn.* Mant. p. 236. Syst. Veg. XIV. p. 374.

Crescit in Houtbay et alibi. Floret ab initio anni.

Caulis fruticosus, cinereo-purpurascens, erectus, tripedalis et ultra. *Rami* sparsi, flexuoso-erecti. *Ramuli* subdichotomi, plurimi, teretes, et filiformes, subfastigiati, albo-tomentosi, laxi. *Folia* sessilia, decussatim opposita et quadrifariam imbricata, basi concava, glabra, lineam longa. *Flores* in ultimis ramulis. *Bracteae* ovatae, striatae, obtusae, concavae, glabrae. *Calyx* tubulosus. *Tubus* brevis, extus albo-villosus. *Limbus* 4-fidus: *laciniae* ovatae, purpureae, patentes, vix inaequales. *Filamenta* 8. purpurascentia, corolla breviora. *Antherae* tetragonae, flavae.

2. P. (*filiformis.*) foliis trigonis, acutis, quadrifariis; floribus racemosis. PASSERINA *filiformis.* *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 374. *Spec.* Pl. p. 513.

Crescit in campis arenosis extra Cap, et alibi, vulgaris.

Caulis fruticosus, fuscus, erectiusculus, pedalis et ultra. *Rami* sparsi, oppositi et verticillati, erecto patentes. *Ramuli* filiformes, subfastigiati vel virgati, laxi, flexuosi, erecti, to-

mentosi. *Folia* sessilia, decussatim opposita, et quadrifariam imbricata, glabra, scabrida, absque sulco carinata, lineam longa. *Flores* versus apices ramulorum laterales, in axillis bracteaeum, sessiles. *Bracteae* ovatae, acuminatae, striatae; extus glabrae, carinatae; intus concavae, hirsutae. *Calyx* tubulosus. *Tubus* brevis, extus albo-hirtus. *Limbi* laciniae 4, subaequales, purpureae. *Filamenta* 8, exserta. *Parum* diversa a P. *glomerata.*

3. P. (*eriocephala.*) foliis linearibus, convexis, imbricatis; capitulis lanatis. LACHNAEA *eriocephala? Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 374. Spec. Plant. p. 514.

Caulis frutescens, erectus, glaber, spithamaeus, usque pedalis. *Rami* pauci, sparsi et dichotomi ramulis fastigiatis. *Folia* sessilia, extus convexa, intus concava, acuta, integra, glabra, quadrifariam imbricata, adpressa, semiunguicularia. *Flores* in ramis et ramulis terminales, capitati, capitulo magnitudine nucis avellanae. *Bracteae* ovatae, sub apice carinatae, cuspidatae, membranaceae cuspide viridi, albidae, glabrae. *Calyx* tubulosus, quadrifidus, aequalis, albus, extus hirsutus. *Filamenta* 8, capillaria, exserta. LACHNAEAM a GNIDIIS et PASSERINIS distinguerent sola filamenta, si distingui potest. *Haec* et GNIDIA *filamentosa* connectit GNIDIAS, PASSERINAS et LACHNAEAS uno genere.

4. P. (*cephalophora.*) foliis trigonis, quadrifariis; capitulis lanatis.

Crescit prope Swartebergs warme bad. Floret initio anni.

Caulis fruticosus, mox a radice ramosus, palmaris usque spithamaeus. *Rami* sparsi, saepe aggregati, subfastigiati, glabri, toti foliis tecti et tetragoni. *Folia* sessilia, obtusa, quadrifariam imbricata, glabra, laevia, semiunguicularia. *Florum* capitula terminalia, magnitudine juglandis, hirsuta. *Bracteae* obovatae, non cuspidatae, concavae supra, subtus carinatae, membranaceae, glabrae, ciliatae ciliis albis laxis. *Calyx* tubulosus *tubo* capillari, quadrifidus: *Limbi* laciniae inaequales, utrinque uti et tubus albo hirsutus. *Filamenta* 8, capillaria, alba, exserta.

5. P. (*linoides.*) foliis lineari-lanceolatis, glabris, tricostatis; floribus terminalibus, solitariis.

Crescit in montibus Hottentotts Holland. Floret Decembri.

Caulis frutescens, filiformis, totus glaber, erectus, palmaris usque spithamaeus. *Rami* sparsi, capillares, virgati. *Folia* sessilia, decussatim opposita, acuta, integra; supra laevia; subtus tricostata; utrinque glabra, imbricato-patula, semiunguicularia. *Flores* subterminales in ramulis. *Calyx* tubulosus, extus hirsutus, quadrifidus: *Laciniae* aequales.

6. P. (*nervosa.*) foliis lanceolatis, glabris, tricostatis; floribus capitatis.

Rami filiformes, villosi. *Folia* sessilia, subdecussata, apice subspinoso, integra margine inflexo, supra concava; subtus

convexa, patenti-exserta, unguicularia. *Bracteae* lanceolato-ovatae, striatae, glabrae. *Calyces* extus albo-hirsutae.

7. P. (*uniflora.*) foliis lanceolatis, laevibus; floribus terminalibus, solitariis.

Crescit in collibus infra Taffelberg rarius et alibi.

Caulis frutescens, erectus, glaber, spithamaeus vel ultrà. *Rami* sparsi, fastigiati, glabri, ultimi filiformes. *Folia* acuta; dorso convexa, intus concava; integra, glabra, decussatim opposita, imbricata, semiunguicularia. *Flores* in ramulis. *Corolla* extus hirsuta, intus glabra. *Antherae* vix exsertae. *Variat* floribus albis et purpureis.

8 P (*capitata.*) foliis lanceolatis, glabris, laevibus; floribus capitatis. Passerina *capitata. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 3 4. Spec. Plant. p. 513.

Crescit in campis sabulosis infra Constantiam, alibique. Floret Martio.

Caulis frutescens, totus glaber, purpurascens, erectus, bipedalis et ultra. *Rami* alterni, sparsi, filiformes, laxi, purpurei, erecti, ultimi capillares. *Folia* brevissime subpetiolata, acuta, integra, intus concava, extus convexa, erecto patentia, unguicularia. *Flores* terminales. *Capitulum* pedunculatum: *receptaculo* saepe excrescente, conico, cernuo.

9. P. (*setosa.*) foliis lanceolatis, glabris, quinquenerviis; floribus capitatis, extus setosis.

Crescit in Paardeberg. Floret Octobri et sequentibus mensibus.

Caulis frutescens, teres, purpurascens, erectus, glaber, pedalis et ultra. *Rami* sparsi, erecto patentes, glabri. *Folia* integra, subtus quinquenervia, patentia, unguicularia. *Flores* in ramulis terminales, subspicati. *Calyx* extus setis sparsis albis setosus. *Bacca* monosperma, exsucca vel potius capsula monosperma.

10 P (*laxa.*) foliis ovatis, pilosis; floribus capitatis; ramis laxis.

Crescit in montibus prope et extra Cap, vulgaris in collibus prope urbem. Floret initio anni plaribus mensibus.

Caulis fruticosus, bipedalis vel ultra, laxus, erectus, teres, bruneus, ramosus, aphyllus. *Rami* sparsi, teretes, brunei, ramulosi. *Ramuli* alterni, virgati, frequentes, foliosi, albo tomentosi, cernui. *Folia* ramea, paucissima, *ramulorum* subalterna, sparsa, patentia, longitudine internodiorum, ovata, obtusa, pubescentia, integerrima, sessilia. *Floralia* verticillata, quinque vel plura. *Calyx* tubulosus, pubescens. *Tubus* longus, inferne ventricosus; *Limbus* 4-partitus, erectus, aequalis. *Filamenta* 8, intra tubum corollae inserta, quatuor superiora et totidem inferiora, brevissima. *Antherae* ovatae, flavae. *Stylus* longitudine tubi corollae, filiformis.

11. P. (*stricta*) foliis ovatis, hirsutis; floribus capitatis; ramis rigidis.

Caulis fruticosus, teres, cinereus, glaber, pedalis et ultra. *Rami* sparsi, brevissimi, superne albo-tomentosi. *Folia* obtusa, integra, concava, tomentosa, patula, lineam longa. *Flores* capitulo paucifloro. *Calyx* tubulosus, extus hirsutus, intus glaber.

12. P. (*longiflora.*) foliis ovatis, sulcatis, glabris; floribus terminalibus, ternis; tubo longissimo.

Crescit in inferioribus provinciis.

Frutex erectus, totus glaber, bipedalis. *Rami* alterni vel plures, aggregati, flexuosi, erecti, elongati. *Folia* brevissime petiolata, quaterna, obtusa, integra, imbricata, lineam longa. *Flores* umbellati, bini, saepius terni, brevissime pedunculati, erecti. *Calycis* foliola similia foliis, sed paulo majora. *Corollae* tubus pollicaris.

13. P. (*ciliata.*) foliis lanceolatis, ciliatis; floribus subsolitariis. Passerina *ciliata*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 374. Spec. Plant. p. 514.

Crescit in collibus extra urbem et alibi.

Caulis fruticosus, fusco-purpureus, erectus, pedalis et ultra. *Rami* pauci, sparsi, glabri. *Ramuli* subverticillati, fastigiati. *Folia* sessilia, decussatim opposita, intus concava, extus convexa, albo-ciliata, imbricata, unguicularia. *Folia* summa paulo latiora et frequentissima. *Flores* in ultimis ramulis aggregatis solitarii. *Calyx* extus hirsutus, intus glaber.

14. P. (*spicata.*) foliis ovatis, villosis; floribus lateralibus, sessilibus. Passerina *spicata*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 374. Suppl. p. 225.

Crescit in campis sabulosis. Floret Junio.

Caulis fruticosus, teres, cicatricibus scaber, rufus, glaber, ramosus, bipedalis. *Rami* subverticillati, sex vel plures, longi, simplices, filiformes, infra glabri, superne cinereo-tomentosi. *Folia* sessilia, obovata, obtusa, sparsa, imbricata, vix duas lineas longa, integerrima, subrufescentia: *Callus* sub basi folii loco petioli. *Flores* in supremo ramulorum, inter folia sessiles. *Bracteae* duae, oppositae, lineares, sessiles, pubescentes. *Calyx* infundibuliformis, subpubescens, incarnato-albus. *Tubus* ventricosus, longus. *Limbus* 4-partitus: *laciniae* lanceolatae, acutae, patentes.

15. P. (*anthylloides.*) foliis oblongis, villosis; floribus capitatis. Passerina *anthylloides*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 374. Suppl. p. 225.

Crescit trans Swellendam, et prope Musselbay, in Campis. Floret Novembri.

Caulis fruticosus, erectus, bipedalis, teres, ramosus, pubescens. *Rami* pauci, alterni simplices, figurâ caulis. *Folia* sparsa, sessilia, frequentia, erecta, subimbricata, obtusa, ve-

nosa, utrinque albo-villosa, integra, unguicularia; suprema congesta. *Flores* terminales, subumbellato-capitati, plurimi, valde villosi pilis densis, albo-sericeis. *Calyx* tubulosus; *Tubus* cylindricus, superne paulo amplior, extus valde villosus, intus glaber, pollicaris. *Limbus* 5-partitus et 6-partitus; *Laciniae* ovatae, obtusae, supra glabrae, subtus villosae, patentes, unciales. *Filamenta* nulla. *Antherae* sessiles, oblongae, flavae, 4 vel 5 in ipso ore tubi, et 4 vel 5 intra tubum. *Facie* externa omnino refert *Anthyllidem*.

Obs. Valde affines sunt DAPHNE, PASSERINA, GNIDIA et STRUTHIOLA.

16. P. (*pentandra.*) foliis ovatis, hirsutis; spicis ovatis, terminalibus.

Crescit in Houde Bockeveld. Floret Octobri.

Caulis fruticosus, purpurascens, erectus, pedalis et ultra. *Rami* et *Ramuli* subverticillati, fastigiati, villosi. *Folia* sessilia, sparsa, acuta, supra glabra, subtus hirsuta, integra, imbricata, semiunguicularia. *Flores* in ramorum apice spicati. *Spicae* foliosae. *Calyx* tubulosus, glaber, incarnatus: *Limbi* laciniae 5, ovatae patentes. *Stamina* 5, sessilia in ore tubi.

CCXXX. GNIDIA.

Cal. infundibuliformis, 4-fidus. Pet. 4, calyci inserta, parva. Sem. 1, subbaccatum.

1. G. (*capitata.*) foliis sparsis, ovato-lanceolatis, glabris; floribus capitatis; bracteis obvallatis. LYCHNIDEA foliis ad radicem ternis oppositis, ad caulem solitariis alternis, floribus umbellatis. *Burm. Dec. Afr.* p. 142. t. 10. f. 3.

Crescit juxta Camtous rivier. Floret Novembri, Decembri.

Caulis suffruticosus, simplex, rarissime divisus, striatus, erectus, purpurascens, glaber, pedalis. *Folia* sessilia, acuta, integra, erecta, venosa, internodiis paulo longiora, pollicaria. *Pedunculi* ex caule continuati, nudi. *Flores* terminales, umbellato-capitati, plurimi. *Bracteae* capitulum cingentes, 8 seu 12, verticillato-sessiles, ovatae, acutae, foliis paulo latiores, nervosae, erectae, glabrae, unguiculares, floribus duplo breviores. *Calyx* tubulosus, flavus. *Tubus* filiformi-cylindricus, extus villosus, intus glaber, pollicaris. *Limbus* 5-partitus: *Laciniae* ovatae, obtusae, intus glabrae, extus villosae, patentes, lineam longae. *Nectaria* 5, antheriformia, linearia, basi limbi inserta, erecta, flava. *Filamenta* nulla. *Antherae* 8, sessiles; 4 in ore tubi, 4 intra tubum insertae; lineares, flavae. *Differt* a GNID. *radiata* foliis lanceolatis, caule glabro, nectariis quinque.

2. G. (*filamentosa.*) foliis ovatis, glabris; floribus capitatis; filamentis capillaribus. GNIDIA *filamentosa. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 373. Suppl. p. 224.

Caulis fruticosus, teres, glaber, erectus, bipedalis et ultra. *Rami* cauli similes, alterni, a casu foliorum nodulosi. *Folia*

sparsa, subsessilia, elliptica seu obovata, acuta, integra, utrinque glabra, imbricata, unguicularia. *Flores* in ramis terminales, plurimi. *Calyx* tubulosus, extus hirsutus, albus, laciniis inaequalibus scilicet tribus lanceolatis aequalibus, quartâ duplo majori ovatâ. *Nectaria* seu petala antheriformia minima. *Filamenta* 8, laciniis limbi inserta, breviora, alba. *Antherae* ovatae, striatae, flavae. *Stylus* filiformis, villosus, longitudine tubi. *Stigma* obtusum, plumoso-lacerum. *Variat* calyce albo et caerulescente. *Convenit* cum LACHNAEA: filamentis: et limbi laciniis inaequalibus. Cum GNIDIA: corolla, antheriformi interdum. Cum PASSERINA: nectariis interdum nullis.

3. G. (*laevigata.*) foliis oppositis, ovatis, glabris; floribus terminalibus, subcapitatis. THYMELAEA foliis planis acutis, coma et floribus purpureis. *Burm.* Dec. Afr. p. 137. t. 49. f. 3. NECTANDRA *laevigata.* *Berg.* Pl. Cap. p. 134. PASSERINA *laevigata.* *Linn.* Sp. Pl. p 513.

Radix perennis. *Caulis* suffruticosus, teres, rugosus, erectus, ramosus, purpureus, glaber, pedalis et ultra *Rami* subverticillati, bini, terni vel quaterni, cauli similes, ramulosi. *Ramuli* virescentes. *Folia* alternatim opposita, sessilia, acutiuscula, erecta, lineâ medio longitudinali, vix unguicularia, internodiis subaequalia; suprema congesta, imbricata. *Flores* umbellato-capitati, sessiles, subquini. *Calyx* tubulosus, flavus. *Tubus* cylindricus, superne ventricosus, intus glaber, extus villosus, pollicaris. *Limbus* 4-partitus; *Laciniae* ovatae, obtusae, patentes, intus glabrae, extus villosae, unguiculares. *Nectaria* 4, antheriformia, basi limbi inserta, ovata, erecta, purpurea, longitudine limbi. *Filamenta* nulla. *Antherae* 8, sessiles; 4 in ore tubi, 4 sub os tubi insertae; ovato-lineares, flavae.

4. G. (*pinifolia.*) foliis sparsis, trigonis; floribus umbellato-capitatis. THYMELAEA capitata lanuginosa, foliis creberrimis minimis aculeatis. *Burm.* Dec. Afr. p. 134. t. 49. f. 1? GNIDIA *pinifolia.* *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 373. Suppl. p. 225.

Crescit in campis arenosis inter Cap et Drakensteen, in Duyvelsberg, infra Constantiam alibique sat vulgaris.

Radix perennis. *Caulis* suffruticosus, tripedalis saepe et ultra, ramosus, teres, cinereus, cicatricibus foliorum scaber, glaber. *Rami* verticillato-subterni, scabri, ramulosi. *Ramuli* verticillato-terni, foliosi, floriferi, subfastigiati, glabri. *Folia* subpetiolata, lineari-trigona, acuta, subtus carinata, frequentissima, erecta, seu recurvata, glabra. *Flores* in ramulis terminales, subumbellato-capitati, erecti, plurimi. *Bracteae* oblongae, acutae, apice rufescentes, foliis duplo latiores. *Calyx* tubulosus. *Tubus* filiformis, supra ventricosus, villosus. *Limbus* 4-partitus, patens: *Laciniae* ovatae, acutae. *Nectaria* 4, petaliformia, ori tubi inserta, linearia, villosa, longitudine limbi. *Variat* floribus albis et albo-incarnatis.

5. G. (*simplex.*) foliis lineari-lanceolatis, glabris; floribus capitatis; ramis erectis. Gnidia *simplex*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 372. Mant. p. 67.

Caulis fruticosus, erectus, fusco-purpurascens, glaber, bipedalis et ultra. *Rami* subterni et sparsi, elongati. *Ramuli* subverticillati, fastigiati. *Folia* sparsa, sessilia, acuta, integra, convexa, imbricata, unguicularia. *Flores* terminales.

6. G. (*biflora.*) foliis sparsis, glabris; floribus lateralibus, binis; ramis divaricatis.

Crescit in collibus infra Taffelberg, prope Cap et infra latus orientale. Floret Majo, Junio.

Caulis fruticosus, erectus, flexuosus, teres, cicatricibus scaber, rufus, ramosus. *Rami* angulati, cicatricibus scabri, glabri, rufescentes, ramulosi. *Ramuli* alterni, patentes, angulati, floriferi, iterum ramulosi. *Folia* in ramis et ramulis lanceolata, acuta, supra concaviuscula, subtus carinata, sessilia, apice sanguinea, patula, vix unguicularia. *Flores* in ramulis sessiles. *Bracteae* oppositae, glabrae, foliis similes, sed magis lineares. *Calyx* tubulosus, glaber, flavus. *Tubus* filiformis, sensim ampliatus. *Limbus* 4-partitus: *Laciniae* acutae, patentes. *Nectaria* 4, petaliformia, ovata, flava, fauci tubi inserta.

7. G. (*polystachya.*) foliis lanceolatis, obtusis, carinatis, glabris; floribus capitatis. Gnidia *polystachya*. *Berg.* Plant. Cap. p. 123.

Caulis fruticosus, erectus, rigidus, fuscus, scaber, pedalis. *Rami* sparsi, divaricati basi, apice erecti, valde a casu foliorum scabri. *Ramuli* similes, fastigiati. *Folia* sparsa, frequentia, semiunguicularia. *Flores* plurimi, hirsuti. *Nectaria* 8, antheriformia, flava. *Antherae* 4 intra tubum; 4 in ore tubi, minora. Differt a G. *radiata:* foliis inermibus. G, *pinifolia:* nectariis limbo brevioribus et foliis inermibus.

8. G. (*scabra.*) foliis lanceolatis, acutis, scabris; floribus capitatis.

Caulis fruticosus, erectus, purpurascens, pedalis et ultra. *Rami* subverticillati, elongati, laxi, flexuoso-erecti. *Ramuli* sparsi, breves. *Folia* sparsa, sessilia, subtus scabra, imbricato-patula, semiunguicularia. *Flores* terminales, plures, hirsuti. *Nectaria* 8, antheriformia, flava in ore tubi.

9. G. (*racemosa.*) foliis obovato-lanceolatis, latis, glabris; floribus racemosis, axillaribus.

Caulis frutescens, glaber totus, cinereus, erectus, bipedalis. *Rami* sparsi, similes, elongati, virides. *Ramuli* filiformes, virgato-subfastigiati, laxi, breves. *Folia* ovata et obovata, obtusa, inaequalia, integra, erecto-patentia; inferiora majora, subpetiolata, unguicularia; superiora minora et breviora. *Flores* versus apices ramulorum sessiles, hirsuti. *Nectaria* 8, antheriformia, flava. *Antherae* 4 in tubo, 4 in ore, lutea, sessilia.

10. G. (*oppositifolia.*) foliis oppositis, lanceolatis, tomentosis; floribus terminalibus. Gnidia *oppositifolia. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 373. Mant. p. 375.

Crescit in proclivis Leuwestart. Floret Julio.

Caulis frutescens, brevissimus, statim a radice ramosus. *Rami* verticillati, erecti, hirsuti, digitales. *Ramuli* verticillati, similes. *Folia* alternatim opposita, sessilia, integra, imbricata, tota hirsuto-sericea, semiunguicularia. *Flores* duo, raro plures, hirsuti. *Valde* similis Gnidiae *tomentosae*, a qua distinguitur 1. quod sit humilior. 2. quod flores in apicibus modo bini. 3. foliis angustioribus, acutis vel obtusis. A Gnidia *sericea*, cui simillima, distinguitur: 1. foliis acutis. 2. caule humillimo.

Obs. Gnidia *oppositifolia* et *sericea*, vix duae, sed potius una eademque species.

11. G. (*sericea.*) foliis oppositis, ovatis, tomentosis; floribus terminalibus. Passerina *sericea. Linn.* Sp. Plant p. 513. Gnidia *sericea. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 373. Nectandra *sericea. Berg.* Plant. Cap. p. 131.

Crescit in collibus prope Cap.

Caulis frutescens, erectus, laxus. *Rami* verticillati, plurimi, uti et ramuli tomentosi, fastigiati. *Folia* sessilia, alternatim opposita, obtusa, hirsuto-sericea, imbricata, lineam longa. *Flores* pauci, hirsuti.

12. G. (*tomentosa.*) foliis sparsis, ovatis, pilosis, scabris; floribus capitatis.

Caulis fruticosus, purpurascens, erectus, pedalis et ultra. *Rami* sparsi, a casu foliorum nodulosi, flexuoso erecti, virgati, glabri, ramulosi. *Folia* subsessilia vel brevissime petiolata, acutiuscula, integra, supra glabra, subtus scabrida et rarissimis pilis albis hirta, erecto-patentia, unguicularia. *Flores* hirsuti, longi. *Nectaria* antheriformia, 8 in ore tubi.

13. G. (*argentea.*) foliis sparsis, obovatis, tomentoso-argenteis; floribus capitatis.

Caulis fruticosus, cinereo-fuscus, glaber, erectus, pedalis. *Rami* sparsi, nodulosi, breves, uti et ramuli. *Folia* sessilia, inferne attenuata, acuta, integra, tenuissime tomentosa, obscure sericea, approximata imprimis versus apices, erecto-patentia, unguicularia. *Flores* sericei, intus purpurei. *Nectaria* 8 in ore tubi, exserta, carnosa.

14. G. (*imbricata.*) foliis ovatis, quadrifariis, tomentosis; floribus capitatis. Gnidia *imbricata. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 373. Suppl. p. 225.

Caulis fruticosus, flexuoso-erectus, pedalis. *Rami* alterni, glabri, purpurei, nodulosi, erecti. *Ramuli* subverticillati, fastigiati, foliis tecti, subtomentosi. *Folia* sparsa, sessilia, imbricata quadrifariam, integra, argenteo-tomentosa, vix unguicularia. *Flores* albo-hirsuti, intus glabri, albi. *Nectaria* 4 supra os tubi. *Antherae* 4 in tubo, 4 in ore tubi.

CCXXXI. STRUTHIOLA.

Cor. o. *Cal. tubulosus: ore glandulis* 8. *Becca exsucca, monosperma.*

1. S. (*erecta.*) foliis linearibus, glabris; ramis glabris, tetragonis. PASSERINA *dodecandra. Linn.* Sp. Pl. p. 513. STRUTHIOLA *erecta. Linn.* Mant. p. 41. Syst. Veg. XIV. p. 164. NECTANDRA *tetrandra. Berg.* Capens p. 133.

Crescit in campis extra Cap, et alibi vulgaris. Floret Julio et sequentibus mensibus.

Caulis suffruticosus, erectus, cicatricibus foliorum nodosus, subrugosus, ramosus, glaber, cinereo-fuscus, spithamaeus, pedalis. *Rami* subverticillato-terni, vestiti foliis, subfasciculati, angulati, ramuloso-dichotomi. *Folia caulina* nulla; *ramea* sessilia, alternatim opposita, ovata, acuta, erecta, imbricata, internodiis longiora, duas circiter lineas longa; supra concaviuscula; subtus convexa; apice villosa, incurva; ciliata. *Flores* in ramis laterales, in axillis foliorum sessiles, solitarii, erecti, albi. *Bracteae* duae, lanceolatae, acutae, oppositae ad basin floris albae. *Calyx* tubulosus: *tubus* filiformis, foliis longior, superne ventricosus. *Limbus* 4-partitus: *laciniae* ovatae, acutae, patentes. *Nectarium:* glandulae 8, antheriformes, lineares, tubo oris insertae, pilis albis erectis undique cinctae. *Filamenta* nulla. *Antherae* 4, infra os tubi insertae, erectae, oblongae, sulcatae. *Germen* superum. *Stylus* brevissimus, semilineam longus, filiformis, curvato-inflexus. *Stigma* simplex, obtusum. *Capsula* basi tubi inclusa, ovata, glabra, unilocularis. *Semen* unicum, ovatum, glabrum.

2. S. (*ovata.*) foliis ovatis, glabris; ramis glabris, rugosis.

Caulis fruticosus, erectiusculus, glaber totus, pedalis. *Rami* alterni, pauci versus summitatem, fastigiati. *Folia* decussatim opposita, sessilia, acuta, integra, subtus costâ mediâ notata, imbricato-patula, semiunguicularia. *Flores* versus summitates ramorum et ramulorum axillares. *Calycis* tubus foliis longior, glaber.

3. S. (*virgata.*) foliis lanceolatis, striatis, summis ciliatis; ramis pupescentibus. STRUTHIOLA *virgata. Linn.* Mant. p. 41. Syst. Veg. XIV. p. 164.

Crescit in campis sabulosis, in lateribus montium prope Hexrivier, in Lange Kloof, prope Wolwekraal et alibi, valde vulgaris. Floret Novembri, Decembri.

Caulis frutescens, erectiusculus, fusco-purpureus, glaber, pedalis. *Rami* alterni, elongati, saepe simplices, interdum ramulosi, interdum inferne glabri, superne villosi, interdum toti albo-tomentosi, flexuoso-erecti, laxi. *Folia* decussatim opposita, sessilia, acutiuscula; integra, glabra, supra concava; subtus convexa, imbricata, semiunguicularia. *Flores* in apicibus ramorum axillares. *Calycis* tubus villosus, foliis longior. *Variat α.* foliis angustioribus et latioribus. *β.* foliis omnibus ci-

liatis et summis tantum ciliatis. γ. ramis apice villosis et totis lanatis. δ. ramis parum villosis et foliis ciliatis.

4. S. (*nana.*) foliis linearibus, obtusis, pilosis; floribus terminalibus, fasciculatis, tomentosis. STRUTHIOLA *nana. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 164. Suppl p. 122.

Crescit in summis montibus ad Rode Sand supra Waterfall. Floret Septembri.

Caulis frutescens, fuscus, erectus, palmaris. *Rami* pauci, apice ramulis fastigiatis. *Folia* sparsa, sessilia, integra, scabra, imbricata, vix unguicularia. *Flores* aggregato-capitati, plurimi, cincti bracteis purpurascentibus, valde pilosis pilis albis. *Calyx* tubulosus, hirsutus, bracteis longior. *Stamina* 4, tubo inserta, cum glandulis pluribus. STRUTHIOLAE genus GNIDIIS valde proximum, distingui omnino potest setis plurimis, os tubi coronantibus.

CCXXXII. DODONAEA.

Cal. 4-*phyllus. Cor.* o. *Caps.* 3-*locularis*, *inflata. Sem. bina.*

1. D. (*angustifolia.*) foliis linearibus. DODONAEA *angustifolia. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 312. Suppl. p. 213.

Crescit in Prom. b. Spei, vulgaris prope montem Parl, Picketberg, Hexrivier, ower Berg, alibique. Floret Septembri, Octobri.

Radix perennis. *Caulis* fruticosus, orgyalis, ramosissimus. *Rami* et *Ramuli* sparsi, erecti, ramulosi, angulati, brunei, seu fusci, glabri. *Folia* in ultimis ramulis, alterna, lineari-lanceolata, utrinque attenuata, acutiuscula, subrepanda, integra, sessilia, glabra, nervo medio elevato, erecta, approximata, sesquipoliicaria. *Flores* in ramulis terminales, pedunculati, erecti. *Pedunculi* filiformes, glabri, uniflori, semiunguiculares. *Perianthium* 1-phyllum, viride, glabrum, profunde 4-partitum: *Laciniae* ovatae, obtusiusculae, concavae, lineam longae. *Corolla* nulla. *Filamenta* saepissime 9, rarius 8, brevissima. *Antherae* ovatae, sulcatae, incurvae, viridi-flavescentes, longitudine calycis. *Germen* superum, trigonum, glabrum. *Stylus* filiformis, erectus, striatus, viridis, calyce longior. *Stigmata* 3, filiformia, conniventia, viridia. *Capsula* immatura trigona, rarissime 4-gona, obtusa, glabra; matura trigona, angulis membranaceo-alatis, trilocularis. *Varietas* triplex datur, in distincto individuo: 1. Hermaphrodita fertilis, cum stam. pist. fructu. 2. Hermaphrodita mascula, cum stam. pist. sterili. 3. Hermaphrodita feminea, cum stam. minutis, pist. fertili. Deberet reduci ad Polygamiam; sed commode refertur ad Octandriam. *Lignum* durum. *Stamina* in aliis fruticibus saepius 8, raro 7, vel 9, rarissime 6.

DIGYNIA.

CCXXXIII. GALENIA.

Cal. 4-*fidus.* *Cor.* o. *Caps. subrotunda, disperma.*

1. G. (*linearis.*) foliis linearibus, caule erecto. GALENIA *africana. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 375. Spec. Pl. p.

Crescit in campis, sat vulgaris.

Caulis fruticosus, tripedalis et ultra. *Rami* alterni, teretes, cinerei, glabri, flexuoso-erecti. *Ramuli* oppositi, sensim filiformes, similes, virgati. *Folia* opposita, saepius bina e singulo nodo, integra, subcarnosa, glabra, laxa, patula, pollicaria. *Flores* paniculati.

2. G. (*procumbens.*) foliis ovatis, canaliculatis, squarrosis; caule decumbente. GALENIA *procumbens. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 375. Suppl. p. 227.

Crescit in Hantum. Floret Octobri, Novembri.

Caulis fruticosus, teres, cinereus, glaber, pedalis et ultra. *Rami* et *ramuli* decussati, filiformes, flexuosi, rigidi. *Folia* opposita, obovata, apice reflexo-squarrosa, integra, subcarnosa, vix lineam longa. *Flores* in ultimis ramulis minuti.

CCXXXIV. WEINMANNIA.

Cal. 4-*phyllus.* *Cor.* 4-*petala.* *Caps. bilocularis, birostris.*

1. W. (*trifoliata.*) foliis ternatis: foliolis ellipticis, serratis, glabris. WEINMANNIA *trifoliata. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 376. Suppl. p. 227.

Africanis: Witt-Else. Crescit prope Buffeljagts rivier, in Groot Vadersbosch, sylvis rivier Zonder End, et aliis locis. Floret Decembri, Januario.

Radix perennis. *Caulis* arboreus, erectus, orgyalis et ultra. *Rami* teretes, fusci, scabri, erecti. *Folia* petiolata, opposita, patentia, glabra; *foliola* serrulata, nervosa, digitalia, subtus pallidiora. *Petioli* filiformes, supra sulcati, pollicares. *Flores* paniculati. *Paniculae* axillares, compositae. *Pedunculi* petiolo longiores pedunculique villosi. *Perianthium* 1-phyllum, albidum, 5-partitum; *laciniae* ovatae, acutiusculae, erecto-patentes, concavae, lineam longae. *Corolla* 4 petala. *Petala* laciniis calycis inserta, lanceolata, erecta; trifida laciniis lateralibus capillaribus, minoribus; alba, longitudine laciniarum calycis. *Petala* raro integra. *Nectarium* sertiforme, germen cingens, albidum. *Filamenta* 8, margini nectarii inserta, subulata, erecta, alba, calyce breviora. *Antherae* ovatae, minutae, flavae. *Germen* superum, convexum, glabrum. *Styli* duo, filiformes, erecti, albi, apice patuli. *Stigmata* simplicia, acuta. *Calyx* raro 6-fidus. *Capsula* ovata, calyce persistente inferne cincta, acuta, compressa apice, bifida, bilocularis.

TRIGYNIA.

CCXXXV. POLYGONUM.

Cor. o. *Cal.* 5-*partitus.* *Sem.* 1 *nudum.*

1. P. (*atraphaxis.*) floribus hexandris, digynis; foliis ovatis, undulatis. ATRAPHAXIS *undulata.* *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 345. POLYGONUM *undulatum.* *Berg.* Cap. p. 135.

Crescit in montibus et campis sat vulgare.

Caulis frutescens, fuscus, erectus, glaber, bipedalis. *Rami* et *Ramuli* sparsi, teretes, sensim filiformes, flexuoso-erecti, virgati. *Folia* frequentia, subsessilia, acuta, glabra, lineam longa. *Stipulae* membranaceae, albidae. *Flores* versus apices ramulorum spicato-axillares, foliis intermixti, flavi.

2. P. (*barbatum.*) floribus hexandris, trigynis; spicis virgatis; stipulis truncatis, setaceo-ciliatis; foliis lanceolatis, ciliatis. POLYGONUM *barbatum?* *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 377. Spec. Plant. p. 518.

Crescit prope Cap in omnibus fossis. Floret Majo, Junio, Julio.

Caulis herbaceus, laxus, erectiusculus, purpurascens, glaber, ramosus, pedalis et ultra. *Folia* alterna, sessilia, glabra, integra costa dorsali et marginibus ciliata. *Stipulae* vaginantes, membranaceae, hirtae, setis longis ciliatae. *Spicae* capillares, ramosae floribus in axillis bractearum pluribus pedunculatis.

3. P. (*maritimum.*) floribus octandris, trigynis, axillaribus; foliis oblongis: caule suffrutescente. POLYGONUM *maritimum.* *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 377.

Caulis basi suffruticosus, decumbens, dein herbaceus, erectus, angulatus, striatus, glaber, vix ramosus, spithamaeus. *Rami* pauci, breves. *Folia* sessilia, lanceolato-ovata, integra, nervosa, glabra, patula, unguicularia. *Stipulae* membranaceae, albae, brevissimae. *Flores* in axillis foliorum solitarii, brevissime pedunculati.

CCXXXVI. FORSKOHLEA.

Cal. 5-*phyllus, corollâ longior.* *Petala* 10 *spathulata.* *Pericarp.* o. *Sem.* 5 *lanâ connexa.*

1. F. (*candida.*) foliis ovatis, dentatis. FORSKOHLEA *candida.* *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 437. Suppl. p. 245.

Crescit in Hantum prope villam Riet Fontain in montibus, inque Roggefeldt. Floret Octobri, Novembri et sequentibus mensibus.

Radix perennans. *Caulis* junior herbaceus, adultior frutescens, teres, cinereus, erectus, ramosus, pedalis bipedalisque.

Rami filiformes, frequentes, flexuosi, erecti, virgati. *Folia* alterna, petiolata, acuta, dentibus quinis vel sex, scabra, supra viridia, subtus albida, patentia, vix unguicularia. *Flores* axillares, sessiles. *Perianthium* 4-phyllum saepius, rarius 5-phyllum. *Corolla* polypetala. *Petala* saepissime 7, saepe 6, rarius 5 vel 8, calyci inserta, ovata, obtusa, concava, stamina ante florescentiam tegentia, viridia, lineae dimidiae longitudine. *Filamenta* saepissime 7, saepe 6, raro 8, rarissime 9, subulata, viridia, ante florescentiam inflexa, calyci inserta, corollâ paulò longiora. *Antherae* ovatae, majusculae, didymae, flavae. *Germina* 3, supera, lanâ involuta. *Styli* 3, capillares, erecti, villosi, purpurei. *Stigmata* simplicia, villosa, curva. *Pericarpium* nullum; sed semina tria, libera, lanâ tenaci involuta in fundo calycis, compressa, ovata, brunea, glabra. *Serenda* cum calyce. Rectius fordsa HEPTANDRIAM.

Classis IX.

ENNEANDRIA.

MONOGYNIA.

CCXXXVII. CASSYTA.

Cor. calycina, 6-partita. Nectarium glandulis 3, truncatis, germen cingentibus. Filamenta interiora glandulifera. Drupa 1-sperma.

1. C. (*filiformis.*) scandens, caule filiformi. CASSYTA *filiformis. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 384. Spec. Pl. p. 530.

Crescit in collibus infra Taffelberg prope urbem, in silvulis Houtniquas, et alibi vulgaris. Floret Novembri.

Parasitica caule radicante, papilloso. *Stamina* 9, sex exteriora, tria interiora. *Nectaria* sex, rufescentia.

DIGYNIA.

CCXXXVIII. MERCURIALIS.

Dioica. Masc. Cal. 3-partitus. Cor. o. Stam. 9 s. 12. Antherae globosae, didymae. Fem. Cal. 3-partitus. Cor. o. Styl. 2. Caps. dicocca, 2-locularis, 1-sperma.

1. M. (*annua.*) caule brachiato; foliis glabris; floribus spicatis. MERCURIALIS *annua. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 890. Spec. Plant. p. 1465.

Crescit in silvis Houtniquas. Floret Novembri.

Classis X.

DECANDRIA.

MONOGYNIA.

CCXXXIX. CASSIA.

Cal. 5-*phyllus.* *Petala* 5. *Antherae supernae* 3, *steriles; infimae rostratae.* *Legumen.*

1. C. (*capensis.*) foliis multijugis: foliolis linearibus; caule flexuoso-erecto, villoso.

Crescit inter Luris et Sondags rivier, locis graminosis. Floret Decembri.

Caulis frutescens, subsimplex, teres, palmaris, vix spithamaeus. *Folia* undecim usque paribus. *Pinnae* mucronatae, lineatae, glabrae, semiunguiculares. *Stipulae* binae ad basin petioli, lanceolatae, acuminatae, integrae, villosae. *Petiolus* filiformis, villosus. *Flores* versus apicem caulis axillares, pedunculati, incarnati. *Pedanculi* filiformes, villosi, longitudine folii. *Differt* a C. *mimosoide* caule flexuoso et stipulis lanceolatis, integris.

CCXL. SCHOTIA.

Cal. 5-*fidus.* *Pet.* 5, *calyci inserta, lateribus invicem incumbentia, clausa.* *Legumen pedicellatum.*

1. S. (*speciosa.*) foliis multijugis: pinnis ovatis, mucronatis. SCHOTIA *speciosa.* *Schreber* Gener. Plantar. p. 279. GVAJACUM *Afrum.* *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 396. Spec. Plant. p. 547.

Crescit trans Swellendam, ad fluvium Camtou copiose, et alibi. Floret Octobri et sequentibus mensibus.

Caulis fruticosus, rigidus, totus glaber, cinereus, ramosissimus, quadripedalis vel ultra. *Rami* alterni, similes, divaricati, *ramulis* foliosis. *Folia* alterna, pinnata cum impari. *Pinnae* sessiles, basi obliquae, oppositae, quadrijugae et ultra, obtusissimae cum mucrone, integrae, reticulato-nervosae, unguiculares. *Flores* in ramulis racemosi, sanguinei. *Pedunculi* subsecundi, semiunguiculares. *Legumen* basi attenuato-pedicellatum, compressum, ovato-oblongum, marginatum, glabrum, monospermum vel dispermum, pollicare usque digitale. *Usus:* Semina cocta ab Hottentottis eduntur.

2. S. (*alata.*) foliis quadrijugis: pinnis cuneiformibus, exeisis; petiolo alato.

Caulis fruticosus, rigidus, fuscus, erectus, ramosus. *Rami* et *Ramuli* patentes, alterni, striati. *Folia* pinnata cum impari, glabra: *Pinnae* subquadrijugae, saepe convolutae, apice reflexo, integrae, lineam longae. *Flores* axillares, pedunculati, purpurei.

CCXLI. CODON.

Cor. campanulata, 10-fida. Cal. 10-partitus. Caps. polysperma.

1. C. (*Royeni.*) *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 397. [*Meerburg* Plant. Tab. 37.

Crescit in Carro infra Bockland prope Leuwedans. Floret Octobri.

Caulis fruticosus, teres, erectus, tomentosus, tripedalis et ultra. *Rami* alterni, flexuosi, tomentosi, aculeati: aculeis frequentibus, sparsis, albis; erecto-patentes. *Folia* alterna, petiolata, ovata, tomentosa, scabra, integra, utrinque aculeata. *Petioli* teretes, aculeati, longitudine folii. *Flores* axillares, solitarii, pedunculati. *Calyces* decempartiti, tomentosi, aculeati.

CCXLII. AUGEA.

Cal. 5-partitus. Cor. 0. Nectar. 10-dentatum. Caps. 10-locularis.

1. A. (*capensis.*).

Crescit in Carro inter Olyfants rivier et Bocklands Berg. Floret Octobri.

Radix fusiformis, descendens, fibrosa, annua. *Caulis* statim a radice in ramos divisus. *Rami* alterni, simplices vel ramulosi, teretes, glabri, erectiusculi, pedales. *Folia* opposita, connata, teretia, supra parum plana, obtusa, erecta, glabra, internodiis longiora, sesquipollicaria. *Tota* planta carnosa, debilis, glabra. *Flores* laterales inter folia, solitarii, bini vel tres, pedunculati, erecti. *Pedunculus* semiunguicularis, uniflorus.

CCXLIII. TRIANTHEMA.

Cal. sub apice mucronatus. Cor. 0. Stam. 5-10. Germen retusum. Caps. circumscissa.

1. T. (*humifusa.*) foliis lanceolatis; caule frutescente, tereti.

Crescit in Houde Boekeveldt; β. in Hexrivier. Floret Octobri.

Caulis cinereus, flexuosus, decumbens et terrae adpressus, palmaris. *Rami* plurimi, filiformes, flexuosi, diffusi, breves, iterum valde ramulosi. *Folia* opposita, connato-vaginantia, utrinque attenuata, acuta, integra, glabra, frequentia, semi-

unguicularia. *Flores* axillares, breviter pedunculati. *Perianthium* 1-phyllum, 5-partitum, subtus viride, supra album, persistens: *Laciniae* ovatae, acutae, patentes. *Corolla* nulla. *Filamenta* 10, capillaria, alba; quinque breviora, 5 longiora. *Antherae* ovatae, didymae, albae. *Styli* duo. *Variet.* β. ex Hexrivier: *Perianthium* inferum, persistens, 1-phyllum, 5-partitum: *Laciniae* ovatae, acutae, carinatae, margine membranaceae. *Corolla* nulla. *Filamenta* 10, per paria basi singulae laciniae calycis inserta eoque duplo breviora. *Antherae* rotundatae, didymae. *Styli* duo, simplices, reflexi. *Stigma* simplex. *Capsula* ovata, parum compressa, glabra, calyce inclusa, 1-valvis, 1-locularis. *Semen* didymum, rugosum, atrum.

2. T. (*anceps.*) foliis lanceolatis; caule frutescente, ancipiti.

Caulis totus glaber. *Rami* ancipites, glabri, cinerei, elongati, pedales vel ultra, curvato-diffusi. *Ramuli* alterni, secundi, compressi, erecti, breves, vix pollicares. *Folia* opposita axillis onustis aliis foliis; utrinque attenuata, acuminata, integra, glabra, unguicularia. *Flores* axillares, pedunculati, solitarii vel pauci. *Pedunculus* folio brevior. *Perianthium* 1-phyllum, 5-partitum: *Laciniae* acutae, extus virides, intus albae. *Corolla* nulla. *Filamenta* 10, calycis basi inserta eoque breviora, fusca. *Antherae* didymae, niveae. *Germen* superum. *Stylus* unicus, brevissimus.

D I G Y N I A.

CCXLIV. ROYENA.

Cal. urceolatus. Cor. 1-*petala, limbo revoluta. Caps.* 1-*locularis,* 4-*valvis.*

1. R. (*lucida.*) foliis ovatis villosis. Royena *lucida. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 410. Spec. Pl. p. 568.

Caulis fruticosus, fuscus, glaber, erectus. *Rami* alterni uti et ramuli, erecti. *Folia* alterna, petiolata, integra, unguicularia usque pollicaria. Adultiora folia supra glabra nervo villoso, lucida; juniora valde villosa. *Flores* axillares, solitarii, pedunculati.

2. R. (*villosa.*) foliis cordatis, oblongis, subtus tomentosis. Royena *villosa. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 410.

Caulis fruticosus, tomentosus uti et rami. *Folia* alterna, petiolata, obtusa, integra, supra glabra vel villosa, patentia, pollicaria. *Flores* axillares, solitarii, pedunculati, reflexi. *Petioli* et *pedunculi* tomentosi, unguiculares. *Calyx* tomentosus.

3. R. (*glabra.*) foliis oblongis, acutis, glabris, planis.

Royena *glabra*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 410. Spec. Pl. p. 568.

Crescit in collibus prope Cap, in verlooren Valley, alibique. Floret Januario, Februario.

Caulis fruticosus, teres, fusco-purpureus, glaber; erectus, quadripedalis et ultra. *Rami* sparsi, frequentes, teretes et filiformes, patenti-erecti, virgati. *Ramuli* similes, ultimi villosi. *Folia* sparsa, brevissime petiolata, ovato-oblonga, vel elliptica, integra, superiora interdum villosa, erecta, unguicularia. *Flores* axillares, pedunculati, cernui. *Pedunculi* filiformes, villosi.

4. R. (*pallens.*) foliis oblongis, obtusis, glabris, margine revolutis.

Floret Octobri, Novembri.

Radix perennis. *Caulis* fruticosus, ramosissimus, teres, cinereus, glaber, bipedalis. *Rami* et *Ramuli* alterni, inferne divaricati, erecti, rudimentis foliorum tuberculati, flexuosi, teretes, cinerei, glabri. *Folia* alterna, petiolata, oblongo-ovata, erecta, integra, pallida, sempervirentia, frequentia, unguicularia. *Petioli* breves. *Flores* axillares, solitarii, pedunculati. *Pedunculi* erecti, uniflori, bracteati. *Bracteae* binae in medio pedunculo, alternae, minutae, lanceolatae, glabrae. *Perianthium* 1-phyllum, viride, pilosum, 5-partitum: *Laciniae* lanceolatae, patentes, corollâ paulo breviores. *Corolla* 1-petala, ovata, alba, profunde 5-partita: *Limbi* laciniae oblongae, acutiusculae, erectae; semiunguiculares. *Filamenta* 10, basi corollae inserta, brevissima, subnulla. *Antherae* subtetragonae, oblongae, acutae, valde pilosae, pallidae, corollâ breviores. *Germen* superum, valde pilosum. *Stylus* simplex, filiformis, erectus, staminibus multo brevior. *Stigmata* duo, tria vel quatuor, simplicia, obtusa, longitudine styli. *Videntur* esse styli 5, basi connati. *Germen* maris forsan sterile, ideoque dioica. *Affinis* Eugleae. *Differt* a R. glabra: 1. foliorum margine revoluto. 2. stylo simplici.

5. R. (*hirsuta.*) foliis lanceolatis, hirsutis. Royena *hirta*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 410. Spec. Plant. p. 568.

Caulis fruticosus, teres, fuscus, erectus, tripedalis et ultra. *Rami* alterni, fuscescentes, patentes, ramulosi. *Folia* sparsa, oblonga seu lanceolata, integra, supra glabriuscula; subtus reticulata, tomentosa, erecto-patula, unguicularia, usque pollicaria. *Petioli* brevissimi, subnulli. *Flores* axillares, solitarii, brevissime pedunculati, reflexi. *Calyx* et *corolla* extus tomentosi. *Styli* tres et quatuor. *Capsula* hirsuta. *Frutex* plerumque dioicus est. *Variat* foliis majoribus et minoribus, magis et minus tomentosis.

6. R. (*polyandra.*) foliis ovatis, subtus tomentosis.

Africanis: Kersse-bosch. Crescit prope Bergrivier in Swartland. Floret Octobri.

Radix perennis. *Caulis* fruticosus, ramosissimus, erectus, orgyalis. *Rami* et *Ramuli* alterni, flexuosi, teretes, pubescen-

tes, cinerei, erecto-patentes. *Folia* alterna, petiolata, oblonga, obtusiuscula, integra, reticulata, flavo-viridia, erecta, pollicaria et ultra. *Petioli* crassi, brevissimi. *Flores* axillares, racemosi, cernui. *Pedunculi* alterni, feminei sessiles, masculi et hermaphroditi paniculati, villosi. *Perianthium* 6-fidum, corollâ triplo brevius, villosum: *laciniae* ovatae, acutae, erectae. *Corolla* 1-petala, 6-fida, ovata, villosa, lineam longa. *Limbi* laciniae subrotundae, reflexae, brevissimae, obtusissimae. *Filamenta* 30, basi corollae inserta, brevissima. *Antherae* tetragonae, oblongae, acutae, pallidae, corollâ breviores. *Germen* superum, albo villosum. *Styli* duo, filiformes, erecti, staminibus breviores. *Stigmata* simplicia, obtusa. *Affinis* Eugleae. *Raro* corolla 7-fida.

CCXLV. CUNONIA.

Cor. 5-petala. Cal. 5-phyllus. Caps. 2-locularis, acuminata, polysperma. Styli flore longiores.

1. C. (*capensis.*) *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 410. Spec. Plant. p. 569.

Incolis: Rood Else. Crescit juxta rivos, ad latera Taffelberg, ad Essebosch, alibique. Floret Martio, Aprili.

Arbor vasta et alta ligno duro, tota glabra. *Rami* oppositi, patentes. *Folia* opposita, petiolata, pinnata cum impari: *Pinnae* circiter 7, oppositae, petiolatae, lanceolatae, acutae, serratae, glabrae, parallelo-nervosae, digitales. *Petioli* et *petioluli* semiteretes, semipollicares. *Stipulae* supra-foliaceae in axillis foliorum, petiolatae, oblongae, obtusae; integrae, unguiculares; *petiolis* semiunguicularibus usque digitalibus, compressis. *Flores* racemosi, pedunculati et pedicellati. *Pedunculi* axillares, digitales. *Pedicelli* plures e nodo pedunculi, sex vel plures, uniflori. *Filamenta* corollâ longiora.

CCXLVI. DIANTHUS.

Cal. cylindricus, 1-phyllus: basi squamis 4. Petala 5 unguiculata. Caps. cylindrica, 1-locularis.

1. D. (*crenatus.*) floribus solitariis; squamis calycinis senis, lanceolatis; corollis crenatis.

Crescit in collibus inter Swellendam et Houthoek. Floret Decembri.

Caulis herbaceus, teres, erectus, ramosus, glaber, pedalis. *Rami* compressi, alterni, erecti. *Folia* lineari-lanceolata, pollicaria. *Flores* in ramis et ramulis terminales. *Calycis* squamae inferiores sex, lanceolatae, longitudine dimidiâ tubi; infimis brevioribus, acuminatis, striatis, glabris. *Corollae* albae.

2. D. (*incurvus.*) floribus solitariis; squamis calycinis quaternis, ovatis, brevissimis; petalis integris.

Crescit in collibus infra Taffelberg latere orientali. Floret Majo, Junio.

Caulis herbaceus, curvato-erectus, saepe simplex, vel apice ramosus, glaber, spithamaeus vel ultra. *Folia* lineari-setacea; inferiora longiora, sesquipollicaria; superiora breviora, vix unguicularia. *Flores* terminales in caule et ramis, cernui. *Calycis* squamae acutae, tubo multoties breviores.

3. D. *cespitosus.*) caulibus unifloris; corollis integris; calycinis squamis quaternis, lanceolatis; foliis trigonis.

Radix perennis. *Folia radicalia* plurima, fasciculata, subsetacea, scabrida, sesquipollicaria; *caulina* lanceolata, acuminata, adpressa, lineam longa. *Caules* radicales plures, simplices, filiformes, glabri, erecti, palmares usque spithamaei. *Calycis* squamae acutae, striatae, glabrae, tubo duplo breviores. *Corollae* incarnatae.

4. D. (*scaber.*) caulibus unifloris; squamis calycinis quaternis, lanceolatis; petalis crenatis.

Radix perennis, sublignosa. *Caules* radicales plures, basi decumbentes, dein curvato-erecti, filiformes, tenuissime villoso-scabri, palmares. *Folia* radicalia aggregata, caulina opposita; linearia, acuta, subtrigona, tenuissime villosa et margine subserrato-scabrida, patentia, pollicaria. *Calycinae* squamae ovato-lanceolatae, acutae, striatae, glabrae, longitudine dimidiâ tubi.

TRIGYNIA.

CCXLVII. SILENE.

Cal. ventricosus. Pet. 5 *unguiculata, coronata ad faucem. Caps. trilocularis.*

1. S. (*gallica.*) floribus racemosis, secundis; petalis integris; caule hispido. SILENE *gallica. Linn.* Spec. Pl. p. 595. Syst. Veg. XIV. p. 420.

Caulis herbaceus, teres, erectus, subsimplex, vel parum ramosus, pilis albis, spithamaeus, usque pedalis. *Rami* alterni, breves, similes. *Folia* opposita, sessilia, obovato-oblonga, acuta, integra, pilis albis hispida, erecto-patentia, semipollicaria. *Flores* in caulis et ramorum summitate. *Racemus* cernuus. *Pedunculi* brevissimi; florescentes cernui; fructiferi erecti. *Calyx* costatus, hispidus.

2. S. (*crassifolia.*) petalis bifidis; foliis obovatis, carnosis, hirsutis; racemo secundo. SILENE *crassifolia. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 421. Sp. Pl. p. 597.

Radix altissime descendens. *Caules* e radice, plures, basi decumbentes, dein erecti, hirsuti. *Folia* radicalia majora, ses-

quipollicaria; caulina minora, unguicularia; omnia obtusa, integra. *Calyces* valde hirsuti. *Petala* ad medium bifida.

3. S. (*bellidifolia.*) petalis bifidis; calycibus fructiferis ovatis, villosis; foliis piloso-asperis.

Caulis herbaceus, erectus, villoso-scaber, ramosus, bipedalis. *Rami* alterni, similes, flexuosi. *Folia* opposita, sessilia, oblonga, acuta, integra, villoso-scabra, patenti-erecta, pollicaria, superioribus sensim minoribus et angustioribus. *Flores* subterminales. *Calyx* striatus, hirsutus.

4. S. (*noctiflora.*) petalis bifidis: calycibus decemangularibus; caule trichotomo. SILENE *noctiflora*. *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 421. Spec. Plant. p. 599. SILENE aethiopica: caule ramoso, floribus subspicatis, petalis bifidis, obtusis, foliis lanceolatis viscidis. *Burm.* Prodr. p. 13.

Crescit infra latus occidentale Taffelberg, in Swartland et alibi. Floret Julio et sequentibus mensibus.

Planta tota tomentosa, viscosa. *Caulis* herbaceus, teres trichotome ramosus, erectus, bipedalis. *Rami* alterni, teretes vel subcompressi, divaricato-patentes, cauli similes, raro ramulosi. *Folia* opposita, connato-amplexicaulia, ovata, acuminata, integra, margine parum crispa; inferiora majora, bipollicaria, superiora sensim minora, internodiis breviora, pollicaria; erecto-patentia. *Flores* terminales et laterales, pedunculati. *Pedanculi* axillares vel terminales, solitarii vel terni; hique vel uniflori vel triflori. *Calyx* 1-phyllus, subclavatus, pollicaris, decemstriatus, 5-dentatus: *dentes* subulati, lineam longi. *Corolla* 5-petala: *ungues* tenues, sensim latiores, membranacei; *lamina* obcordata, semibifida, alba, basi utrinque dentata. *Nectarium*: laminae 10, brevissimae, tridentatae, albae. *Filamenta* 10, inaequalia, filiformia, petalis breviora, erecta, alba. *Antherae* ovatae, erectae, didymae, dorso affixae. *Germen* superum, glabrum, obtusum. *Styli* tres, filiformes, erecti, longitudine staminum, albi. *Stigmata* simplicia, flexa. *Capsula* ovata, acuta, obtuse angulata, glabra, trivalvis, unilocularis. *Semina* plurima, subreniformia, rugosa.

5. S. (*cernua.*) hirsuta floribus racemosis, secundis, cernuis; foliis linearibus.

Caulis herbaceus, solitarius vel plures radicales, filiformes; simplex vel raro ramosus, tenuissime villosus, flexuoso-erectus, spithamaeus usque pedalis. *Folia* opposita, integra, villosa, scabra, patula, unguicularia, vel paulo ultra. *Calyx* decemstriatus, fructiferus clavatus, hirtus. *Petala* alba, bifida.

CCXLVIII. RIGGELARIA.

Dioica. Masc. Cal. 5-*partitus. Cor.* 5-*petala: glandulae* 5, *trilobae. Antherae apicibus perforatae. Fem. Cal.* et *Cor. Maris. Styli* 5. *Caps.* 1-*locularis*, 5-*valvis*, *polysperma.*

1. R. (*africana.*) *Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 391. Sp. Pl. p. 1466.

Crescit prope Cap in fossa inter Taffelberg et Leuwekopp et juxta hortos, alibique vulgaris arbor.

PENTAGYNIA.

CCXLIX. BERGIA.

Cal. 5-*partitus. Pet.* 5. *Caps. globosa*, *torulosa*, 5-*locularis*, 5-*valvis*, *valvulis petaloideis. Sem. plurima.*

1. B. (*glomerata.*) foliis obovatis, crenatis; floribus glomeratis. Bergia *glomerata. Linn.* Suppl. p. 243. Syst. Veg. XIV. p. 431.

Crescit prope Ramtoes et Swartkops rivier. Floret Decembri.

Caulis frutescens, terrae adpressus, crassitie calami, pedalis, *Rami* sparsi, breves et *ramuli* aggregati, diffusi, toti foliis et floribus tecti. *Folia* sessilia, obtusa, glabra, aggregata, lineam longa. *Flores* inter folia sessiles, aggregati 2, 3 vel plures, *Calyx* 5-phyllus, glaber. *Foliola* trifida: *lacinia* media crassior, viridis, crenulata, minuta, foliis similis; *alae* laterales membranaceae, lacerae, albidae, petalis similes. Raro 6-phyllus. *Filamenta* 10, per paria singuli petali basi inserta, linearia, alba, petalis paulo breviora. *Antherae* globosae, didymae, albae, minutae. *Germina* 5, supera, conica. *Styli* brevissimi. *Capsula* 5-sulca, 5-rostris; vel forsan potius Capsulae 5, glabrae.

CCL. COTYLEDON.

Cal. 5-*fidus. Cor.* 1-*petala. Squamae nectariferae* 5, *ad basin germinis. Caps.* 5.

1. C. (*cuneata.*) foliis cuneatis, carnosis, hirtis; floribus paniculatis, hirsutis.

Folia radicalia, carnosa, cuneiformia, integra, margine purpureo, pollicaria. *Caulis* herbaceus, teres, erectus, pubescens, viscidus, spithamaeus. *Flores* lutescentes, viscidi, paniculâ compositâ, cernuâ. *Pedunculi* et *pedicelli* villosi, glutinosi. *Calyx* et *Corollae* extus hirsutae.

2. C. (*triflora.*) foliis obovatis, carnosis, integris; floribus spicatis, ternis, sessilibus. COTYLEDON *triflora. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 429. Suppl. plant. p. 242.

Crescit prope Zekorivier. Floret Decembri, Januario.

Caulis carnosus, crassus, herbaceus, glaber, inferne foliosus, superne aphyllus, erectus, pedalis. *Folia* alterna, sessilia, crassa, obtusissima, subtruncata, inferne attenuata, basi teretiuscula, approximata, erecta, subincurva, glabra, bipollicaria, ultra pollicem lata, pallide viridia. *Omnino* referunt folia COTYLEDONIS *orbiculatae. Flores* subterni; *spica* longa, spithamaea, rhachis angulata. *Bractea* sub singulo flore minuta. *Perianthium* monophyllum, 5-dentatum, erectum, viride, brevissimum. *Corolla* 1-petala, tubulosa: *tubus* cylindricus, striatus, viridi-rufescens, subunguicularis, glaber: *Limbus* 5-partitus, patens: *Laciniae* ovatae, obtusae, intus albae, extus rufescentes, lineam longae. *Filamenta* 10, tubo inserta, paulum adnata, subulata, erecta, viridia, tubo breviora. *Antherae* ovatae, minutae, flavae. *Nectarii* squamae 5 ad fundum germinis, subexcisae, albidae. *Germina* supera, 5, subulata, glabra, viridia. *Stigmata* acuta. *Capsulae* 5, subulatae.

3. C. (*paniculata.*) foliis oblongo-ovatis, sessilibus; floribus divaricato-paniculatis; caule fruticoso, ramoso. COTYLEDON frutescens, folio oblongo, viridi, floribus ramosis, pendulis, reflexis. *Burm.* Afr. p. 41. t: 18. COTYLEDON *paniculata. Linn.* Syst. Veg. XIV. p 429. Suppl. p. 242.

Crescit in Carro trans Hartequas-Kloof, et in Cannaland. Floret Decembri, Januario.

Radix perennis. *Caulis* valde crassus, crassitie femoris humani, carnosus, vix lignosus, erectus, glaber, strictus, parum ramosus, bipedalis vel ultra. *Rami* tuberculati, breves, cauli similes. *Folia* terminalia, frequentia, carnosa, obtusa, inferne parum attenuata, patentia, glabra, integra, sesquipollicaria. *Pedunculus* communis e caudice continuatus in paniculam divaricatam, valde ramosus.

4. C. (*purpurea.*) foliis lineari-oblongis, carnosis, glabris; floribus paniculatis.

Crescit in summis montium lateribus, in collibus prope Cap et alibi vulgaris.

Folia sessilia, opposita, integra, concava, digitalia. *Caulis* inanis, herbaceus, teres, glaber, erectus, pedalis. *Flores* purpurei, glabri. *Pedunculi* et *pedicelli* compressi, glabri, patuli. *Calyx* brevissimus, glaber, persistens. *Corollae* pollicares.

5. C. (*teretifolia.*) foliis carnosis, subteretibus, hirsutis; floribus paniculatis; caule hirsuto.

Caulis fruticescens, teres, simplex, erectus, spithamaeus. *Folia* opposita, sessilia, apice compressa, obtusa cum acumine, tota pilis cinereis hirsutissima, digitalia. *Florum* panicula simplex, patens, cernua. *Pedunculi* calyx, corollae extus hirsutae.

6. C. (*papillaris.*) foliis carnosis, oppositis, tereti-ovatis, glabris; floribus pedunculatis. Cotyledon *papillaris. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 428. Suppl. p. 242.

Crescit prope Camenasie juxta Olyfants rivier in Carro. Floret Decembri.

Caulis herbaceus, teres, cinereus, decumbens, inferne parum ramosus, omnium tenuissime villosus. *Rami* oppositi, brevissimi. *Folia* in inferiori caulis parte, distincta, sessilia, crassa, utrinque attenuata, acuta, erecta, approximata, internodiis longiora, unguicularia. Folia fere Cotyledonis *mammillaris. Pedunculus* communis e caule continuatus, teres, erectus, palmaris. *Flores* subpaniculati. *Corolla* rubra, unguicularis, glabra. *Tubus* cylindricus, pentagonus, semiunguicularis. *Limbus* 5, partitus: *Laciniae* oblongae, acutae, reflexae, longitudine tubi-

7. C. (*mammillaris.*) foliis alternis, tereti-ovatis, glabris; floribus alternis, pedunculatis. Cotyledon *mammillaris. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 429. Suppl. Pl. p. 242.

Crescit prope Olyfantsbad. Floret Decembri.

Caulis repens, radicans, carnosus, teres, glaber, crassitie dimidiâ calami, ramosus, cinereus. *Folia* subpetiolata, secunda, verticillata, instar mammillae, utrinque attenuata, obtusa, carnosa, unguicularia, cinerea. *Pedunculus* communis, longus, filiformis, spithamaeus. *Flores* patentes, subpedunculati; *pedunculi* breves. *Calyx* 5-dentatus, brevissimus, adpressus. *Corolla* 1-petala, tubulosa. *Tubus* cylindricus, angulatus, viridis, glaber, unguicularis. *Limbus* 5-lobatus, plicatus, patenti-reflexus, albido-purpureus, vix lineam longus. *Filamenta* 10, quorum 5 longitudine tubi et 5 breviora, tubo inserta, capillaria, albida. *Antherae* minutae, ovatae, pallidae. *Stigmata* 5, truncata. *Styli* 5, subulati, longitudine staminum, breviorum. *Capsulae* quinque.

8. C. (*cacalioides.*) foliis teretibus; floribus paniculatis; caule fruticoso. Cotyledon aphyllum squamosum, mammillare, floribus flavis longissimo caule insidentibus. *Burm.* Afr. p. 46. t. 20. f. 2. Cotyledon *cacalioides. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 429. Suppl. p. 242.

Crescit juxta Olyfants Bad. Floret Decembri.

Caulis teres, crassus, carnosus, sublignosus, albidus, papillosus, basi foliorum ramosus. *Folia* in summis ramorum, papillis insidentia, subtus sulco longitudinali, acuta, carnosa, gla-

bra, patula, digitalia, sub florescentia emarcida. *Calyx* ad basin 5-fidus, glaber, lineam longus. *Corolla* 1-petala, tota flava, acuta, villosa: *Tubus* pentagonus unguicularis. *Limbus* 5-partitus, *laciniis* oblongis, acutis, inflexis, unguicularibus.

9. C. (*reticulata.*) foliis teretibus; floribus reticulato-paniculatis; caule fruticoso. COTYLEDON *reticulata. Linn.* Syst. Veg. XIV. p. 429. Suppl. p. 242.

Crescit trans Hartequas Kloof in Carro. Floret Decembri, Januario.

Radix fibrosa. *Caulis* teres, crassus, carnosus, sublignosus, parum ramosus, erectus, glaber, palmaris. *Rami* similes cauli, brevissimi. *Folia* foveis inserta, sessilia, sparsa versus apices, acuta, mollia, erecta, glabra, pollicaria. *Flores* terminales *Panicula* dichotoma, decomposita, reticulata; floribus pedunculatis, erectis.

X931

LIBRARY OF CONGRESS
0 005 351 748 1